Sc. SUP. 23. Pl. 3.





Digitized by Google

D. LUDOVICI HABERT,
Sacræ Facultatis Parisiensis Doctoris, Theologi, & Socii Sorbonici,

THEOLOGIA
DOGMATICA ET MORALIS,

Ad usum
SEMINARII CATALAUNENSIS.
Planissima, Critica, & solidissima Methodo conscripta,
Nunc verò
Ad usum totius Orbis litterarii
Post Editiones Parisiensem & Venetam in Germania denuò recusa,
in VIII. TOMOS divisa,
à
plurimis Mendis sollicitè purgata.



BIBLIOTECA IN ROMA

TOMUS III.

Continens Tractatus
DE ACTIBUS HUMANIS; DE VITIIS ET PECCATIS; DE REGULA MORUM; DE FIDE SPE, ET CHARITATE.

Editio prima in Germania.

Superiorum Permissu.



AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus MATTHÆI RIEGER, Bibliopolæ,
M DCC LI.





INDEX CAPITUM.

Tractatus DE ACTIBUS HUMANIS.

Caput I. *De Nomine Actus humani.* Pag. 1

§. I. *De Voluntario.* 3

INDEX CAPITUM.

§. II. *De Violentia & Coactione.* Pag. 4

§. III. *De Ignorantia.* 7

§. IV. *De Libero.* 20

§. V. *De Morali.* 26

Cap. II. *De Bonitate & Malitia Actuum humanorum.* 28

Cap. III. *Utrùm omnis humana actio sit bona, vel mala, nec ulla sit indifferens?* 37

Cap. IV. *De Objecto Actuum humanorum.* 41

Cap. V. *De Circumstantiis Actuum humanorum.* 46

Cap. VI. *De Fine Actuum humanorum.* 51

§. I. *De varia Acceptione Finis.* 52

§. II. *De Definitione Finis.* 55

§. III. *De Effectibus Finis.* 57

§. IV. *De quinto & sexto effectu finis.* 66

§. V.

§. V. *De septimo & octavo Effectu Finis.* Pag. 73

COROLLARIUM. 84

§. VI. *De Divisione Finis.* 87

§. VII. *De vera hominis Beatitudine objectiva.* 91

§. VIII. *De Beatitudine formali.* 97

§. IX. *De Beatitudine, quæ homini in hac vita competere potest.* 103

Cap. VII. *De Merito Actuum humanorum.* 120

§. I. *Utrùm opera ex gratia elicita, sint verè bona?* 122

§. II. *Utrùm bona opera gratiæ auxilio elicita, sint meritoria?* 126

§. III. *Utrùm honestum sit operari intuitu mercedis æternæ?* 131

§. IV. *Utrùm liceat fiduciam ponere in propriis meritis?* 133

§. V. *Quotuplex ſit meritum?* 136

§. VI. *De Conditionibus ad meritum de condigno requiſitis.* 141

PRIMA CONDITIO. 142

SECUNDA CONDITIO. 146

TERTIA CONDITIO. 152

QUARTA CONDITIO. 155

QUINTA CONDITIO. 156

SEXTA CONDITIO. 157

§. VII. *De iis, quæ cadunt ſub meritum de congruo.* 158

§. VIII. *De iis, quœ pertinent ad meritum de congruo.* 165

Cap.

Cap. VIII. *De Devisione Actuum humanorum.* Pag. 170

Tractatus
DE
VITIIS ET PECCATIS.

Caput I. *De varia Acceptione Vitii & Peccati.* 176

Cap. II. *De Definitione Peccati.* 180

Cap. III. *De Macula Peccati.* 183

Cap. IV. *De Divisione Peccati.* 187

Cap. V. *De Peccato mortali & veniali.* 190

Cap. VI. *De Peccati mortalis differentia à veniali.* 197

§. IV. *Utrùm liceat fiduciam ponere in propriis meritis?* 133

§. V. *Quotuplex ſit meritum?* 136

§. VI. *De Conditionibus ad meritum de condigno requiſitis.* 141

PRIMA CONDITIO. 142

SECUNDA CONDITIO. 146

TERTIA CONDITIO. 152

QUARTA CONDITIO. 155

QUINTA CONDITIO. 156

SEXTA CONDITIO. 157

§. VII. *De iis, quæ cadunt ſub meritum de congruo.* 158

§. VIII. *De iis, quœ pertinent ad meritum de congruo.* 165

Cap.

Cap. VIII. *De Devisione Actuum humanorum.* Pag. 170

Tractatus
DE
VITIIS ET PECCATIS.

Caput I. *De varia Acceptione Vitii & Peccati.* 176

Cap. II. *De Definitione Peccati.* 180

Cap. III. *De Macula Peccati.* 183

Cap. IV. *De Divisione Peccati.* 187

Cap. V. *De Peccato mortali & veniali.* 190

Cap. VI. *De Peccati mortalis differentia à veniali.* 197

Cap. VII. *De Peccato originali.* Pag. 208

§. I. *Utrùm existat Peccatum originale?* 209

§. II. *Quid sit Peccatum originale, & in quo formaliter consistat?* 230

§. III. *Expenduntur sententiæ Hæreticorum circa formalem rationem peccati originalis.* 235

§. IV. *Expenduntur sententiæ Catholicorum circa rationem formalem Peccati originalis.* 242

§. V. *Quomodo traducatur originale?* 250

§. VI. *Utrùm peccatum primi parentis transeat ad omnes sine exceptione homines, qui via ordinaria ex ipso nascuntur, aut excipienda sit Mater Christi?* 255

§. VII. *De Pœnis Peccati originalis.* 271

Cap. VIII. *De Causa efficiente Peccati.* 285

Cap. IX. *Satisfit nonnullis difficultatibus circa cogitationes morosas.* Pag. 295

Tractatus
DE
REGULA MORUM.

PRIMA PARS.
De
De Conscientia.

Caput I. *De Definitione Conscientiæ.* 308

Cap. II. *De Divisione Conscientiæ.* 310

Cap. III. *De bona malâve Conscientia.* 318

Cap. IV. *De Conscientia probabili.* Pag. 324

Cap. V. *De tuta & tutiore opinione.* 337

SECUNDA PARS.

De

De Legibus.

Caput I. *De Legis Nomine, & varia ejus Acceptione.* 338

Cap. II. *De Definitione Legis.* 340

Cap. III. *De Legis Acceptatione.* 356

Cap. IV. *De Subjecto Legis.* 360

Cap. V. *De Legis Observatione.* 368

Cap.

Cap. VI. *De Legis Divisione.* Pag. 377

Cap. VII. *De Differentia Legis naturalis & positivæ.* 385

Cap. VIII. *De Interpretatione Legis.* 393

Cap. IX. *Utrùm Lex obliget cum gravi nocumento, atque etiam cum vitæ periculo?* 403

Cap. X. *De Dispensatione in Lege positiva.* 409

Cap. XI. *Expenduntur reliquæ difficultates circa dispensationes, & alias gratias.* 419

Cap. XII. *De Consuetudine.* 430

Cap. XIII. *De Lege humana.* 440

Cap. XIV. *De Lege Divina veteri.* 452

Cap. XV. *De Lege Evangelica.* 478

§. I.

INDEX CAPITUM.

§. I. *Quid sit Lex Evangelica, & in quo consistat.* Pag. 479

§. II. *Utrùm Lex Evangelica sit praeceptiva?* 485

§. III. *Utrùm Lex Evangelica sit alia à veteri?* 493

§. IV. *Utrùm Lex Evangelica sit veteri gravior?* 510

§. V. *Utrùm in Lege Evangelica dentur consilia?* 516

§. VI. *Utrùm Lex Evangelica sit aliquando mutanda?* 523

Tracta-



Tractatus
DE
FIDE, SPE, ET CHARITATE.

PRIMA PARS.
De
Fide.

Caput I. *De Definitione Fidei.* Pag. 526

§. I. *Exponitur definitio Fidei ab Apostolo tradita.* 527

§. II. *Quomodo Fides definiri possit juxta Dialecticorum Leges?* 531

§. III. *Consectaria quædam colliguntur ex definitione Fidei.* 551

Cap.

INDEX CAPITUM.

§. I. *Quid ſit Lex Evangelica, & in quo conſiſtat.* Pag. 479

§. II. *Utrùm Lex Evangelica ſit præceptiva?* 485

§. III. *Utrùm Lex Evangelica ſit alia à veteri?* 493

§. IV. *Utrùm Lex Evangelica ſit veteri gravior?* 510

§. V. *Utrùm in Lege Evangelica dentur conſilia?* 516

§. VI. *Utrùm Lex Evangelica ſit aliquando mutanda?* 523

Tracta-



Tractatus
DE
FIDE, SPE, ET CHARITATE.

PRIMA PARS.
De
Fide.

Caput I. *De Definitione Fidei.* Pag. 526

§. I. *Exponitur definitio Fidei ab Apostolo tradita.* 527

§. II. *Quomodo Fides definiri possit juxta Dialecticorum Leges?* 531

§. III. *Consectaria quædam colliguntur ex definitione Fidei.* 551

Cap.

Cap. II. *De interno actu Fidei.* Pag. 559

§. I. *De Definitione & Proprietatibus interni actus Fidei.* ibid.

§. II. *De Necessitate interioris actus Fidei.* 574

§. III. *Satisfit nonnullis difficultatibus circa Symbolum Apostolorum.* 581

Cap. III. *De externo actu Fidei.* 587

Cap. IV. *De Peccatis Fidei oppositis.* 594

SECUNDA PARS.

De

Spe.

Caput I. De *Spei Definitione, Objecto, & Divisione.* 610

Cap. II. *De Differentia Spei à Fide & Charitate.* Pag. 627

Cap. III. *De Spei Necessitate.* 639

Cap. IV. *De Spei Certitudine.* 645

Cap. V. *De Peccatis oppositis Spei Theologicæ.* 653

Cap. VI. *De Causis Spei Theologicæ.* 667

Cap. VII. *De Effectibus Spei Theologicæ, ubi de Timore Dei.* 669

TERTIA PARS.

De

Charitate.

Caput I. *De Nomine, & Definitione Charitatis.* 687

Cap. II. *De Objecto materiali & formali Charitatis.* 702

Cap.

Cap. III. *De Necessitate Charitatis.* Pag. 716

§. I. *De præcepto amoris Dei.* 717

§. II. *De præcepto amoris proximi.* 730

Cap. IV. *De Ordine Charitatis.* 746

Cap. V. *De Effectibus Charitatis.* 757

§. I. *De internis Effectibus Charitatis.* 758


§. II. *De Eleemosyna.* 766

§. III. *De Correctione fraterna.* 781

Cap. VI. *De peccatis Charitati oppositis.* 802

§. I. *De novem primis peccatis Charitati oppositis.* 803

§. II. *De Scandalo.* 809



Tra-



Tractatus DE ACTIBUS HUMANIS.

Theologi vulgò diſtinguunt inter actionem hominis, & actionem humanam : ab homine quidem utraque procedit, ſed illa ſine rationis advertentia ; iſta cum advertentia & humano modo. De poſteriori duntaxat inſtituitur hic Tractatus.

CAPUT PRIMUM.

De Notione Actus humani.

Q. *Quid eſt actus humanus?*

R. 1. Eſt actus à voluntate hominis de-

liberatè procedens. Ita S. Thomas 1. 2. qu. 1. artic. 1. *Illæ solæ actiones*, inquit, *vocantur propriè humanæ, quarum homo dominus est: est autem dominus suorum actuum per rationem & voluntatem: unde & liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis & rationis. Illæ ergo actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt: si autem aliæ actiones homini conveniant, possunt dici quidem hominis actiones, sed non propriè humanæ, cùm non sint hominis in quantum homo est.*

Dicitur 1. *A voluntate hominis procedens*, quod fit vel immediatè, vel mediatè. Si immediatè à voluntate procedat, ut amor, odium, desiderium, &c. actus dicitur elicitus: si mediatè tantùm, ut meditatio, deambulatio, &c. actus dicitur imperatus; quia nec meditatio, nec deambulatio exeunt à voluntate, sed ab aliis potentiis; illa ab intellectu, hæc à facultate motrice. Dicuntur tamen actus à voluntate imperati, quia non procedunt à suis potentiis, nisi imperante voluntate. Ad instar actuum voluntatis Philosophi, ac Theologi distinguunt actus virtutum moralium in elicitos & imperatos, quamvis omnes à voluntate immediatè procedant. Actus virtutis elicitus est ille, qui immediatè à virtute producitur, ut oratio à virtute Religionis: imperatus, qui non nisi mediante alia virtute producitur: sic oratio ad obtinendam veniam peccatorum, est actus pœnitentiæ imperatus; quia oratio non procedit à pœnitentia nisi mediante Religione, cujus est proprius & elicitus actus.

Dicitur 2. *Deliberatè*, hoc est, cum advertentia rationis, & ex electione, ac proinde liberè.

Actus autem à voluntate procedit, vel consenta-

ſentaneè ad rectam rationem, vel diſſentaneè; ſub quo reſpectu dicitur actus moralis.

Ergo in actu humano tria ſunt ſpectanda, ſcilicet voluntarium, liberum, & morale; de quibus ſigillatim agendum.

§. I.

De Voluntario.

Q. *Quid eſt Voluntarium?*

R. Eſt id, quod fit à principio interno, id eſt, à voluntate, cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio. Ita Philoſophi & Theologi ſummo conſenſu poſt Ariſtotelem, S. Gregorium Nyſſenum, ſanctum Damaſcenum, ac præcipuè S. Bernardus, Tractatu de Gratia & libero arbitrio, cap. 2. num. 4. & S. Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 1. & 2.

Ergo ad voluntarium duo abſolutè requiruntur. Primò, debet eſſe à principio intrinſeco; unde violenta tractio in carcerem non eſt voluntaria in eo, qui trahitur; quia fit à principio extrinſeco, nempe à ſatellitibus, nec ad eam tractus quidquam confert. Secundò, debet agens, à quo procedit actio voluntaria, agnoſcere ea, in quibus verſatur ejus actio, ſingulas nempe circumſtantias, locum, finem, tempus, &c.

Dices: actio aliquando eſt magis voluntaria, etiamſi procedat ex minori cognitione & deliberatione: ergo ad voluntarium non pertinet cognitio.

Probatur antecedens: Concupiſcentia auget voluntarium, & cauſat ignorantiam, ſeu inadvertentiam, ita ut quò magis ardet concupiſcen-

tia, eò actus ſit magis voluntarius, & mentis cæcitas major.

Nego anteced. cujus confirmationem diſtinguò: Concupiſcentia cauſat ignorantiam & inadvertentiam circa ea, quæ ab objecto poſſent avertere, & impedire actionem, Conc. Circa ea, ad quæ movet concupiſcentia, putà delectabilia, Nego. Itaque multa ſpectanda ſunt circa objectum concupiſcentiæ, ſcilicet, bonum ſenſibile, & delectabile, turpitudo peccati, prohibitio legis, pœnæ, quas Deus minatur. Cùm autem hæc poſteriora frænum injiciant concupiſcentiæ, & motum ejus reſtringant, efficit, ut peccator inde oculos mentis avertat, & eatenus excæcetur: ad priora verò convertat, nempe ad delectabilia, & attentiùs ea expendat.

Ergo amor eſt cœcus, & oculatus, ſeu perſpicax, ſub duplici reſpectu. Nempe oculatus eſt & perſpicax reſpectu eorum, ad quæ inclinat: cœcus verò reſpectu eorum, quorum conſideratio motum ejus impediret.

Ergo quem juſtitia magis delectat, is in bono ſapientior eſt, & in Lege Dei ſcrutanda perſpicacior: contra verò qui temporalia concupiſcit, in iis prudentiùs ſe gerit, juxta illud Luc. 16. *Filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.*

§. II.

De Violentia & Coactione.

Q. 1. *Quotuplex eſt violentia ſeu coactio?*
R. Duplex; alia abſoluta, alia ſecundùm

cundùm quid, quæ dicitur à S. Thoma coactio insufficiens.

Q. 2. *Quid est coactio absoluta?*

R. Est actio, quæ procedit à principio extrinseco, nihil conferente passo, ut tractio in carcerem, quæ totaliter est à satellitibus.

Q. 3. *Quid est coactio insufficiens, & secundùm quid?*

R. Est actio, quæ est partim à principio intrinseco, partim ab extrinseco, ut consensus, quem gravis metus extorquet.

Q. 4. *Omnis coactio tollitne voluntarium?*

R. Absoluta tollit, insufficiens verò minuit duntaxat.

Probatur utraque responsionis pars. Actio voluntaria ex dictis procedit à principio intrinseco, nempe à voluntate: atqui quod fit per coactionem absolutam, ut violenta tractio in carcerem, nullatenus procedit à principio intrinseco: quòd autem fit coactione insufficienti, partim est à principio intrinseco seu voluntate; partim à principio extrinseco, putà ab eo, qui per metum extorquet consensum voluntatis. Ergo coactio absoluta voluntarium prorsus excludit; insufficiens verò minuit duntaxat.

Q. 5. *Voluntas potestne cogi coactione absoluta?*

R. Non potest quoad actus elicitos. Hæc est responsio omnium Philosophorum & Theologorum, præsertim verò S. Bernardi Tract. de Grat. & lib. arbitr. cap. 1. 2. 3. 12. &c. Et S. Thomæ 1. 2. qu. 6. art. 4.

Probatur: quia omnis elicita voluntatis actio est volitio, quemadmodum omnis operatio intellectus est intellectio: atqui repugnat volitionem

ab alio principio, quàm à voluntate procedere; esset autem manifesta contradictio, volitionem non esse quid voluntarium.

Dices: vis seu metus gravis reddit matrimonium nullum: ergo tollit omnino consensum, ac proinde voluntarium.

Distinguo conseq. tollit omnino consensum quoad effectum, & vim obligandi, Concedo: quoad entitatem, Nego conseq. Itaque qui per vim consentit matrimonio, simpliciter voluntariè consentit, estque involuntarius secundùm quid duntaxat. Sed consensus ille, ex dispositione juris positivi, nullam parit obligationem, nulliusque est effectus. Idem dicendum est de voto solemni ex gravi metu emisso; nam tale votum non ligat voventem, etiamsi sit absolutè & simpliciter voluntarium.

Confirmatur responsio. Valet matrimonium, si metus sit justè incussus, putà si constuprator metu gravioris pœnæ cogatur ducere virginem à se corruptam: ergo metus non tollit absolutè voluntarium.

Ergo apostasia, perjurium, & alia crimina metu extorta, sunt absolutè voluntaria, & secundùm quid involuntaria, nec proinde omnino excusanda; minùs tamen gravia sunt, quia etsi metus non tollat omnino voluntarium, minuit tamen.

Dices: concupiscentia, ex dictis, auget voluntarium, & tamen minuit gravitatem peccati, ergo majus aut minus voluntarium non reddit peccatum gravius aut levius.

Nego conseq. nam gravitas aut levitas peccati non solùm reperitur ex voluntario, sed etiam ex libero. Porrò concupiscentia, dum auget volunta-

luntarium, minuit liberum; quia magis inclinat & determinat: minor autem libertas minuit gravitatem peccati.

Ergo, inquies, gratia minuit meritum; quia dum facit nos magis voluntarios in Lege Domini, reddit minùs indifferentes, ac proinde minùs liberos.

Nego conseq. namque vera radix meriti est charitas; indifferentia verò, seu potestas agendi & non agendi, est conditio requisita ad meritum, quatenus efficit ut homo sit dominus sui actus. Unde quò major est charitas, eò majus sequitur meritum; quia ex intensiori charitate actus intensior & perfectior procedit.

§. III.

De Ignorantia.

Q. 1. *Quotuplex est ignorantia?*

R. Alia est ignorantia juris, alia facti: alia vincibilis, alia invincibilis.

Q. 2. *Quid est ignorantia juris?*

R. Est ea, qua quis ignorat legem v. g. consanguinitatem, aut affinitatem esse matrimonii impedimentum dirimens. Hæc autem ignorantia vel est juris naturalis, vel juris positivi, sive divini, sive humani.

Q. 3. *Quid est ignorantia facti?*

R. Est ea, qua quis sciens Legem, v. g. affinitatem esse matrimonii impedimentum dirimens, nescit eam, cum qua contrahit, esse sibi affinem.

Q. 4. *Quid est ignorantia vincibilis?*

R. Est ignorantia eorum, quæ quis scire potest & debet.

Dico, *debet;* si enim quis ignoret ea, quæ scire non tenetur, non est in eo ignorantia, sed mera nescientia, nec negligentiæ est insimulandus, si non curaverit addiscere. Hinc quod est nescientia in plebe, potest esse ignorantia vincibilis in Pastore.

Q. 5. *Quid est ignorantia invincibilis?*

R. Est ignorantia eorum, quæ quis scire non potest, nec tenetur.

Dico, *nec tenetur;* si quis enim munus temerè suscipiat, nec scientiam ad illud exercendum necessariam comparare possit, ignorantia illius non censetur invincibilis, ut ex infrà dicendis patebit.

Q. 6. *Quotuplex est ignorantia vincibilis?*

R. Duplex: affectata, quando quis de industria vult nescire, ut liberiùs peccet; & crassa, ut si quis directè quidem non affectet ignorare, debitam tamen non adhibeat diligentiam, ut ignorantiam vitet.

Q. 7. *Ignorantia vincibilis tollitne voluntarium?*

R. 1. Affectatio auget voluntarium, & peccatum, nedum tollat. Ita sanctus Thomas 1. 2. qu. 76. art. 4. *ex intentione .... voluntatis*, inquit, *ad peccandum provenit, quòd aliquis vult subire ignorantiæ damnum, propter libertatem peccandi.*

R. 2. Crassa minuit voluntarium; quia minuit cognitionem; actio enim, quæ procedit à principio minùs cognoscente singula, in quibus est actio, est minùs voluntaria, ac proinde minus malitiæ continet, juxta illud Luc. 12. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Et 1. Tim. cap. 1. *Mi-*

sericor-

sericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.

R. 3. Ignorantia crassa non tollit absolutè voluntarium, nec omnino excusat à peccato, quia est volita saltem indirectè, quatenus nempe qui ea laborat, voluntariè vel omittit diligentiam necessariam ut addiscat, vel suscipit officium, ad quod præstandum non potest adipisci scientiam requisitam. Porrò qui vult causam, vult consequenter effectum cum ea necessariò conjunctum.

Confirmatur responsio, 1. ex Scriptura, Luc. 12. mox laudato, *qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* In Lib. Levitici varia sunt instituta sacrificia ad expianda ignorantiæ peccata. Psal. 25. David petit veniam pro peccatis ignorantiæ, *ignorantias meas ne memineris, Domine.*

Confirmatur 2. ex Concilio Diospol. in quo damnata fuit hæc Pelagii propositio: *Oblivio & ignorantia non subjacent peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem.* Contra quam propositionem Patres insurgunt his verbis: *hæc reprobat sancta Synodus, & sancta Catholica Ecclesia.* Hunc Pelagii errorem in auctore quodam reviviscentem egregiè refellit sanctus Bernardus Tractatu de Baptismo ad Hugonem Victorinum cap. 4.

Dices: ex dictis, ubi nulla est cognitio, nullum quoque est voluntarium, nec proinde peccatum: atqui plures nesciunt, quæ scire possunt & debent, nec advertunt se nescire; imò existimant, etiam ex aliorum testimonio, se nosse quæ oportet, nec in mentem eorum venit sibi adhibendam esse majorem diligentiam: ergo ignorantia

rantia vincibilis nonnunquam tollit voluntarium & peccatum.

Minor probatur multis exemplis : 1. Judæorum, qui ex zelo Legis persecuti sunt Christum Dominum ; *si enim cognovissent*, inquit Apostolus 1. Cor. 2. *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* 2. Hæreticorum, ex quibus non pauci solo Dei timore videntur suæ sectæ addicti. 3. Multorum tum Judicum, tum Pastorum, & Confessariorum, qui ubi ponunt tenebras lucem, ibi putant se obsequium præstare Deo.

Distinguo minorem. Plures nesciunt nec advertunt se nescire, sed advertere possunt, & debent, Concedo : advertere non possunt, nec debent, subdistinguo ; & in illa hypothesi ignorantia est invincibilis, qualis est in infidelibus negativis, Concedo ; & ignorantia illa est vincibilis, Nego min. & conseq.

Ad Confirmationem, respondeo 1. Judæos per miracula & prophetias potuisse cognoscere Christum Dominum, juxta illud Joan. 5. *si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi ; de me enim ille scripsit.* 2. Hæreticos & alios infideles, quibus annunciatum est Evangelium, si vellent attendere ad notas veræ Religionis, eam in Ecclesia Romana facilè esse deprehensuros. Porrò Pastores & Judices Catholici multò minùs sunt excusandi ob ignorantiam, quàm infideles ; habent enim libros, de quorum auctoritate non dubitant : habent & qui explicent, si quæ occurrant difficiliora ; sed legere negligunt, & audire contemnunt.

Ex his duo colliges.

Primum : meritò à summo Pontifice Alexandro VIII. & à Clero Gallicano anno 1700. damnatam

tam fuisse hanc quorundam Modernorum propositionem, *Peccatum Philosophicum seu morale quantumvis grave in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat: est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Quæ propositio ab Illustrissimis Antistitibus notatur ut scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva, & erronea. Quid enim absurdum magis, quàm nequissimum peccatorem vix offensam Dei incurrere; quia vix de Deo cogitat: justum verò sæpiùs cadere, quia in conspectu Dei sollicitè ambulat: dæmonem in tuto salutem hominum ponere, dum mentis oculos excæcat, & eos falsa boni specie deludit?

Secundum: peccata ignorantiæ vincibilis, etsi minus malitiæ contineant, majori tamen damnationis periculo exponere, & eatenus quam maximè esse timenda, ut quæ cum impœnitentia finali plerumque sint conjuncta; quis enim illud emendare cogitabit, in quo se peccare non arbitratur? hinc geminatæ Ecclesiæ preces; *illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*, Psal. 12. *ab occultis meis munda me*, Ps. 18. hinc firmissimarum Ecclesiæ columnarum tremor, *nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*, 1. Cor. 4. *multùm timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum:* S. Aug. Lib. 10. Confessionum cap. 37.

Q. 8. *Quid observandum ad sedandos graves conscientiæ motus ex dictis nascentes; suadendumque ignorantiam, si quæ in nobis sit, non esse vincibilem seu voluntariam, nec proinde peccata, quæ inde sequuntur, nobis in Dei judicio fore imputanda?*

R. 1.

R. 1. Quoad ignorantiam juris, communis est Theologorum & Canonistarum doctrina, ut ignorantia non censeatur vincibilis, sufficere eam diligentiam, quæ moraliter sit in hominis potestate, spectatis circumstantiis ejus personæ, & rei tractandæ, quamvis major dari possit: non imputandam ignorantiam scienti, quæ communiter noverunt homines ejusdem professionis, nec requiri, secluso contractu, ut quis excellat inter doctissimos. Hinc Actuarius, seu Notarius, qui vitiosum scripsit contractum ex ignorantia, quam soli peritissimi vitare potuissent, non peccavit, nec damnum inde secutum resarcire tenetur: contra verò si erravit in iis, quæ facilia sunt, quæque communiter norunt, qui ad illud munus sunt idonei. Idem judicium esto de Pastore, Confessario, & Advocato, hi quippe si in suis consiliis errent, ubi periti non errarent, peccant, & obnoxii sunt restitutioni: secus si hæc scirentur duntaxat à peritissimis.

Dixi, *secluso contractu;* namque ex Tractatu de Justitia & Jure Part. 2. cap. 3. sunt contractus, qui requirunt diligentiam singularem, & peritiam excellentem.

R. 2. Quoad ignorantiam facti, qua nonnumquam laborant etiam viri doctissimi. Hæc non videtur vincibilis seu voluntaria, nec proinde imputanda in peccatum iis, qui mandata Dei impensè diligunt, omnem culpam summopere timent, instantiùs orant, ne obrepat, & certam morum regulam, de qua suo loco, sibi præstituunt. Quis verò ante tribunal Christi illius patrocinium suscipiat, qui ignorat se eodem spiritu superbiæ & cupiditatis pulsari, quem in aliis cum multa erudi-

tione

tione & magna animi fortitudine detegit ac reprehendit?

Q. 9. *Ignorantia invincibilis excluditne omnino voluntarium & peccatum?*

R. Excludit, ſive illa ſit facti, ſive juris, etiam naturalis, in hypotheſi, quòd detur ejuſmodi ignorantia.

Probatur: quia ex dictis illud voluntarium non eſt, quod fit à principio nullatenus cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio: voluntas enim non fertur in incognitum. Atqui agens ex ignorantia invincibili nullatenus cognoſcit, nec cognoſcere poteſt ea, in quibus eſt ejus actio; alioquin ignorantia ejus non eſſet invincibilis: ergo quod fit ex ignorantia invincibili, prorſus involuntarium eſt. Porrò nullum eſt peccatum, niſi ſit voluntarium: *Uſque adeo*, inquit ſanctus Auguſtinus Lib. de vera Religione cap. 4. *peccatum voluntarium eſt, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium: & hoc ita manifeſtum, ut nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat.*

Confirmatur ex ſummis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. qui damnarunt ſequentes Baji propoſitiones: *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Item, *infidelitas negativa in iis, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.* Alexander quoque VIII. perſtrinxit eundem errorem his propoſitionibus reſtitutum. Prima: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in cauſa ſua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* Secunda: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat à peccato formali.*

Dixi,

Dixi, *etiam juris naturalis*, *in hypothesi quòd detur ejusmodi ignorantia invincibilis*; nam quæstio est infra examinanda, utrùm revera detur.

Dices 1. peccatum originale est peccatum propriè dictum; quia voluntarium fuit in Adamo: ergo quæ fiunt ex ignorantia invincibili contra legem naturalem, sunt formaliter peccata, cùm in Adamo sint æquè voluntaria.

Nego consequentiam & paritatem; quia, ex dicendis Tractatu de Peccatis, peccatum originale est peccatum naturæ, satisque est ad illud contrahendum, quod natura humana fuerit vitiata in sua origine per voluntatem Adami, in quo, tanquam in capite, omnes continebantur: At quæ fiunt ex ignorantia, sunt actus personales, ac proinde debent esse voluntarii propria voluntate. Peccatum autem personale non potest esse voluntarium propria voluntate, nisi adsit, aut adesse possit & debeat aliqua cognitio. Porrò posteri Adam nec debuerunt, nec potuerunt in illo prævidere, quæ faciunt ex ignorantia invincibili: ergo illa non sunt peccata formaliter, sed materialiter duntaxat.

Confirmatur 1. Si sacrilegia, homicidia, adulteria, &c. essent peccata naturæ, iis omnibus homines nascerentur obnoxii, & pro iis parvuli sine Baptismo decedentes pœnas in altera vita luerent, quod ne ipsi quidem Adversarii admittunt: ergo ut quis horum censeatur reus, satis non est quòd natura in Adamo vitiata ad ea inclinet, sed accedat necesse est propriæ voluntatis consensus, qui cum ignorantia invincibili exire nequit.

Confirmatur 2. ex concessis Adversariorum, ignorantia invincibilis facti & juris positivi excusat

ſat à peccato : atqui illa ignorantia eſt æquè effectus peccati originalis, & æquè voluntaria in Adamo, ac ignorantia invincibilis juris naturalis : ergo.

Dices 2. Sanctus Auguſtinus pluribus in locis probat ignorantiam invincibilem non excuſare : Libro enim de Grat. & lib. arbitr. cap. 3. ſic habet : *Sed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt, ſed & eorum, qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audivit omnino quod crederet ; ſed fortaſſis ut mitiùs ardeat ; non enim ſine cauſa dictum.* Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt. Et Epiſt. 194. aliàs 105. *Inexcuſabilis eſt*, inquit, *omnis peccator vel vitio originis vel additamento propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat.* Ergo.

Diſtinguo anteced. neminem excuſat à peccato originali, quod in Adamo contraxit, Concedo : à peccato actuali, ſubdiſtinguo : ſi ſcire potuit, Concedo : ſi ſcire non potuit, Nego antecedens. Itaque infideles negativi, juxta mentem ſancti Doctoris, duplici ignorantia laborant, nempe vincibili & invincibili. Ignorantia legis naturalis in ipſis vincibilis eſt, & ideo peccant, ſi illam non ſervent ; ſed mitiùs ardebunt ; quia illorum peccata minùs ſunt gravia, utpote ex ignorantia. Servus enim, ait Chriſtus, qui non cognovit voluntatem domini ſui, vapulabit paucis : ignorantia verò Legis Evangelicæ, de qua nihil audire potuerunt, invincibilis eſt, nec proinde in ipſis peccatum formaliter, ſed pœna peccati duntaxat. Quòd autem hæc ſolutio ſit ad mentem ſancti Auguſtini, patet tum ex Lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. tum ex laudata Epiſtola 194. ſic

ſic enim habet cit. cap. 19. de ignorantia juris naturalis, *rectè fortaſſe quereretur* (homo) *ſi erroris aut libidinis nullus hominum victor exiſteret. Cùm verò ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem, averſum vocet, doceat credentem, diligentem hortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras.* De ignorantia autem juris poſitivi, ſeu Legis Evangelicæ, ſic ſcribit laudata Epiſtola 194. *in iis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in iis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.*

Inſtabis: ſanctus Auguſtinus impugnat hanc Pelagii propoſitionem, *oblivio & ignorantia non ſubjacent peccato:* atqui Pelagius non negavit ignorantiam vincibilem ſubjacere peccato; id enim agnoſcit ſanctus Auguſtinus: *Tractat iſte*, inquit, *de peccatis ignorantiæ, & dicit hominem pervigilare debere, ne ignoret, ideoque eſſe culpandam ignorantiam.* Ergo ſanctus Auguſtinus poſt Patres Dioſpolitanos contendit ignorantiam invincibilem non excuſare à peccato.

Diſtinguo minorem: non negavit ſubjacere peccato ignorantiam naturæ viribus vincibilem, Concedo: vincibilem ſolo gratiæ auxilio, cujus neceſſitatem non agnoſcebat, Nego minorem. Igitur ignorantia, quæ ſecundùm Pelagium erat invincibilis, vinci poterat auxilio gratiæ, quod Deus ſuppliciter petentibus non denegat, ſed Pelagius de viribus liberi arbitrii præſumens negligebat illud auxilium hoc ſophiſmate deluſus: Vel poſſum adhibita diligentia expellere ignorantiæ tenebras, vel non poſſum: ſi poſſum & negligo, ignorantia mihi imputatur: ſi non poſſum, ignorantiæ

rantiæ eſt, non voluntatis, quod peccem. Contra arguit ſanctus Auguſtinus: illud non eſt dicendum impoſſibile, quod Deus reddit facile per gratiam ſuam, quam petentibus miſericorditer concedit: *Humana ſuperbia*, inquit, *tanquam præſumens, de viribus liberi arbitrii, excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ eſt, non voluntatis, quòd peccat. Potiùs diſputat, quàm ut oret, & dicat*, da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua.

Urgebis: Atqui ſanctus Auguſtinus ſæpiùs docet ea, quæ fiunt ex ignorantia invincibili, eſſe peccata: ergo.

Diſtinguo antecedens, eſſe peccata metaphoricè & denominativè, quemadmodum Scriptura nonnumquam vocatur manus, quia per manum exarata eſt, Concedo: propriè & formaliter, Nego antecedens, & quidem ad mentem ſancti Auguſtini, qui citato Libro de libero arbitrio cap. 19. ſic ſcribit: *Nam illud, quod ignorans quiſque non rectè facit, & quod rectè volens facere non poteſt, ideo dicuntur peccata, quia de peccato liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit iſta ſequentia; nam ſicut linguam dicimus non ſolùm membrum, quod movemus in ore, dum loquimur, ſed etiam illud, quod hujus membri motum conſequitur, id eſt formam tenoremque verborum, ſecundùm quem modum dicitur alia Lingua Græca, alia Latina: ſic non ſolùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum: libera enim voluntate, & ab ſciente committitur: ſed etiam illud, quod jam de hujus ſupplicio conſequatur neceſſe eſt.*

Dices 3. ex ſancto Thoma quodlib. 3. qu. 4. art. 2. *in iis, quæ pertinent ad fidem & bonos mores nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus Magiſtri:* ergo ignorantia invincibilis non excuſat.

Nego conseq. ibi enim loquitur sanctus Thomas de eo, qui sequitur opiniones manifestè repugnantes Scripturæ, aut Ecclesiæ auctoritati. *Qui enim*, inquit, *assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, aut contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Et qu. 12. art. 2. ad 2. *Si alicui dictat conscientia, ut faciat illud, quod est contra Legem Dei: si faciat, peccat; quia ignorantia juris non excusat à peccato, nisi fortè sit ignorantia vincibilis.*

Q. 1. *Daturne ignorantia invincibilis juris naturalis?*

Nota 1. jus naturale tripliciter spectari posse: 1. in suis principiis, quale est istud, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* 2. in conclusionibus, quæ proximè deducuntur ex primis principiis, qualia sunt præcepta Decalogi, *non occides, non mœchaberis;* &c. 3. in remotioribus conclusionibus, cujusmodi sunt usura, matrimonii indissolubilitas, &c.

Nota 2. Prima principia, & primas conclusiones rursus spectari posse vel simpliciter & absolutè, putà, *mendacium non dices:* vel in quibusdam circumstantiis, v. g. *non mentieris, etiamsi proximus ab injusta morte liberari non possit.* His prænotatis,

R. 1. Non datur ignorantia invincibilis circa prima principia juris naturalis, neque circa primarias ejus conclusiones.

Probatur 1. auctoritate sancti Augustini, qui in Psalm. 116. sic scribit: *Nullus est qui faciat injuriam alteri, nisi qui sibi fieri nolit; etenim in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id facit, quod non vult pati.* Idipsum agnovit ipse Aristoteles Lib. 3. Moral. ubi sic docet: *quæ agenda, quæve fugienda sunt, nullus improbus ignorat, & hoc ipso vitio improbi & injusti fiunt. Non igitur ideo quisque involuntariè*

luntariè agere dicitur, quia quod expedit, nescit: omninò enim ista ignorantia, qua quis eligit certum aliquod malum, non efficit ut involuntaria sit illa actio, sed ut mala sit; talem enim ignorantiam vitio vertimus.

Probatur 2. ratione, qua utitur S. Thomas, nempe peccatum naturam humanam prorsus non corrumpit, alioquin homo per peccatum desineret esse homo, & in aliam speciem transmutaretur: atqui si in eo nullum rationis lumen remaneret, quo perciperet prima principia per se nota, jam non esset homo: ergo illa principia ignorare nequit. Porrò qui novit prima principia, ex iis facilè elicit conclusiones, quæ immediatè ex iis sequuntur.

R. 2. Circa conclusiones remotiores juris naturalis, quales sunt prohibitio usuræ, uxorum pluralitas, matrimonii indissolubilitas, etiam interveniente aliqua gravi causa, &c. potest esse ignorantia invincibilis; quia non deducuntur ex primis principiis nisi longiori discursu, cujus moraliter capaces non sunt ut plurimùm homines indocti, tardioris ingenii, consuetudine & aliorum exemplo præoccupati.

Dices: Ex Gersonis Lib. de vita spiritali, *concors est sententia, nullam in iis quæ legis naturalis sunt cadere ignorantiam invincibilem*, ergo.

Distinguo anteced. quæ legis naturalis sunt, si spectetur quoad prima principia & primarias conclusiones, Concedo: si spectetur quoad conclusiones remotiores, Nego antecedens. Nam ipsimet Theologi nonnunquam circa illas conclusiones variè opinantur.

R. 3. Conclusiones etiam primariæ juris naturalis in quibusdam circumstantiis aliquando invin-

cibiliter ignorari possunt, v. g. in hypothesi qua homicidium, aut oppressio virginis vitari non possit sine mendacio officioso, aliquis sibi certò persuadere potest mendacium in hoc casu non solùm esse licitum, sed etiam præceptum.

Advertes tamen difficiliùs agnoscendam esse ignorantiam invincibilem in iis, quæ juris naturalis sunt, quàm quæ juris positivi; qui enim hìc ignorantia laboravit, fortè diligentiam non adhibuit, non oravit; Deum interiùs monentem audire contempsit; fortè etiam aliquis rationis radius, licèt exiguus, ejus mentem perstrinxit, sed dormitantem non excitavit. *Vigiliis continuis*, inquit sanctus Augustinus Lib. 22. de Civitate Dei capite 23. *excubant justi, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus: ne tenebræ alicujus erroris effundant, ne quod malum est, bonum esse credatur.* Unde qui in iis ex ignorantia peccaverint, non ita facilè ab omni culpa excusandi, quàm qui ignorantia facti aut juris positivi lapsi fuerint.

Atque hæc de voluntario, quod primo loco in Actibus humanis spectari debet.

§. IV.

De Libero.

Q. I. *Voluntarium estne idem ac liberum?*

R. Minimè; crescente enim voluntario per concupiscentiam, minuitur liberum. Nonnunquam tamen S. Augustinus, S. Thomas, & alii liberum & voluntarium confundunt; quia nomen libertatis in varia significatione accipitur. *Quando rogavit Christus pro Petro*, inquit S. Aug. Lib. de Corrept. & Grat. c. 8. *ne deficeret fides ejus; quid aliud*

aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, invictissimam, perseverantissimamque voluntatem? ubi voluntas maximè voluntaria dicitur liberrima.

Q. 2. *Quotuplex est libertas?*

R. Duplex: alia dicitur libertas naturæ, alia libertas arbitrii.

Q. 3. *Quid est libertas naturæ?*

R. Est libertas, per quam habet quævis natura, ut sine obstaculo tendat in suum finem, & bonum sibi conveniens; sic dicimus aquam liberè fluere, quando violenter non retinetur: Beatos liberè in Deum ferri; quia corpore mortali non prægravantur; & eo sensu Deus dicitur à S. Augustino, & à S. Thoma liberè vivere, liberè seipsum amare. Ex quibus patet hanc libertatis speciem non excludere necessitatem, & in hac acceptione voluntarium ac liberum aliquando esse quid idem.

Q. 4. *Quid est libertas arbitrii?*

R. Est potentia activa, quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere vel non agere.

Dicitur 1. *potentia:* neque enim est actus, cùm homo maneat liber, etiamsi non agat. Neque etiam est habitus; quia idem habitus non inclinat ad actus contrarios, v. g. ad actum temperantiæ & intemperantiæ: libertas autem arbitrii se habet ad utrumque.

Dicitur 2. *activa*, ut distinguatur libertas arbitrii à potentia passiva, quæ est indifferens ad recipiendam hanc vel illam formam, putà albedinem, aut nigredinem; determinaturque, non à seipsa, sed ab agente eam disponente. At libertas arbitrii est potentia indifferens ad agendum vel non agendum, & sui ipsius determinativa.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Dicitur 3. *positis omnibus ad agendum prærequisitis.* In quo distinguitur causa libera à causis necessariis. Hæ nimirum, quamdiu non ponuntur prærequisita ad agendum, indeterminatæ sunt & indifferentes ad hunc vel illum effectum, v. g. ignis ad comburendum lignum, aut ad liquefaciendum metallum: ubi verò ponuntur, necessariò determinatæ sunt ab objectis & dispositionibus: ignis v. g. necessariò comburit lignum præparatum, & sibi applicatum. Causa verò libera, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest suspendere suum actum, nec nisi à seipsa determinatur.

Ad libertatem autem arbitrii exercendam prærequiritur rationis judicium; ita tamen ut ab ipso voluntas non determinetur necessariò, ut advertit S. Bernardus Lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 2. his verbis: *Habet sanè* (voluntas) *quocumque se volverit, semper rationem comitem, & quodammodo pedissequam, non quòd semper ex ratione, sed quòd nusquam absque ratione moveatur, ita ut multa faciat per ipsam contra ipsam, hoc est, quasi per ejus ministerium, contra ejus consilium, sive judicium .... est verò ratio data voluntati, ut instruat illam, non destruat: destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret.*

Q. 5. *Quælibet necessitas tollitne libertatem arbitrii?*

R. Physica tollit: moralis non tollit, sed minuit duntaxat.

Q. 6. *Quid est necessitas Physica?*

R. Est ea, qua simpliciter & absolutè aliter non possumus agere. Talis est necessitas, qua Beati amore in Deum feruntur.

Q. 7. *Quid est necessitas moralis?*

R. Est ea, quam etsi valeamus superare, nunquam

quam tamen ſuperabimus, quia totas vires non ſumus adhibituri. Unde ſtante ea ſola neceſſitate, habet quis liberam electionem; mereturque vel laudem, ſi ejus actio fuerit honeſta; vel vituperium, ſi inhoneſta. De hac neceſſitate intelligendus eſt ſanctus Auguſtinus Julianum ſic alloquens; *Erras, ſi nullam putas eſſe peccandi neceſſitatem:* neceſſitatem, inquam ego, moralem & inſufficientem, non phyſicam & abſolutam.

Q. 8. *Quotuplex eſt libertas arbitrii?*

R. Duplex, nempe contrarietatis, & contradictionis.

Libertas contrarietatis dicitur ea, qua quis poteſt eligere contraria, bonum & malum: contradictionis, qua quis poteſt ponere actum, & non ponere; velle & non velle.

Q. 9. *Quotuplex eſt libertas contradictionis?*

R. Duplex, ſcilicet ſpecificationis, & exercitii.

Libertas ſpecificationis ea eſt, qua quis poteſt eligere hunc vel illum ſpecie actum, v. g. jejunium, aut eleemoſynæ erogationem: exercitii, qua voluntas, etſi neceſſariò determinata ad unum objectum, v. g. Deum amandum, mortem crucis ſubeundam, indeterminata tamen manet ad hunc vel illum actum, poteſtque hunc potiùs eligere, quàm alium. Conſule quæ ad hujuſce diviſionis intelligentiam diximus Tom. 2. Tractatu de Incarnatione cap. 8. ubi probavimus libertatem exercitii ſufficere ad meritum: cùm per eam agens verè ſit dominus ſui: agatque humano modo.

Q. 10. *Quæ arbitrii libertas competit homini?*

R. In ſtatu naturæ ſive integræ, ſive corruptæ,

competit illi libertas contrarietatis & contradictionis, sive specificationis, sive exercitii: in statu verò beatitudinis non competit, nisi libertas contradictionis.

Prima pars probatur 1. ex Scriptura Eccli. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Ex sanctis Patribus; ex S. August. Lib. de Spiritu & Littera c. 33. *agit Deus ut velimus & credamus .... sed consentire vel dissentire posse propriæ voluntatis est;* & ex S. Bern. cit. c. Lib. de Grat. & lib. arb. *ubi necessitas, ibi libertas non est; ubi libertas non est, nec meritum, ac per hoc nec judicium ... cùm ergo voluntas nil liberum habeat nisi se, meritò non judicatur nisi ex se. Siquidem nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec inquietus appetitus ... per se statuunt hominem, sicut nec contraria innocentem: & hoc non ob aliud, nisi quia hæc necessariò & præter voluntatem posse provenire probantur.* 3. Ex summis Pontificibus Innocentio X. Alexandro VII. qui tanquam hæreticam damnarunt hancce Jansenii propositionem, *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Objectiones, quæ contra fieri possunt, vid. Tract. de Gratia cap. 6. §. 7. &c.

Secunda pars probatur; quia libertas contrarietatis ex dictis est facultas agendi contraria bonum & malum, atqui hæc facultas non competit Beatis, cùm sint impeccabiles: ergo.

Q. 11. *Quare Beati sunt impeccabiles?*

R. Quia voluntas non potest ferri in malum nisi sub ratione boni apparentis; malum quippe ut malum non est appetibile. Unde hoc in statu nullus peccat nisi aliquo modo ignorans & deceptus

ceptus saltem à propria concupiscentia, juxta illud Sap. 4. *fascinatio .... nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum*: atqui ratio nihil voluntati Beatorum proponere potest contrarium Legi æternæ, tanquam bonum apparens & appetibile; cùm tam clarè & tam perfectè videant Deum esse omne bonum, ut necessariò illis appareat malum & fugiendum, quidquid voluntati ejus repugnat.

Q. 12. *Sub quo respectu Beati habent libertatem contradictionis, sive specificationis, sive exercitii?*

R. 1, Nullam habent respectu visionis intuitivæ, & amoris beatifici; quia ex mox dictis Beati peccare non possunt, nec habent libertatem contrarietatis: atqui defectus est & peccatum liberè à Deo averti: ergo. Deinde arbitrii libertas non est respectu ultimi finis; illum enim necessariò volumus saltem in genere; sed respectu duntaxat mediorum: hinc vulgare effatum, *electio non est finis, sed mediorum*: æger v. g. non deliberat an sanitatem eligat; sed illa præsupposita, investigat media, & eligit, quæ videntur aptiora ad illam consequendam. Porrò visio Dei intuitiva, & amor beatificus sunt ultimus finis hominis, ac proinde sunt actus maximè necessarii.

Nec dicas homini viatori liberum esse constituere suum ultimum finem in Deo vel in creatura; illud enim est maxima liberi arbitrii imperfectio, quam ex eo patimur, quòd Deum obscurè cognoscamus, & alia tanquam bona appetibilia appareant. Unde licèt ultimum finem sub ratione generica necessariò appetamus, eum tamen in specie liberè constituimus in Deo, vel in creatura. Sed ejusmodi infirmitas & imperfectio tolle-

tur in patria, ubi clarè & dilucidè apparebit malum esse, quidquam appetere præter Deum. Interim verò per gratiam minuitur ille defectus, & eô magis, quò plus in virtute proficimus.

R. 2. Beati habent libertatem contradictionis, tum specificationis, tum exercitii, respectu eorum, quæ non sunt necessariò conjuncta cum ultimo fine; quia cùm ejusmodi bona non sint summa, sed finita, possunt appeti aut non appeti absque præjudicio Legis æternæ. Unde sicut ad perfectionem Dei pertinet, quòd necessariò amet seipsum utpote summum bonum; liberè verò creaturas, quas non produceret, nec conservaret, si vellet: ita ingens perfectio est creaturæ rationalis sic immobiliter & necessariò adhærere Deo, ut non trahatur more brutorum ab objectis inferioris ordinis.

§. X.

De Morali.

Q. 1. *Quid significat nomen illud*, Morale?

R. Quod ad mores pertinet.

Q. 2. *Quid est mos?*

R. Mos generatim est frequens operandi modus communis vel generi, putà omnibus animalibus; vel speciei, v. g. homini.

Mos autem oritur vel ex naturali instinctu & naturæ pondere, vel ex electione voluntatis liberè se determinantis ex rationis judicio. Primum constituit mores animalium, & insensatorum hominum, ut habetur Sap. 12. Secundum verò mores hominum, qui ut tales non agunt nisi ex deliberata voluntate.

Q. 3. *Quid ergo morale dicit præter liberum?*

R. Dicit ordinem & relationem ad naturam rationalem; liberum quippe dupliciter ſpectari poteſt, vel præciſè, prout deliberatè exit à voluntate, vel prout exit conſentaneè vel diſſentaneè ad naturam rationalem, ſeu rectam rationem; & ſub hoc reſpectu actus humanus dicitur moralis, bonus, vel malus, laude vel vituperio dignus.

Ergo omne liberum eſt morale, & vice verſa omne morale eſt liberum; quia omnis actus liber vel eſt conſentaneus naturæ rationali, & ſecundùm rectum rationis judicium; vel diſſentaneus.

Dices: operatio artificialis libera eſt, nec tamen moralis: ergo omnis actio libera non eſt moralis.

Nego antec. Neque enim artifex exuit hominem, ut vacet ſuo operi, ſed debet illud perficere, tum ſecundùm artis ſuæ regulas, tum maximè ſecundùm rectam rationem, omnium actuum humanorum regulam, cui ſubeſſe debent omnium diſciplinarum regulæ: alioquin actus, licèt ad normam artis expreſſus, erit ſimpliciter malus, & bonus ſecundùm quid duntaxat, ſcilicet in genere artificialium, & artifex ab eo verè denominabitur improbus homo, bonus verò artifex: namque artifices, juxta S. Auguſt. Lib. 1. Confeſſionum cap. 35. *dum foras ſequuntur quod faciunt, intus relinquentes à quo facti ſunt, exterminant quod facti ſunt.* Mirare ergo hominum cæcitatem, qui, ut artes diſcant, nomenque ſapientiſſimi artificis mereantur, nihil omittunt, ſudant, ingenium acuunt, longiùs peregrinantur, & peritiſſimos quoſque conſulunt: cùm vix pedem moveant, aut animum applicent, ut vitam rectè inſtituant ac pro-

bi

bi homines evadant; omnia ſatagunt habere quàm optima, præter mores.

Hactenus de actu humano ſecundùm eſſentiam ſpectato; nunc, quod caput eſt, dicendum de morali ejus bonitate & malitia, quæ ſunt ejus proprietates.

CAPUT II.

De bonitate & malitia actuum humanorum.

Q. I. *In quo conſiſtunt bonitas & malitia actionis humanæ?*

R. I. Bonitas ſeu honeſtas actionis humanæ conſiſtit in conformitate & convenientia cum natura rationali, adeò ut rectè & ex virtute vivere idem ſit homini, ac rationabiliter agere. Res enim quælibet eſt bona, cùm facit ea, ad quæ nata eſt: *Vitem laudamus*, inquit Seneca, *ſi fructu palmites onerat, & cum ipſo ad terram pondere eorum, quæ tulit, adminicula deducit. In homine laudandum eſt quod ipſius eſt, conſummaturque ejus bonum, ſi implet, cui natus eſt:* atqui natura hominis eſt rationalis: ergo bonus eſt, & bene agit, ſi rationabiliter & ex recto rationis judicio operatur.

Hæc reſponſio comprehendit actiones ſupernaturales; quamvis enim ſint ſupra naturam, ipſi tamen maximè conveniunt, cùm ex S. Auguſtino poſſe habere fidem, naturæ ſit humanæ, non pecorinæ.

R. 2. Malitia actionis humanæ conſiſtit in difformitate & repugnantia cum natura rationali. Reſponſio patet ex præcedenti; nam contrariorum contrariæ ſunt rationes; ergo ſi bonitas actionis humanæ eſt ejus conformitas cum natura ratio-

rationali, malitia eſt ejus difformitas cum natura rationali.

Q. 2. *Quomodo definitur actio moraliter bona & actio moraliter mala?*

R. Bona definitur actio humana, libera naturæ rationali conſentanea.

Mala verò actio humana, libera, naturæ rationali diſſentanea, repugnans.

Q. 3. *Unde habet actio humana, quòd ſit conſentanea naturæ rationali?*

R. Ex eo quòd illam perficiat; in eo quippe ſita eſt eſſentia boni relativi, de quo eſt hìc ſermo; agitur enim de bono relativè ad hominem, non ad pecora.

Q. 4. *Quotuplex igitur eſt bonum?*

R. Duplex, abſolutum & relativum.

Abſolutum, eſt integritas & perfectio rei ſecundùm ſe ſpectatæ. Hanc integritatem laudavit Deus in operibus ſuis; legitur enim Gen. 1. *viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*, quia ſcilicet erant perfectiſſima in ſua ſpecie; nec ulli deerat quidquam ex iis, quæ illius naturæ congruebant.

Relativum, eſt virtus perficiendi aliud, ſeu perfectivitas, adeo ut bonum relativum idem ſit ac perfectivum.

Q. 5. *Omne bonum abſolutum eſtne etiam bonum relativum reſpectu cujuslibet naturæ?*

R. Minimè; nam calor, qui eſt bonus igni, nocivus eſt aquæ; venenum, quod perficit ſerpentem, corrumpit hominem; denique ex ſancto Auguſtino, quod natura eſt pecoris, vitium eſt hominis, id eſt quod conſentaneum naturæ pecorinæ, eſt diſſentaneum naturæ rationali.

Q. 6.

Q. 6. *Quænam sunt proprietates boni relativi?*

R. Convenientia & appetibilitas: hoc enim ipso, quo res est alterius perfectiva, est quoque ei conveniens, ac consequenter ab ea appetibilis.

Ergo nihil appetibile aut conveniens, nisi bonum: nullum autem bonum, nisi perfectivum.

Ergo sola actio humana censenda est bona, quæ est hominis perfectiva.

Ergo nec divitiæ, nec voluptas, nec fama seu honores sunt bonum hominis; quia illum non perficiunt, nec reddunt meliorem: imo, si hujusmodi adhæreat, deprimunt, deterioremque efficiunt; quemadmodum enim aurum ex commixtione metalli inferioris fit minoris pretii, sic animus redditur deterior, cùm rebus inferioribus agglutinatur. *Fieri non potest*, inquit S. Augustinus in Psalm. 32. *ut res deterior te faciat meliorem: deterius te est quidquid cupis, quo beatus esse desideras. Aurum, argentum, quælibet corporalia, quibus inhias acquirendis, fruendis, possidendis, inferiora sunt . . . Potest corpus tuum melius fieri per meliorem* (animum;) *quia subjectum est corpus animo . . . . . ut cùm fuerit justus animus tuus sit postea immortale etiam corpus tuum . . . jam ergo superest ut quæras quid melius sit, quàm animus tuus.* Angelus quidem melior est homine, sed non est bonum hominis; quia non est perfectivus hominis; cùm homo non sit formatus ad possidendum Angelum: quemadmodum lumen, quamvis sit melius odore, non potest tamen perficere odoratum; quia odoratus factus non est ad recipiendum lumen.

Ergo Deus est summum bonum cujuslibet rei; quia rerum omnium est summè perfectivus; per-

fectio enim effectus est assimilari suæ causæ, ex qua haurit quidquid in se habet bonitatis. Porrò sicut oculi inter omnia corporis membra, quæ lumine perlustrantur, speciali modo illius capaces sunt, utpote ad illud recipiendum specialiter formati & dispositi; non enim lumine circumfunduntur duntaxat, quemadmodum alia corpora; sed illud percipiunt ac sentiunt, illo fruuntur, delectantur, & ita perficiuntur, ut & ipsi evadant lumina, juxta illud Matth. 6. *lucerna corporis tui est oculus tuus:* maxima verò sit illis pœna & miseria, si in tenebris jaceant. Similiter ex omnibus creaturis, quæ bonitate divina collustrantur, sola mens humana & Angelica efformata est ac ordinata ad illam percipiendam & possidendam cognitione & amore. *Erat lux vera*, ait Evangelista, *quæ illuminat omnem hominem*, nullum verò pecus. Et Apostolus 2. Cor. 3. *Nos verò omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à charitate in charitatem*, id est, adempto velamine terrenorum, animum ad Deum erigentes, participes efficimur ejus gloriæ, sapientiæ, ac divinitatis; & in illa claritate in dies proficimus, donec venerit quod perfectum est: *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, 1. Joan. 3.

Ergo actus humanus eò est melior, quò magis Deo conjungit; quia naturam rationalem magis perficit: pejor verò, quò magis à Deo avocat; quia naturæ rationali magis repugnat, eamque magis inficit ac corrumpit.

Ergo actus mali miserum hominem reddunt; cùm enim sint contrarii & noxii naturæ rationali, non minùs illam excruciant, quàm pulvis & aliæ

aliæ ſordes oculum corporis: *Et ideo*, inquit ſanctus Auguſtinus, Concione ſecunda in Pſalm. 32. *perverſi ſunt homines, qui mali volunt eſſe, miſeri nolunt. Et cùm malitiæ ſit individua comes miſeria, iſti perverſi non ſolùm mali eſſe volunt, & miſeri nolunt, quod fieri non poteſt; ſed ideò volunt mali eſſe, ne miſeri ſint.* Peccatum eſt vermis ille, qui in damnatis non moritur; quia corrodendo, malitiam eorum nunquam abſumit.

Ergo obſervatio mandatorum præſertim legis naturalis eſt toto corde expetenda, quia naturæ rationali maximè conveniens: ideò autem maximè conveniens, quia ipſius ſummè perfectiva, ac proinde ſummè delectabilis; operatio enim, quò perfectior, eò magis delectat, ut infrà dicetur. Unde vox eſt Eccleſiæ: *Dilexi mandata tua ſuper aurum, & topazion .... Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa.* Pſ. 118. *Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multùm, & dulciora ſuper mel & favum.* Pſ. 18. Si quid autem difficultatis & moleſtiæ nunc ſentimus in exequendis Dei mandatis, unde interturbatur hæc juſtitiæ ſuavitas, illud oritur ex palato animæ malè affecto, & ex colluctatione carnis & ſpiritus, propter quam vigiliæ, abſtinentiæ, & aliæ corporis afflictationes aſſumendæ ſunt veluti collyria, quibus ſanatur ſpiritualis oculus. Sed illa corporalis exercitatio locum non habebit, reparata ſanitate: juſtitiæ verò amor & cultus in æternum manebit, utpotè vera hominis perfectio & felicitas: quid eſt enim poſſeſſio Dei, inquit S. Auguſtinus, niſi poſſeſſio ſapientiæ & totius juſtitiæ? Deus quippe eſt veritas, & juſtitiæ plenitudo; ac proinde noſtra beatitudo, quæ in poſſeſſione Dei conſiſtit, eſt gaudium de veritate & de juſtitia.

Ergo

Ergo latum eſt diſcrimen inter legem naturalem & leges civiles ac humanas: iſtæ nimirum plerumque ſunt onera, quibus ſubjici ſervitus eſt, & ſubduci ſingularis gratia principis; quia bonum commune, quod ſpectatur à lege humana, & præſertim attenditur in principe, quandoque pugnat cum bono privato. Contra verò, legem naturalem implere uſque ad minimos apices, vera eſt hominis libertas, vera felicitas, & maximum Dei beneficium; ipſa quippe eſt divinus radius legis æternæ, fulgor Imaginis Dei, quæ ex ſancto Auguſtino Libro 12. de Trinitate cap. 11. *Non cuſtoditur niſi ad ipſum, à quo imprimitur: Ut . . . . ſe homo laudet,* ait enarrat. in Pſal. 144. *arrogantia eſt: ut Deus ſe laudet, miſericordia eſt . . . . Itaque quoniam hoc nobis prodeſſe novit, ut amemus eum, laudando ſe amabilem ſe facit.* Quid ita? *quia bonum amando, nos meliores efficimur.* Hæc eſt gratia, quam Filius Dei nobis promeruit, quamque continuò poſtulamus, ut mandata Dei adimpleamus; quia in illis cuſtodiendis ſalus & perfectio noſtra: *Deus nihil jubet, quod ſibi proſit: ſed illi, cui jubet,* S. Auguſtinus Epiſtola 138. aliàs 5.

Dices: 1. Rectitudo ſeu bonitas artefacti conſiſtit in conformitate ad regulas artis: ergo & bonitas actionis humanæ in conformitate ad legem, quæ eſt regula morum. Hinc à S. Auguſtino definitur peccatum, *factum, dictum, vel concupitum contra Legem Dei.*

Diſtinguo anteced. Conſiſtit in conformitate ad regulas artis ſecundariò, Concedo: primariò, Nego anteced. Nam opus artificis eò præciſè & formaliter eſt rectum, quò aptum & concinnatum uſui, ad quem deſtinatur; domus v. g.

tum perfectè ædificata censetur, cùm est commoda & benè disposita ad habitandum. Per applicationem verò regularum, tanquam per mensuram cognoscitur domus habere perfectionem, quæ ei competit; proindeque conformitas cum regulis est quid consequens ipsam operis perfectionem. Similiter actio humana bona est præcisè, quia conformis est naturæ rationali: sed bonitas illa deprehenditur vel per conscientiæ testimonium, vel per Legis applicationem, cui si contraria reperiatur, rectè judicatur mala, & ita potuit definiri peccatum per oppositionem ad legem, tanquam per aliquid consequens & magis notum.

Instabis 1. Actio mala non est, nisi intelligatur facta contra aliquam prohibitionem: ergo malitia primariò consistit in difformitate ad legem.

Nego anteced. Quia nonnulla sunt per se mala, & ideò prohibita: cur enim verbi gr. Lex æterna prohibet mendacium, nisi quia per se malum? ergo priùs mendacium intelligitur malum, quàm intelligatur prohiberi. Cur verò per se malum est, nisi quia repugnat naturæ divinæ, & Imagini ejus, scilicet naturæ rationali?

Instabis 2. Actio humana contra legem positivam, v. gr. manducare carnes die veneris, agrum colere die festo, non est mala, nisi quia prohibetur; sublata enim prohibitione, licitum erit illis diebus carnes manducare, & agrum colere: ergo malitia ejusmodi actionum non consistit in difformitate cum natura rationali, sed cum lege.

Nego conseq. Quia non obedire legitimæ potestati, est res per se mala, & repugnans naturæ rationali & divinæ.

Dices 2.

Dices 2. Perfectio Imaginis consistit in conformitate cum suo exemplari ; defectus verò in difformitate : atqui Deus est exemplar rerum omnium : ergo perfectio seu bonitas actionum nostrarum reponenda est in conformitate cum bonitate divina, ac consequenter cum Lege æterna, seu voluntate divina.

Confirmatur : actio contraria naturæ rationali habet rationem offensæ Dei : atqui offensa Dei intelligi non potest, nisi actio facta sit contra legem æternam, & Dei voluntatem : ergo actio humana eò præcisè bona vel mala est, quò fit secundùm, vel contra Legem æternam.

Respondeo, concedendo primum argumentum ; quidquid enim conforme vel difforme est Imagini, eo ipso censetur, conforme, vel difforme ejus propotypo, seu exemplari. Perinde ergo est reponere bonitatem, & malitiam actionum humanarum in conformitate & difformitate, sive cum natura rationali, sive cum natura divina, quia quod convenit aut repugnat uni, convenit & repugnat alteri, cùm altera habeat rationem exemplaris, altera verò Imaginis. Unde Lex naturalis nihil est aliud, quàm impressio divinæ bonitatis, & radius quidam Legis æternæ, quam S. Bernardus vocat Legem Dei, adeò ut conveniat homini eadem probare & improbare, velle & nolle, quæ Deus probat, & improbat, amat, & rejicit. Aptiùs tamen exprimitur bonitas, & malitia actionum humanarum per conformitatem & difformitatem cum natura rationali, quàm cum natura divina ; quia cùm bonitas divina alio modo participetur ab homine, quàm à creaturis inferioribus, multaque fiant ab istis naturæ suæ confor-

mia, ac consequenter Legi æternæ, quæ tamen essent vitia in natura rationali, debuit potiùs definiri bonitas, aut malitia actionis humanæ per conformitatem, aut difformitatem cum natura rationali.

Ad confirmationem respondeo, actionem rationali naturæ repugnantem verè esse offensam Dei; quia est contra ejus bonitatem, ac consequenter contra Legem æternam.

Instabis ex sancto Augustino Enchir. cap. 101. *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult . . . . tanquam si bonus Filius Patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona: velut si malus Filius velit mori Patrem, velit hoc etiam Deus.* Ergo quæ conveniunt naturæ rationali, non semper conformia sunt bonitati divinæ, & Legi æternæ.

Distinguo consequens: Non semper conformia sunt in objecto materiali, seu in re volita, Concedo: In objecto formali, seu in ratione & modo volendi, Nego conseq. Itaque cùm Deus voluntate optima & rectissima voluerit mortem Patris alicujus, voluntas ejus non potest honestè displicere voluntati Filii. Sed si spectetur objectum materiale, seu res volita, Filius non solùm potest, sed etiam debet nolle mortem Patris, saltem voluntate conditionata, licèt Deus illam absolutè velit; quia ejusmodi conditionata voluntas non est contraria divinæ; Deus enim posuit necessitudines inter propinquos & amicos, efficitque propensiores voluntate ad invicem, quemadmodum inclinat membrum corporis, v. gr. brachium ad sui conservationem, ita tamen ut paratum

tum sit se exponere pro salute capitis. Imò nec Deus ipse secum pugnat, cùm voluntate antecedenti & conditionata vult omnes homines salvos fieri, cùm tamen plures ex his damnare decreverit: sicut nec Judex sibi ipsi est contrarius, dum morti addicit reum, quem vellet vivere, ista quippe sub diversis rationibus appetuntur, in quibus voluntas humana, si recta sit, semper est conformis divinæ.

Dices 3. Si quis ex ignorantia invincibili credat sibi mentiendum esse, ut eruat proximum à periculo mortis, actio illa est difformis naturæ humanæ: nec tamen mala est: ergo malitia actionis non est difformitas cum natura humana.

Distinguo anteced. Est difformis materialiter, Concedo: formaliter, Nego anteced. Convenit enim naturæ rationali, ut operemur secundùm quod ratio dictat post adhibitam, quam possumus, diligentiam. Porrò qui errat in hac vel simili hypothesi, non minùs est laudandus, quàm artifex, qui opus suum perficit secundùm regulas artis, sed in materia, cujus vitium cavere non potuit, nec debuit.

CAPUT III.

Utrùm omnis humana actio sit bona vel mala, nec ulla sit indifferens?

Quæstio esse nequit de actionibus indeliberatis, & sine advertentia elicitis; quia cùm humanæ non sint, hoc est, nec liberæ, nec morales; bonitas aut malitia moralis non potest eis competere. In confesso est apud omnes dari actiones

humanas ex objecto planè indifferentes, hoc eſt, actiones, quæ verſantur circa objecta nec bona, nec mala, cujuſmodi ſunt ambulatio, lectio & plures actiones ludicræ.

Controverſia itaque, & quidem celebris eſt in Scholis tum Philoſophicis, tum Theologicis, utrùm actiones humanæ ex objecto indifferentes, poſſint quoque eſſe formaliter indifferentes in individuo, ſeu in exercitio. Ad quam dirimendam,

Nota bonitatem & malitiam actuum humanorum non repeti ex objecto duntaxat, ſed etiam ex fine & circumſtantiis, adeò ut actio poſſit eſſe indifferens, vel etiam bona ex objecto; mala autem vel ex circumſtantiis, ut ludere, & confabulari in Templo; vel ex fine, ut legere ad oſtentationem, ſcilicet, ut in Litteris verſatus appareas. His præmiſſis, ad propoſitam quæſtionem,

R. I. Vix in hocce ſtatu naturæ corruptæ datur actio ex objecto indifferens, quæ in individuo non fiat mala aut bona, ex fine aut circumſtantiis.

Probatur; Quia omnis actio, quæ vel procedit ex concupiſcentia & cupiditate, vel quæ caret debitis circumſtantiis, procul dubio mala eſt, atqui in hocce naturæ corruptæ ſtatu, niſi ratio invigilet, attendatque ad honeſtatem, ut benè & laudabiliter ejuſmodi actiones fiant, ſemper, aut ferè ſemper vel procedunt, ex concupiſcentia, hoc eſt, ex motivo ſuperbiæ, vanitatis, cupiditatis, & voluptatis, vel ſaltem carent debitis circumſtantiis: ergo ſemper, aut ferè ſemper malæ ſunt, niſi ad honeſtatem dirigantur.

Major

Major probatur 1. ex Scriptura, Ecclesiastici cap. 18. *Post concupiscentias non eas, & à voluntate tua avertere.* 2. Ex Clero Gallicano, qui anno 1700. hanc propositionem jam ab Innocentio XI. proscriptam anno 1679. *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*, hac censura notavit, *hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, & ad Epicuri Scholam ablegada.* 3. Quia mala arbor malos fructus facit, Matth. 7. Atqui concupiscentia est mala arbor, ex S. Augustino passim contra Julianum, & alios, & Pelagianos: Ergo. Prætereà bonum est ex integra causa, malum verò ex minimo defectu: ergo si humana actio fiat sine omnibus circumstantiis debitis, mala est absque dubio.

Minor probatur 1. Quia in hoc statu caro concupiscit adversùs spiritum, sensus & passiones non expectant rationis imperium, sed præveniunt; ac proinde dormitante ratione, dominantur concupiscentia & carnales animi affectus. Deinde ferè semper ejusmodi actiones inordinatæ sunt ex aliqua circumstantia. 1. In iis plerumque perditur tempus, cujus jactura pejor est quàm pecuniæ. Hac de causa Christus Matth. cap. 12. omne verbum otiosum damnat: *Manet nos*, inquit Tertullianus Lib. de Patientia cap. 8. *omnis vani & supervacui dicti reatus.* Et sanctus Cæsarius Hom. 30. *Si extra Ecclesiam occupari otiosis sermonibus, malum est, quantò magis in Ecclesia?* Sanctus quoque Bernardus sermone de triplici Custodia, ait: *nemo vestrûm, fratres, pauci æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis.* 2. Actiones ex obje-

cto indifferentes, nisi ratione regantur, mentem phantasmatibus obnubilant, & rebus terrenis implicant, minusque ad divina reddunt expeditam. Quis autem indifferentes dixerit actiones adeò noxias? Restat ergo quæstionem esse de iis actionibus, quibus naturæ indulgetur, secluso omni motivo honestatis & turpitudinis, nulla dominante cupiditate, nullavè interveniente circumstantia mala, quæ hypothesis potiùs pertinet ad statum naturæ innocentis, quàm ad præsentem. Utrum autem ejusmodi actiones, si dentur, sint indifferentes in individuo, aut in exercitio?

R. 2. Ejusmodi actiones non sunt indifferentes, quia homo non est purum animal, sed animal rationale: ergo tenetur humano modo, id est, rationabiliter naturæ infirmitatem juvare, & necessitatibus ejus subvenire. Quòd si in hujusmodi more pecudum sensibus deserviat: Imaginem Dei in se deturpat, & naturam rationalem deformat: *Honor hominis verus*, inquiebat supra S. Augustinus, *est Imago . . . . Dei, quæ non custoditur, nisi ad ipsum, à quo imprimitur*; dedecus verò ejus similitudo pecoris, dum ad ima propellitur, id est, ad ea, quibus pecora delectantur.

Confirmatur, ex S. Bernardo Serm. 36. Cant. *Sunt*, inquit, *qui scire volunt eo tantùm fine, ut sciant & turpis curiositas est.*

Porrò quid magis conveniens naturæ rationali, quàm scire, cùm id maximè appetat? Attamen turpe est id velle, juxta sanctum Doctorem, nisi adsit aliquod motivum honestum, scilicet, vel ut ædificemur ipsi, vel ut alios ædificemus. Audiamus ergo Apostolum, his verbis graviter monentem 1. ad Corinth 10. vers. 31. *Sive*

ergo

ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis omnia in gloriam Dei facite.

CAPUT IV.

De objecto Actuum humanorum.

Diximus bonitatem & malitiam ex triplici capite repeti, nempe ex objecto, circumstantiis & fine. Cur autem & quomodo objectum conferat ad bonitatem & malitiam actuum humanorum, hic demonstrandum suscipimus. Itaque

Q. 1. *Quare bonitas & malitia Actuum humanorum desumuntur ab objecto?*

R. Quia actus formam & speciem ab eo recipiunt, visio v. g. differt essentialiter ab auditu, estque eo melior & nobilior: quia habet objectum nobilius: ergo si objectum actus humani sit bonum aut malum, actus similiter erit bonus aut malus.

Confirmatur responsio ex amore, prima radice omnium actuum humanorum, cujus proprium est transferre amantem in amatum, juxta illud Oseæ 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Et S. Augustinus tract. 2. in primam S. Joannis, num. 14. *talis est quisque*, inquit, *qualis ejus dilectio est. Terram diligis? terra es: Deum diligis? quid dicam? Deus eris.*

Q. 2. *Quotuplex est objectum?*

R. Duplex, materiale, & formale.

Materiale est id, circa quod versatur actio, v. gr. miseria pauperis est objectum materiale actus misericordiæ; quia circa illam versatur.

Formale est ratio, sub qua actio tendit in objectum; sic sublevatio pauperis est objectum formale actus misericordiæ; quia misericordia tendit in pauperem sublevandum.

Q. 3. *Ex quonam objecto actus desumit suam bonitatem, aut malitiam?*

R. Ex utroque, sed præcipuè ex objecto formali.

Probatur 1. de Materiali; quia quo objectum materiale est præstantius, eò perfectior actus existit, cæteris paribus; quo verò naturæ rationali magis repugnat, eò actus est pejor. Hinc amor Dei melior est amore proximi, licèt uterque habeat idem objectum formale, nempe bonitatem Dei; & odium Dei pejus est odio proximi. Deinde objectum per se malum putà mendacium, reddit actum malum, etiamsi voluntas in illud feratur motivo honesto, v. g. charitatis.

Probatur 2. de objecto formali, ex S. Augustino tract. 17. in primam S. Joannis: *Non quid faciat homo*, inquit, *considerandum est, sed quo animo & voluntate faciat. In eodem facto invenimus Deum Patrem, in quo invenimus Judam: benedicimus charitatem, in qua Pater Filium, & Filius seipsum tradiderunt: detestamur iniquitatem, qua Judas Dominum.*

Prætereà objectum materiale vel est per se indifferens, ut deambulatio, & sic nullam actui tribuere potest bonitatem, nisi ratione objecti formalis, ut si fiat ambulatio motivo Religionis: vel est per se bonum, ut sacrum audire, parentes colere, nec sic reddit actionem bonam, nisi voluntas moveatur bonitate objecti formalis, (quod ideò dicitur objectum motivum) audiaturque sacrum motivo Religionis, colantur parentes motivo pieta-

pietatis; qui enim indifferenter ista præstaret, actio ejus non esset bona.

Q. 4. *Quæ mentis attentio & intentio requiritur ut objectum formale seu motivum bonitatem conferat operi?*

Advertes quadruplicem distingui intentionem. Prima dicitur interpretativa, cùm quis ita est affectus, ut si tale motivum in mentem veniret, ex illo operaretur. Secunda est habitualis, ut in amente, qui multa facit ex habitu, quem sanus contraxerat. Tertia est actualis cùm quis actu advertit ad honestatem objecti, & ex ea movetur. Quarta est virtualis, estque effectus actualis intentionis, quæ præcessit, ut in Concionatore, qui ex actuali motivo charitatis concionari incipit, sed in decursu totus est ad persuadendum, non attendens ampliùs pulchritudinem charitatis. Intentio tamen actualis, quæ præcessit, dicitur virtualiter manere; quia virtute illius concionem prosequitur. His præmissis,

R. 1. Intentio interpretativa nullam actibus tribuit bonitatem; quia in illos nullatenus influit. Deinde non sufficit ad culpam, nec enim Deus quenquam condemnabit propter mala, quæ fecisset, si hæ aut illæ occasiones occurrissent: ergo multò minùs sufficit ad bonitatem, quæ plus voluntarii & liberi requirit.

R. 2. Habitualis intentio præcisè sumpta nullam actibus confert bonitatem aut malitiam; quia actiones, quæ fiunt ex habitu, nec sunt liberæ, nec morales, nec proinde capaces bonitatis, aut malitiæ; quod videre est in allato amentis exemplo, qui multa dicit aut facit ex habitu, propter quæ non meretur laudem, aut vituperium.

Dices:

Dices: Qui sæpiùs pejerat ex habitu, toties peccat, etiamsi non advertat se pejerare.

Distinguo antecedens. Si consuetudinem non retractaverit, voluntariéque remaneat habitùs, Concedo; Quia qui vult liberè causam, censetur velle cætera, quæ inde consequi ignorare non potest: peccat, si habitum retractaverit, Nego antecedens: Actiones enim, quæ sine advertentia procedunt ex habitu, quem patitur quis contra voluntatem, nec sunt voluntariæ, nec liberæ.

R. 3. Actualis intentio non est necessaria, sed virtualis sufficit, ut actiones virtute illius elicitæ sint bonæ moraliter.

Probatur 1. Auctoritate S. Thomæ Lib. 3. cont. gent cap. 138. in quo sic habet: *Voluntas præcedens actum, manet virtute in tota consecutione actus, & ipsum laudabilem reddit, etiam quando de proposito voluntatis, propter quod actus incœpit, in executione operis non cogitatur, non enim oportet quòd qui propter Deum iter arripuit, in qualibet parte itineris de Deo cogitet actu.* 2. Talis est operandi modus hominis, & si quid ultra ab eo exigatur, plusquam humanum est: operarius, verbi gratia, tota die de mercede cogitare nequit, nec peregrinus de patria, ad quam tendit, & nihilominus ille tota die operatur mercedis amore, & iste pergit patriæ desiderio.

Ex quibus sic argumentari licet: illud opus verè est bonum, quod fit ex motivo honesto: atqui opus, quod fit propter Deum virtute præcedentis actualis intentionis, est ex motivo honesto: ergo verè est bonum.

Q. 5.

Q. 5. *Quandonam recta intentio, quæ manè præcessit, censetur per totam diem virtualiter manere, bonitatemque conferre singulis diei operibus?*

R. 1. Cum sancto Bonaventura in 2. dist. 41. art. 1. quæst. 3. Satis non est, quòd quis manè offerat Deo quidquid per diem facturus est, nisi pius ille affectus influat in singula ejus opera; quia alioquin non essent effectus, sed objectum præcedentis voluntatis: atqui objectum non desumit bonitatem ullam à bona voluntate, quæ circa illud versatur; nec enim aliorum actiones meliores evadunt ex eo quòd charitatis affectu illas Deo offeram, cùm non procedant ex bona mea voluntate.

R. 2. Ut intentio, qua quis manè intendit omnia opera referre ad Dei gloriam, sit efficax, comprimat necesse est quoslibet contrarios affectus; quibus mens præveniri solet, putà lucri faciendi, voluptatis captandæ, famæ consequendæ, &c. ac sola ubique dominetur, aliàs sequentia opera non essent ejus effectus sed cupiditatis.

Q. 3. Quantumcumque matutinis horis ferveat hujusmodi intentio, vix tamen erit causa omnium operum nisi identidem iteretur, præsertim si opera illa varia sint ac disparata, & operans modicam habeat virtutem. Et ratio est, quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & caro continuò concupiscit adversùs spiritum. Unde sicut aqua ad ignem semel calefacta, paulatim tepescit, ac tandem frigescit propter naturalem ad frigus propensionem; sic & intentio nostra sensim remittitur, nisi per certa temporis intervalla nos ipsos admoneamus, & mentem ad Deum erigamus.

Dixi 1. *Præsertim si opera illa varia sint ac dispa-rata:* Nam si quis per totam diem vacaret unico operi, v. gr. peregrinaretur motivo Religionis, vel Litteris operam daret ex affectu charitatis, faciliùs intelligeretur perseverare pia intentio, maximè si initio remissa non fuerit, nec contrario affectu, putà vanitatis, oppugnetur.

Dixi 2. *Et operans modicam habeat virtutem;* diuturnior enim esse potest recta intentio in viris sanctis: tum quia ardentiùs in Deum feruntur, nec proinde tam citò tepescunt: tum quia passiones in illis moderatiores sunt, nec ita acriter rationem impugnant; quemadmodum enim globus semel percussus, diutiùs ac longiùs volvitur in via declivi, quàm in acclivi; sic & pia affectio constantior esse solet in animo propenso in bonum, quam in repugnante. Hæc est salutis via, quam quisquis non tenuerit, errat, & in vanum currit, *non enim qui spiritu suo agunt, sed quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei.* Augustinus in Psalm. 118.

CAPUT V.

De Circumstantiis actuum humanorum.

Q. 1. *Quid sunt circumstantiæ actuum humanorum?*

R. Sunt quædam conditiones morales, quæ circumstant & comitantur actum humanum, ut tempus quo, & locus ubi producuntur.

Q. 2. *Quare bonitas & malitia actuum humanorum desumuntur ex circumstantiis?*

R. Quia sicut dantur objecta consentanea, aut dissentanea naturæ rationali, ita & circumstantiæ. Si enim decet v. gr. vestire nudum, quod

quod eſt objectum miſericordiæ, multò magis ſi nudus ille ſit Sacerdos, quæ eſt circumſtantia hujuſce actus miſericordiæ. Item ſi turpe eſt ſpoliare proximum, turpius ſi pauper ſit, ſi Sacerdos. Primum pertinet ad objectum injuſtitiæ, cætera habent rationem circumſtantiarum.

Confirmatur. Bonitas operis naturæ, v. gr. equi, non conſiſtit in ſola equi eſſentia, ſed ex variis accidentibus, membrorum proportione exurgit. Perfectio quoque artefacti præter figuram, quæ eſt forma artificialis, complectitur varium ornatum, concinnam partium habitudinem & diſpoſitionem. Ergo ſimiliter bonitas moralis actuum humanorum non à ſolo objecto, à quo formam & ſpeciem accipiunt, ut diximus, ſed & ab adjunctarum circumſtantiarum concurſu petenda eſt, v. gr. ſi congruant perſonæ, loco, tempori, &c.

Q. 3. *Quot ſunt circumſtantiæ actuum humanorum?*

R. Septem vulgò numerantur, ſequenti verſu expreſſæ:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis, ſignificat conditionem operantis, ſi juſtus aut peccator eleemoſynam tribuat; ſi conjugatus aut voto aſtrictus fornicetur.

Quid, denotat conditionem objecti, an magna, aut levis plaga ſit inflicta; an res furto ſublata ſit ſacra, aut profana; an odium contra totam familiam exarſerit, vel contra privatam perſonam.

Ubi, locum deſignat, an peccatum commiſſum ſit in loco ſacro, vel profano.

Quibus

Quibus auxiliis, v gr. quibus instrumentis usus sit homicida; inde enim colligitur num homicidium fuerit casuale, aut voluntarium: an consulens proximi commodo, mendacium adhibuerit, ex hac quippe circumstantia actus efficitur malus; quia ex sancto Augustino Libro contra mendacium, cap. 7. num. 18. *Quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt.*

Cur, Exprimit finem extrinsecum, qui est accidentalis actui, quique dicitur finis operantis, v. gr. cur largitus est eleemosynam, an ut Deo satisfaceret pro peccatis?

Quomodo, notat modum actionis, an facta sit remissè, aut intensè, an ex malitia aut ex ignorantia & infirmitate; an ex negligentia, aut ex contemptu.

Quando, significat tempus, utrùm v. gr. die festo quis inebriatus sit? agrum proximi messuerit; quia in posteriori exemplo actus pugnat contra justitiam simul & Religionem; in priori verò contra temperantiam & Religionem.

Q. 4. *Quid observandum circa circumstantias?*

R. Expendendum an novam addant speciem bonitatis, aut malitiæ; an augeant duntaxat, aut minuant, sive notabiliter, sive leviter intra eandem speciem.

Q. 5. *Quandonam circumstantiæ novam addunt speciem bonitatis aut malitiæ, vel augent duntaxat?*

R. 1. Addunt novam speciem bonitatis, aut malitiæ, quando efficiunt, ut actus vel pertineat ad diversas virtutes, vel contra eas pugnet. Sic circumstantia Sacerdotis in paupere sublevando efficit, ut eleemosyna pertineat ad misericordiam, &

& ad Religionem. Similiter malitia furti in loco ſacro, eſt contra juſtitiam & Religionem propter circumſtantiam loci.

Hinc in genere moris plures peccati ſpecies poſſunt concurrere in uno & eodem actu, propter multiplices ejus circumſtantias, ut patet in Sacerdote, qui ad peccandum induxit ſuam conſanguineam conjugem: 1. enim peccavit contra charitatem, ratione ſcandali, quo induxit aliam perſonam ad peccandum: 2. contra caſtitatem: 3. contra Religionem, ut qui ſit perſona ſacra: 4. contra juſtitiam erga maritum: 5. contra reverentiam conſanguineis debitam, quod peccatum dicitur inceſtus. Et hæc accuratè ſunt obſervanda, cùm in Sacramentali confeſſione explicari debeant, ex definitione Concilii Tridentini Seſſ. 14. Can. 7. his verbis: *Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia . . . & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant . . . anathema ſit.*

Dixi, *quando pugnat contra aliam ſpecie virtutem*, non verò contra duo præcepta eandem virtutem ſpectantia, ut contingeret in eo, qui jejunium quadrageſimale violaret iis diebus, quibus occurrunt jejunia Quatuor Temporum; is enim unius ſpecie peccati reus eſſet; quia duo illa jejunii præcepta eodem die occurrentia ad unam pertinent virtutem. Secùs ſi ſolvens jejunium quadrageſimale, ex alia virtute adſtringeretur præcepto jejunii, putà ex Religione voti, vel ex injuncta à Confeſſario ſatisfactione; cùm enim diverſa illa præcepta ſpectent diverſas virtutes, violatio jejunii quadrageſimalis in illo caſu eſſet duplex ſpecie peccatum.

R. 2. Circumſtantiæ augent vel minuunt notabiliter bonitatem, ſive malitiam actus intra eandem ſpeciem virtutis ſive peccati, quando longè major aut minor eſt honeſtas ſive turpitudo in cultu, aut violatione ejuſdem virtutis. Sic longè laudabilior eſt qui pauperem ſublevat ex neceſſariis, quàm qui ex ſuperfluis; qui cum fervore perſeverat in bono opere arduo & difficili, quàm qui remiſſè & leviter illud attingit. Contra verò graviùs peccat contra juſtitiam, qui furatur ingentem pecuniæ ſummam, quàm qui modicam: qui, cùm Sacerdos ſit, peccat contra caſtitatem & Religionem, quàm qui Diaconatu, aut Subdiaconatu duntaxat eſt initiatus. Utrùm autem ejuſmodi circumſtantiæ, quæ notabiliter peccatum aggravant, in Confeſſione Sacramentali ſint explicandæ, expendetur ubi de Pœnitentia.

Q. 6. *Quid requiritur, ut actus humanus bonitatem aut malitiam ex circumſtantiis trahat?*

R. Ut conferat actui bonitatem, neceſſe eſt, ut ſint præviſæ, & aliquo modo intentæ, quatenus honeſtæ ſunt; quia ex dictis nulla eſt bonitas moralis niſi ſit voluntaria. Ut autem conferant malitiam, ſatis eſt; quòd cùm vitari poſſint & debeant, nihilominus voluntas illas vitare negligat; malum quippe eſt nolle declinare à malo. Hinc qui dat eleemoſynam Sacerdoti, non attendens circumſtantiam perſonæ, non elicit actum Religionis, ſed miſericordiæ duntaxat. Qui verò eum percutit, nullam Sacerdotii habens rationem, peccat ſimul contra juſtitiam, & Religionem. Et ratio hujuſce diſcriminis eſt quòd bene agere ſit quædam perfectio, quæ in actibus humanis elucere non poteſt ſine aliqua diligentia &

conatu

conatu voluntatis: malè verò agere sit defectus qui sequitur negligentiam & socordiam.

Dices: Actio bona ab homine justo elicita, est meritoria, etiamsi justus non advertat ad meritum: ergo circumstantiæ conferunt bonitatem actioni, quamvis nec cognoscantur, nec intendantur.

Nego conseq. Quia meritum aut demeritum sunt quid necessariò consequens opus bonum, vel malum independenter ab intentione agentis; eo enim ipso quis meretur laudem, aut vituperium, quo voluntariè & liberè facit, quæ sunt naturæ rationali consentanea aut dissentanea. Imò plus meretur præmii, si gratuitò velit operari; quia opus ejus est magis voluntarium, & ex intensiori amore proficiscitur.

CAPUT VI.

De Fine Actuum humanorum.

Finis in moralibus primum locum obtinet: *Non valdè attendas quid facias homo, sed quid, cùm facit, aspiciat*, inquit sanctus Augustinus in Psal. 31. & sanctus Thomas 1. 2. qu. 1. art. 3. *Actus dicuntur humani*, inquit, *in quantum procedunt à voluntate deliberata: objectum autem voluntatis est bonum & finis: & ideò manifestum est, quòd principium humanorum actuum in quantum sunt humani, est finis.* Quamobrem operæ pretium est, ut de Fine accuratiùs differamus. Ac 1. quidem dicemus de varia finis acceptione: 2. de ejus definitione: 3. de effectibus: 4. de divisione: 5. speciatim de ultimo fine, qui est nobilissima finis species, & hominis beatitudo.

§. I.

De varia Acceptione Finis.

Q. I. *Quotuplex est finis acceptio?*

R. Finis dupliciter accipitur: 1. impropriè pro termino cujusque rei, etiamsi ille non intendatur, hoc sensu mors dicitur finis vitæ, vespera finis diei: 2. propriè pro bono, in quod tendit agens, & quo obtento, cessat motus ejus.

Ergo finis propriè dictus habet rationem causæ & termini: causæ quidem, quia incitat & movet ad operandum, v. gr. sanitas intenta ad quærenda & accipienda remedia: termini quoque, quia obtento fine agens quiescit. Ita sanctus Thomas citatus art. 3. *Id ad quod terminatur actus humanus*, inquit, *est id quod voluntas intendit tanquam finem.*

Dices: Ex præcedenti capite, finis numeratur inter circumstantias actus humani. Ergo non est prima ejus causa.

Distinguo anteced. Actus humani imperati, Conc. Actus humani imperantis, Nego antec. In agente ergo propter finem formaliter, duo sunt distinguendi actus: alter imperans & elicitus, nempe intentio seu desiderium efficax obtinendi finis: alter imperatus, scilic. electio & usus mediorum ad obtinendum finem.

Porrò finis est circumstantia actus imperati, tribuitque illi bonitatem, vel malitiam accidentalem; causa verò motiva actus imperantis conferens illi speciem seu bonitatem, vel malitiam essentialem.

Respon-

Responsio elucidabitur quibusdam exemplis. Qui largitur eleemosynam ad obtinendum remissionem peccatorum, duos elicit actus; alterum imperantem, qui versatur circa finem, estque intentio obtinendæ remissionis peccatorum, & hujusce actus causa motiva est remissio peccatorum, quam agens intendit; ideoque actus ille est elicitus à virtute pœnitentiæ, ex qua speciem & bonitatem essentialem desumit. Alter verò actus est electio & largitio eleemosynæ: imperata à præcedenti actu pœnitentiæ: hic autem actus elicitur à virtute misericordiæ, cujus proprium objectum motivum est sublevare miseriam pauperis, & ex illo objecto habet suam speciem, & bonitatem essentialem. Cùm verò accidentale sit illi, quòd imperetur à virtute pœnitentiæ, fiatque propter hunc vel alium finem, finis respectu illius est mera circumstantia, nec tribuit illi nisi bonitatem accidentalem. Idem cernere est in actu malo, v. gr. in furto propter adulterium patrato: intentio adulterii in eo, qui sic furatur, est actus adulterii & intemperantiæ imperans furtum quod est actus injustitiæ. Prior actus, qui est imperans, malitiam essentialem haurit ex adulterio, quod habet rationem finis & primi moventis. Posterior verò essentialiter malus est ex proprio justitiæ objecto, accidentaliter autem ex fine, nempe ex adulterio, ex cujus intentione imperatur, & ideo finis respectu illius est circumstantia.

Ergo bonitas & malitia actuum humanorum, potissimùm ex fine repetenda est; quia ex dictis actio eatenus est moraliter bona aut mala, quatenus est deliberatè voluntaria: atqui actio maximè ex fine est voluntaria; quia finis propter se

appetitur, cætera verò propter ipsum, per quod autem unumquodque tale, inquiunt Philosophi, & illud magis per se, hoc est, per quod cætera amantur, & illud magis: *Quod enim amatur propter aliud*, inquit sanctus Augustinus, *non illud amatur, sed aliud propter quod amatur:* v. gr. potio medica propriè non amatur, sed sanitas, propter quam potio amara sumitur. Ergo.

Q. 2. *Quotuplici modo finis propriè dictus accipi potest?*

R. Duplici, scilicet in actu primo & in actu secundo.

Finis in actu primo est res ipsa, quæ movere potest ad agendum; virtus autem movendi est ejus bonitas sive vera, sive apparens; in tantum enim allicit ac movet, in quantum est amabilis & appetibilis: atqui allicit quatenus apparet bonus, malum enim quatenus malum non allicit, sed fugat; non appetitur, sed timetur: ergo finis in actu primo est bonum propter se appetibile, saltem apparenter.

Finis in actu secundo est res bonitate sua saltem apparenti actu illiciens, attrahens ac movens. Causalitas ejus seu influxus, est motio seu amor; illud enim est causalitas finis, quo posito, intelligitur finis actu influere, &, ut ita dicam, causare; & quo sublato, non influit, atqui posita motione, seu amore & desiderio finis intelligitur actu influere; nam ex S. Thoma qu. 22. de verit. art. 2. *Sicut influere causæ efficientis, est agere; ita influere causæ finalis, est appeti & desiderari:* sublata verò motione, finis non influit; sicut sublata actione ignis, v. gr. calefactione, ignis actu non agit, nec calefacit; sed est tantùm in poten-

tentia ad agendum & calefaciendum. Ergo. Porrò de fine in actu secundò hìc præsertim agitur.

Ergo Deus est omnium finis in actu primo; quia est summum bonum, quo omnes possunt allici, & moveri desiderio illius assequendi; sed non est peccatorum determinatus finis in actu secundo: quia illis non placet, nec ejus bonitate alliciuntur: *Solus non habet quod nobis displiceat*, inquit sanctus Augustinus, concione 2. in Psal. 32. *& nemo tam multa habet, quæ infidelibus displicent . . . Et . . . (quod piget dicere, sed tamen dicam; nosti enim quàm verum dicam) faciliùs placet Pantomimus quàm Deus.*

§. II.

De Definitione Finis.

Q. *Quomodo definitur finis?*

R. Definitur, id cujus gratia aliquid fit.

Dicitur 1. *Id*, hoc est res bona, saltem apparenter; quia voluntas, ut jam diximus, non potest allici, aut moveri nisi aliquo bono.

Dicitur 2. *Cujus gratia*, id est, cujus amore & fruendi desiderio agens operatur, quo distinguitur finis propriè dictus, tum à medio, tum à fine impropriè dicto, seu à puro termino.

A medio quidem; quia licèt multa fiant propter medium, putà propter præparandum pharmacum, aut lucrandam pecuniam; attamen nec pharmacum, nec pecunia dici possunt finis, cùm illa non fiant amore pharmaci, aut pecuniæ, sed amore duntaxat sanitatis, & commodæ sustentationis, in quibus agens requiescere intendit; nam, ut suprà dicebat sanctus Augustinus, *quod amatur*

propter aliud, non illud amatur, ſed aliud propter quod amatur. Hinc bonum utile, ut utile, non habet rationem finis, quia ad aliud ordinatur.

Dixi, *ut utile;* Quia etſi pecunia non habeat ex ſe rationem niſi boni utilis, apprehenditur tamen ab avaro, ut bonum delectabile, ideóque illam intendit, ut finem, & ejus amore operatur, cùm eam obtentam nedum in proprios uſus conſumat, quin illam diligenter ſervet, & in ejus poſſeſſione quodammodo requieſcat.

Eadem quoque ratione finis diſtinguitur à puro medio, ad quod agens ita opera ſua dirigit, ut illud non appetat, nec illius gratia agat, ut videre eſt in illo, qui cùm multa præparet pro tempore ægritudinis, ad quam novit certò terminandam ſanitatem, qua impræſentiarum fruitur, non habet tamen ægritudinem pro fine, ſed pro termino; quia illam nec amat, nec appetit; ſed quantùm poteſt, propellit. Sic carnales homines quædam bona opera ordinant ad futuram vitam quæ præſentis futurus eſt terminus: ſed finis illorum propriè non eſt, cùm illam non ament, nec appetant; ſed timeant duntaxat, ne poſt præſentis vitæ terminum, miſeri evadant.

Dicitur 3. *aliquid fit*, quo ſignificatur finem eſſe primam omnium operationum ſive naturalium, ſive artificialium, ſive moralium cauſam.

Et ratio eſt, quia omnia appetunt bonum ſuum, & ad illud tendunt moventurque ſive à ſeipſis, ut rationalia, ſive à ſuperiore voluntate, nempe divina, ut irrationalia & inanimata, quæ à Deo aguntur, & diriguntur ſicut ſagitta à ſagittante, inquit S. Thomas. Ergo finis eſt bonum, cujus gratia omnia fiunt. Ex dictis autem omne

omne bonum eſt perfectivum, ac proinde finis cujuſque rei eſt ejus perfectio.

Ergo bonum & finis non reciprocantur; quamvis enim omnis finis ſit bonus, ſaltem apparenter, aliàs non appeteretur; bonum tamen omne non eſt finis; quia multa ſunt bona, propter quæ conſequenda nihil fit: victoria, v. g. & ſcientia ſunt quid bonum, ſed finis non ſunt ignavi & deſidioſi; quia neuter operatur illarum gratia.

Cùm autem homo ſeipſum moveat ad finem: plurimi refert ad mores, ut à ſcopo non aberret, noveritque quid ſit proprium bonum, in quo finem conſtituat, quidve amor finis parere debeat. De primo nonnulla jam prælibavimus capite de objecto actuum humanorum, pluraque dicemus ſequentibus Paragraphis. De ſecundo nunc tractandum ſuadet ordo doctrinæ.

§. III.

De Effectibus Finis.

Q. 1. *Quot ſunt finis effectus?*

R. Octo numerantur. Primus eſt voluntas ſeu volitio, & amor finis. Secundus, intentio, ſeu deſiderium efficax. Tertius, conſilium. Quartus, conſenſus. Quintus, electio. Sextus, imperium. Septimus, uſus mediorum. Octavus, fruitio, ſive quies in fine adepto & bono poſſeſſo. Ex his effectibus tres verſantur circa finem, nempe voluntas, intentio, & fruitio: cæteri verò circa media.

Dices: Omnes illi actus, ſola fruitione excepta, ſunt cauſa finis, cùm per eos acquiratur: ergo non ſunt ejus effectus.

 Diſtin-

Distinguo antec. Sunt causa finis in executione, Concedo: Finis in intentione, Nego anteced. Finis itaque dupliciter spectatur, scilicet in intentione, & in executione. Finis in intentione est bonum voluntati propositum, ut propter se appetendum, & ut sic movet voluntatem ad amorem sui, & ad efficaciter operandum, ut obtineatur, ac proinde est causa actuum, quos recensuimus. Finis verò in executione est bonum jam obtentum & possessum, ut sanitas, commoda habitatio: quod cùm non obtineatur, nisi per inquisitionem, electionem, & usum mediorum, sequitur omnes illos actus esse causam possessionis, quæ vocatur finis in executione.

Q. 2. *Quis ordo illorum actuum?*

R. Bonitate objecti proposita voluntati, 1. locò exurgit simplex volitio, seu amor & complacentia. Hic actus cæteris quidem necessariò præsupponitur; nisi enim placeat bonum apprehensum, v.g. castitas, &c. nullus sequitur conatus ad illud consequendum; sed si sit solitarius, non efficit ut bonum evadat finis in actu secundo; quia simplex complacentia potest versari circa bonum apprehensum, ut impossibile, putà circa victoriam, quam imbellis sibi repræsentat, ut impossibilem: bonum autem apprehensum, ut impossibile, non habet rationem finis, quantumcunque placeat, cùm nihil fiat gratia illius. Nisi ergo simplex illa voluntas, quæ velleitas dici solet, quasi semivoluntas, adjunctam habeat intentionem, effectus finis esse nequit.

Intentio proximè sequitur amorem seu complacentiam; naturale enim est velle possidere, quod placet & amatur. Intentio autem est efficax

cax desiderium finis, seu actus voluntatis efficaciter tendentis in bonum per media consentanea. Ergo intentio continet saltem virtualiter propositum inquirendi, & adhibendi media; qui enim vult sincerè & efficaciter finem consequi, v. g. vincere cupiditates, intelligitur velle uti mediis, sine quibus finis non potest obtineri. Unde patet ex intentione pendere totam humanorum actuum seriem & œconomiam. Porrò qui efficaciter finem intendit, is statim cogitat de mediis, quibus obtineri possit, illaque sollicitè inquirit, si non habeat ad manum. Quare.

Tertius finis effectus statuitur consilium seu deliberatio, estque actus mentis inquirentis, & ponderantis media, eorumque proportionem ad finem; consilium quippe non est de fine, sed de mediis; id enim est finis in agibilibus, inquit sanctus Thomas, quod prima principia in speculativis; sicut ergo in speculativis nulla potest esse quæstio circa principia, an, v. g. idem possit simul esse & non esse; sed circa conclusiones ex iis deductas: similiter in practicis non initur consilium, nec deliberatur de fine, putà, an Deus sit colendus, salus comparanda, superbia, aut fornicatio fugienda, sed de mediis, quibus Deus rectè coli possit, salus obtineri, & superbia aut fornicatio efficaciter vitari. Sine ejusmodi consilio appetitus finis, & propositum illius assequendi quantumcunque vehemens, est inefficax & mera velleitas, quemadmodum sanctus Augustinus in seipso advertit, cùm adhuc illicitis amoribus detineretur. Mirum in modum placebat illi pulchritudo castitatis, ad illam conabatur, nec attingebat, & ideo prorumpebant flumina lacrymarum,

rum, ſed fruſtra: *Tam multa feci*, inquit L. 8. Conf. c. 8. & 9. *ubi non hoc erat velle quod poſſe, & non faciebam quod & incomparabili affectu amplius mihi placebat, & mox ut vellem poſſem . . . unde hoc monſtrum, & quare illud?* Quia nimirum non ex toto volebat, non totus aſſurgebat veritate ſublevatus, conſuetudine prægravatus. Ut ergo intentio finis ſit plena & efficax, ad deliberandum de mediis moveat neceſſe eſt; quia ſine mediis finis obtineri nequit, nec proinde efficaciter intendi.

Dices: conſilium & deliberatio ſunt operationes intellectus: atqui operatio intellectus non poteſt eſſe effectus finis: ergo neque conſilium, nec deliberatio.

Minor probatur. Finis ex dictis non movet, niſi per bonitatem: atqui bonitas non afficit, nec movet intellectum, utpote quæ non ſit objectum intellectus, ſed voluntatis.

Nego minorem, cujus confirmationem diſtinguo, bonitas non afficit, nec movet intellectum immediatè, Concedo: mediatè, hoc eſt, mediante imperio voluntatis, Nego minorem. Voluntas itaque delinita bonitate finis, excitat intellectum ad inquirenda media, quibus finem aſſequi poſſit, applicat, acuitque ad ponderanda quæ ex præcogitatis ſint aptiora, & confutanda quæ à propoſito eam avocare poſſent. Intellectus quippe ſub imperio voluntatis ſe habet ſicut famulus, qui noctu præferens facem ante dominum, non pergit, niſi quò & quà vult dominus, nec lucem admovet, niſi ubi ille præcipit.

Ergo ſicut recta intentione, ita conſilio veraci nititur tota morum diſciplina & bonitas; quia deficiente regula, nimirum ſano & prudenti conſilio

ſilio opus quod ad illam dirigitur ac efformatur, vitioſum exire oportet; ſcriptum quippe eſt Gen. 4. verſ. 7. ut legunt ſancti Auguſtinus & Gregorius juxta ſeptuaginta Interpretes, *ſi rectè offeras, & non rectè dividas, peccaſti*, in quem locum ſanctus Gregorius Lib. 30. Moral. cap. 14. ſic habet: *Rectè non dividitur, ſi hoc quod piè agitur, etiam ſubtiliter non diſcernatur: oblata quippe dividere eſt quælibet bona ſtudia noſtra ſollicitè diſcernendo penſare, quod nimirum qui agere diſſimulat, etiam rectè offerens peccat, & nonnunquam hoc fit reatus criminis, quod putatur cauſa virtutis.* Hinc Spiritus ſanctus Eccli. 37. hiſce graviſſimis verbis monet: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.*

Verùm prudens illud ac ſtabile conſilium non eſt expectandum à peccatoribus, utpote qui careant prudentia ſupernaturali, & ſæpiſſimè naturali. Supernaturali quidem, cujus eſt actus humanos ordinare ad ultimum finem ſupernaturalem; quia cùm illa ſit appendix charitatis, in qua radicatur, ſicut cæteræ virtutes morales infuſæ, pereunte charitate, pereat ipſa neceſſe eſt, regnetque prudentia carnis genuina cupiditatis ſoboles. Sæpiſſimè quoque naturali prudentia carere peccatores conſtans eſt Philoſophorum doctrina; quia juxta tritum illorum effatum, unuſquiſque judicat ſecundùm quod affectus eſt; malè autem affecti ſunt peccatores erga ultimum finem, ac proinde inordinata eorum voluntas, quæ aliis facultatibus imperat, pervertit rationis judicium, & cogit mentem ad nutum ſuum cogitare & conſulere; cogitare quippe à cogendo dictum vult S. Auguſtinus Lib. 10. Conf. capit. 11. *Sic ergo,*

go, inquit S. Bernardus, vel quivis Auctor Tractatus ad Fratres de Monte Dei cap. 16. *voluntas neglecta facit cogitationes otiosas & indignas Deo: corrupta perversas, quæ separant à Deo, pia efficaces ad fruendum Deo:* Et nonnullis interjectis, pergit idem Auctor: *In omni genere cogitationis, omnia quæcunque cogitanti occurrunt, conformantur intentioni voluntatis. Ideo homini Deum amare volenti, vel jam amanti, suus semper consulendus est animus, quid sit quod in totum vult & propter quod vult;* quia scilicet ad votum voluntatis, si plena sit, mens præoccupata dabit consilium. Unde scriptum est Eccli. 8. v. 20. *Cum fatuis consilium non habeas; non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent.* Et Sap. 4. vers. 12. *Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.* Hoc est, cupiditas rerum terrenarum, quæ à Sapiente dicuntur vanitas vanitatum, & à sancto Augustino, nugæ nugarum, mentem decipit, ac fascinat, ut peccati fœditatem, & virtutis pulchritudinem, vel non videat, vel non æstimet; & inconstantia, græcè, agitatio, & impetus cupiditatum ac passionum immutat & evertit sensum hominis, etiam qui alioqui innocens est & sine malitia. Ex quibus discant ipsimet justi tum suspendendum judicium & consilium, cùm pulsari se sentiunt motu iræ, odii, invidiæ, & cujuslibet inordinati affectus; periculum namque est ne concitatus spiritus sine discretione aliquid decernat. *Tolle autem discretionem*, inquit S. Bernardus Serm. 49. in Cant. *virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ.* Et Tractatu de Gradibus Humilitatis cap. 4. *Amor, sicut & odium, veritatis judicium nescit. Vis*

judicium veritatis audire? Sicut audio, judico (Joan. 5.) *non ſicut odi; non ſicut amo, non ſicut timeo ...... A legibus humanis ſtatutum; ſpeciales amicos cauſantium,* (litigantium) *non debere admitti ad judicium; ne vel fallant, vel fallantur amore ſuorum. Quòd ſi culpam amici tuo judicio amor illius aut minuit, aut prorſus abſcondit: quantò magis amor tui tuum contra te judicium fallit?* Uti igitur in pendendis ponderibus æquantur lances, ne ſi examini ſit aliqua inclinatio, judicium iniquum feratur; ita qui deliberat (niſi ſe ipſum decipere velit) omnem privatum affectum ſeponere debet; neque enim quid ipſe velit, illud inquirit; ſed quid efficacius ſit, & magis expediat ad intentum finem conſequendum, qui ſanè non erit legitimus, niſi illum meliorem efficiat, ut patet ex dictis.

Quæ cùm ita ſint, unicuique perſpicuum eſſe debet, deliberationem in iis, quæ ſpectant mores, eſſe periculi plenam, ac veluti ſcopulum, quem humana ratio nunquam declinabit, niſi regatur Spiritu Chriſti, qui idcircò dicitur Conſiliarius, magni conſilii Angelus. Quin ipſemet Plato agnovit conſultationem rem eſſe planè divinam.

Enimverò plures videas, qui deliberant, non quid ad ſalutem, ſed quid ad præſens negotium expediat, ſatiſque illis eſſe videtur, ſi omittant quæ mala ſunt & contra ſalutem evidenter pugnantia, quaſi verò beatitudo obveniat ſine labore & induſtria, nihilque pro ea molientibus. Quàm paucos in ſæculo reperias, qui ſint indeterminati, ac indifferentes circa matrimonium, vel Clericatum: circa Beneficium, aut officium in Republica: circa hanc aut illam artem: ſolúmque

lúmque interrogent, *quid faciens vitam æternam possidebo?* ita ut cætera ſpectentur ab ipſis, ut media duntaxat, quæ ut quibuſdam poſſunt eſſe utilia ad ſalutem, ſic aliis non niſi impedimenta exiſtunt, habita ratione ingenii, indolis, & aliarum diſpoſitionum. Annon omnes, aut ferè omnes, ubi audierint aliquid horum ipſis non congruere, ſtatim opponunt exempla eorum, qui iis in Republica neceſſariis ſtrenuè & laudabiliter defuncti ſunt? Tantumque abeſt, ut illa reſpuant uti æger medicamentum ſanitati ſuperfluum, vel etiam noxium; quin obſtinatiùs illis adhærent, tanquam fini unicè intento, adeo ut tota illorum deliberatio in eo ſit, quo modo, & qua via timorem damnationis æternæ probabiliter à ſe expellant, cœleſtiſque felicitas terminus ſit terrenæ, ad quam omnia ſtudia ſua dirigunt. Hæc eſt prudentia ſæculi, quam Apoſtolus mortem vocat, Rom. 8. quia charitatem extinguit, ut cupiditas omnes actus humanos ſibi vindicet tanquam proprios effectus.

Neque verò exiſtimandum eſt eos, qui cum Propheta unam à Domino petunt, ac requirunt ex conſilio veraci & ſtabili ſemper agere, nec unquam in ſuis deliberationibus decipi. Namque amor ſui, quem juſti in hac mortali vita totaliter non exuunt, mentes eorum ſæpe præoccupat, fallitque juſtitia, & inconſtantia concupiſcentiæ ad agonem relictæ, tranſvertit eorum ſenſum ſine malitia; denique Angelus Satanæ transfigurat ſe in Angelum lucis, ut ſagittet in occulto rectos corde; eos enim ad peccatum, quod tantopere exhorrent, non traheret, niſi præcipiti, aut fallaci conſilio. *Nec unquam bonus, niſi boni ſimulatio-*

ne

ne deceptus est, inquit S. Bernardus Serm. 66 in Cant. Hic est illud Proverb. 3. *ne innitaris prudentiæ tuæ*, nemo quippe in propria causa Judex. *Et meritò*, inquit sanctus Bernardus Epist. 87. *quia qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit . . . . Ego de me expertus sum quod dico; & faciliùs imperare, & securiùs possum præesse aliis multis, quàm soli mihi.* Et Epist. 82. *Cunctis penè sapientibus contingere solet in rebus videlicet dubiis plus alieno se, quàm proprio credere judicio; & qui aliorum facilè ambigua quæque elucidant, in suis consueverunt scrupulosiùs hæsitare.*

Ergo consilium verax & stabile quærendum à sapiente, ad illius judicium morales Philosophi & Theologi singularia referunt; & ratio est, quia cùm in aliorum causa omnino liber sit à privatis illis affectibus, qui nos aut fluctuantes reddunt, aut præoccupatos præcipitant, serena & tranquilla mente decernere potest, quid magis expediat, modò tamen notam ipsi faciamus sinceram & candidam nostram mentem, scilicet nos verisimilia non inquirere, sed vera: non blanda & quæ cupiditati faveant, expetere; sed quæ utiliora, & saluti viciniora. Timor enim displicendi & excidendi ab amicitia aut honorifica existimatione, præsertim nobilium, gravissima est tentatio, quæ plerumque conturbat sapientes, & vehementer impellit ad adulatoria consilia, quod Deus testatur Ezech. 14. v. 9. se permittere in pœnam interrogantis: *Propheta cùm erraverit, & locutus fuerit verbum: Ego Dominus decepi Prophetam illum.* Et vers. 10. *Juxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas Prophetæ erit.* Sic deceptus est Achab Lib. 3. Reg. cap. 22.

Quartus finis effectus est consensus, qui describi potest, actus voluntariè adhærentis consilio rationis & acceptantis media ab intellectu proposita. Quando ratio consilium dat ex imperio voluntatis, naturaliter placet consilium, & facilè voluntas consentit iis, quæ ratio proponit; quia consentanea sunt ejus inclinationi. Sed si consilium suggeratur exteriùs, putà à sapiente, voluntas nonnunquam repugnat, momenta opponit contra, & consilium datur incassùm, nisi cordis duritia auferatur à Deo interiùs voluntatem præparante & inclinante per gratiam suam.

§. IV.

De quinto & sexto Effectu Finis.

Electio numeratur quintus finis effectus, describiturque actus liber voluntatis, quo ex pluribus mediis idoneis & placentibus, per consensum unum cæteris præfert in ordine ad finem intentum. Ergo electio versatur circa media.

Dices 1. electio pertinet ad intellectum, cùm ipsius sit judicare unum alteri præferendum. Ergo non est actus voluntatis.

Nego antecedens. Potest enim esse mentis judicium sine electione, juxta illud Poetæ, *video meliora proboque, deteriora sequor.* Electio itaque formaliter est acceptatio medii, quod mens judicat magis conducere ad finem. Unde Ethicorum 3. dicitur appetitus intellectivus.

Dices 2. Electio nonnunquam est actus necessarius, quando nimirum unicum suppetit medium. Ergo malè dicitur actus liber.

Distin-

Distinguo antecedens. Est actus necessarius in allata hypothesi, necessitate finis, Concedo: necessarius formaliter & in exercitio, Nego anteced. Electio, sive assumptio cibi, v. g. sine quo vita animalis conservari nequit, est necessaria quidem cupienti conservare vitam animalem, sed formaliter & in exercitio est libera; quia sicut potest quis nolle finem, nempe diuturniorem vitam, potest etiam nolle sumere cibum. Ergo liberè Pilatus damnavit Christum Dominum, & reus liberè pejerat, ac proinde neuter à gravi peccato excusandus, quamvis neuter alio modo potuerit vitare ille indignationem Cæsaris, iste mortem; quia uterque finis est liberè intentus, ac proinde liberè eligitur medium unicum ad illum conducens. Fatendum tamen est, quòd ubi unicum est medium, electio non distinguatur à consensu, & minùs propriè dicatur electio.

Dices 3. potest quis deliberare an finem suum constituat in Deo, an in voluptatibus, aut mundi honoribus, ergo electio æquè potest esse de fine ac de mediis.

Nego consequentiam; Quia deliberatio illa (quæ fieri nequit sine gravissimo peccato, cùm in ea Deus & creatura ponantur in quodam æquilibrio) non est de fine, sed de mediis. Finis enim qui intenditur in ejusmodi deliberatione, est beatitudo in communi, & perfecta quies deliberantis: medium verò quo possit illum acquirere, est vel Deus, vel bona temporalia. Unde eadem res potest esse finis & medium sub diverso respectu: est finis, cùm propter se amatur: est verò medium, cùm amatur propter aliud. *Sunt perversi*, inquit sanctus Augustinus Lib. 11. de Civitate

Dei, capite 25. *qui frui volunt nummo, uti autem Deo, quoniam non propter Deum nummum impendunt, sed Deum propter nummum colunt.*

Q. 1. *Quid requiritur, ut electio sit recta & honesta?*

R. Generatim debet prudenter fieri; quod enim fit imprudenter, malum est & peccatum; prudentia quippe definitur, habitus recta cum ratione activus, vel recta ratio agibilium: ergo quod fit contra prudentiam, illud fit contra rectam rationem. Porrò quod fit contra rectam rationem, malum est & peccatum.

Q. 2. *Quandonam electio censetur prudenter fieri?*

R. Quando eligitur quod efficacius est, & rectiùs conducens ad debitum finem consequendum. Et ratio est; quia recta electio est fructus ad quem tendit deliberatio; in deliberatione enim prudentia, quæ consiliativa dicitur à sancto Thoma post Aristotelem, inquirit media ad finem, & ex iis excogitatis judicat unum præ cæteris eligendum, utpote magis aptum: ergo si voluntas aliud minùs idoneum eligat, agit contra prudentiam & rectam rationem.

Confirmatur 1. quibusdam familiaribus exemplis. Proponitur viatori duplex via, qua possit ad patriam, quò tendit, pervenire: altera est brevior, facilior, & securior: altera longior, salebrosa & multis periculis obnoxia. Item Advocato duæ rationes suppetunt evincendi adversarium, altera rem brevi & ferè sine expensis conficiat; altera non nisi longo processu & magnis expensis. In utroque illo exemplo viator & Advocatus, vel alium finem præter eum quem præseferunt, ille patriam, iste justitiam non intendunt, vel alium intendunt: si non intendant & nihilominus medium

dium minùs idoneum eligant, non solùm imprudentiæ, sed & stultitiæ notam non effugient: si alium intendant, quod verisimilius est, viator fortè vult invisere amicum, Advocatus lucri cupidus expetit pinguius honorarium, in qua hypothesi perspicuum est amorem, sive patriæ, sive justitiæ, non esse causam hujusce electionis, sed privatum finem quem insinuavimus. Idem dixeris de eo, qui profitetur se in omnibus gloriam Dei, & vitam æternam intendere, cùm tamen omissis mediis aptioribus, alia eligit, non quidem inepta, sed minùs idonea, & minùs secura; procul dubio amor Dei & desiderium cœlestis patriæ non movet illum ad ejusmodi electionem, sed sub obtentu gloriæ Dei obumbrat negotium cupiditatis, qua incitatur ad præferendum minùs idoneum.

Confirmatur 2. eligere quod est minùs aptum rejecto aptiori, ad consequendum finem honestum, non est actus virtutis: Ergo nec prudentiæ, quæ & ipsa est virtus, & sine qua nulla est vera virtus.

Probatur ant. virtus definitur habitus electivus secundùm rectam rationem: atqui recta ratio non judicat præferendum medium minùs aptum: Ergo.

Nec dicas prudentiam & rectam rationem non consulere quidem ejusmodi electionem, sed eam non prohibere; nam ex S. Thoma 2. 2. q. 47. art. 8. ex communi Philosophorum Schola, prudentia non solùm est consiliativa, sed etiam præceptiva. *Et quia*, inquit, *iste actus est propinquior finis rationis practicæ* (quod est bonum opus) *inde est quòd iste est principalis actus rationis* . . . . . *& per conse-*

consequens prudentiæ. Et hujus signum est, quòd perfectio artis consistit in judicando, non autem in præcipiendo; ideo reputatur melior artifex, qui volens peccat in arte, quasi habens rectum judicium, quàm qui peccat nolens, quod videtur esse ex defectu judicii; sed imprudentia est è converso . . . imprudentior enim est, qui volens peccat, quasi deficiens in principali actu prudentiæ, qui est præcipere, quam qui peccat nolens. Unde articulo 13. concludit veram prudentiam non esse in peccatoribus; quia licèt de agendis aliquando benè consulant & judicent, deficiunt in principali actu prudentiæ, qui est efficaciter præcipere.

Dices 1. Consilia Evangelica sunt de meliori bono & aptiora ad salutem: atqui non peccat contra prudentiam, qui ea non eligit: ergo prudentia non præcipit, ut eligatur medium magis idoneum.

Distinguo maj. Sunt aptiora absolutè, & in se spectata, Concedo: respectivè, & per ordinem ad omnes & singulos homines, Nego major. Namque ex Apostolo 1. Cor. 7. *melius est . . . nubere quàm uri.*

Distinguo etiam minor. Non peccat contra prudentiam, qui ea non eligit in quibusdam circumstantiis, Conc. in quibuslibet circumstantiis, Neg. min. Itaque unusquisque proprium donum habet ex Deo, inquit Apostolus, cap. 7. alius quidem sic: alius verò sic: prudentis est primò per consilium inquirere ad quid sit à Deo institutus, deinde eligere ad quod vocatur; alioquin si mundi concupiscentiis attractus vocationi suæ non respondeat, contra prudentiam & rectam rationem graviter peccat.

Dices

Dices 2. ex communi Theologorum ſententia, ſatis eſt juxta prudentiæ leges amplecti viam tutam, relicta tutiore : Ergo.

Diſt. ant. Satis eſt aliquando, C. Semper, N. ant. Sicut igitur contra prudentiam aliquando peccatur per defectum ; putà per negligentiam ; ita & per exceſſum, nempe per nimiam ſollicitudinem, timorem inutilem & ſcrupuloſam anxietatem : ſcrupuloſus v. g. timet, ne quas paſſus eſt inter orandum mentis evagationes, voluntariæ fuerint ; ſecuriuſque ſibi fore decernit, ſi orationem repetat : prudentia ejuſmodi anxietatem improbat, nec judicat in iis circumſtantiis ſecurius eſſe eligendum, ſed per Apoſtolum Rom. 12. dicit, *rationabile obſequium veſtrum ;* & per Regium Prophetam, Pſalm. 15. *trepidaverunt ...... ubi non erat timor.* Aliquando verò prudentia & recta ratio per eundem Apoſtolum, 1. Cor. 6. clamat, *omnia . . . licent, ſed non omnia expediunt.* Joannes Baptiſta non præcepit publicanis & militibus ad ſe venientibus, Luc. 1. ut officia ſua dimitterent ; ſunt enim licita & tuta, ſi in ſe ſpectentur ; ſed reſpectivè ad aliquos ſunt occaſiones peccandi ferè proximæ, proindeque prudentia & recta ratio iis conſulit præcipitque, ut viam tutiorem eligant. Quare, ubi de ſalute animæ agitur, multi cupiditate excæcati in ſuam perniciem abutuntur receptis, iiſque veriſſimis Theologorum ſententiis, *liberum eſt amplecti conſilia Evangelica.* Item, *licet ſequi opinionem tutam, relicta tutiore ;* quia cùm non attendant quid ſibi expediat, corruunt & damnantur in via tuta : cùm contra ſtetiſſent & ſalvati fuiſſent in tutiore.

Dixi, *ubi agitur de ſalute animæ;* namque prudentiores ſunt filii ſæculi in iis, quæ ſpectant corporis ſalutem; nec profiterentur artem, v. g. reſarciendi tecta domorum; eo prætextu, quòd ars illa ſit licita, Reipublicæ utilis, ſitque neceſſarium, ut aliqui eam profiteantur, niſi priùs expendiſſent, num caput ſit illis ſatis firmum, ut vertiginem timere non debeant. Ad prudentiam quippe pertinet, inquit S. Thomas 2. 2. qu. 47. art. 3. ſpectare non ſolùm rationes univerſales, ſed etiam ſingulares, in quibus eſt operatio.

Sextus finis effectus dicitur imperium, eſtque actus practicus intellectus imperantis uſum mediorum, quæ poſt habitam deliberationem electa ſunt tanquam ad finem magis idonea. Plerumque enim contingit voluntatem non exequi ea, quæ elegerat, & obſervanda propoſuerat, propter naſcentes difficultates, tum ex parte paſſionum, quæ rebellant; tum ex circumſtantiis, quæ in deliberatione & electione non fuerant prævisæ: tum ex parte ipſiuſmet voluntatis, quæ inconſtans eſt, quæque remiſit ex priſtino intentionis fervore, & ita evaneſcente cauſalitate ſeu motione finis, omnes ſupra numerati effectus inutiles abeunt, & operans quaſi in media ſubſiſtit via, niſi recta ratio præcipiat, & prudentia ſtimulis conſcientiæ voluntatem impellat. Quare S. Thomas, & omnes Philoſophi communiter inter partes prudentiæ numerant memoriam, ſollicitudinem, ſive vigilantiam; rationem, circumſpectionem, & cautionem contra totidem defectus prudentiæ oppoſitos, ſcilicet oblivionem, negligentiam, inconſiderationem & inconſtantiam.

Dices:

Dices: imperium pertinet ad voluntatem. Ergo non est actus intellectus.

Dist. ant. cum S. Thoma cit. q. 47. art. 8. ad 3. imperium absolutè & simpliciter pertinet ad voluntatem, & secundùm quid ad intellectum, Conc. pertinet ad voluntatem, & nullatenus ad intellectum, Nego ant. namque recta ratio voluntatem movet, eamque ordinat tanquam regula, cui debet conformari. Sed voluntas simpliciter movet intellectum, eique absolutè imperat opus, v. g. meditationem.

§. V.

De septimo & octavo Finis Effectu.

Usus septimus finis effectus dupliciter sumitur, scilicet activè & passivè. Activè sumptus, est actus elicitus voluntatis applicantis seipsam & alias potentias ad exequenda media prædicta, ut volitio dandi eleemosynam aut jejunandi. Passivè verò spectatus, est ipsa executio, v. g. largitio eleemosynæ aut jejunium.

Fruitio est quies in fine possesso, ultimus effectus causæ finalis, ac veluti fructus operantis; ad fruitionem quippe usus terminatur, sicut motus ad quietem, desiderium & animi contentio ad rei concupitæ possessionem.

Ergo usus est circa media, fruitio verò circa finem. *Ea re dicimur frui*, inquit S. Aug. L. 11. de Civ. Dei c. 25. *quæ nos, non ad aliud referenda, per seipsum delectat; uti verò ea re, quam propter aliud quærimus. Unde temporalibus magis utendum est, quàm fruendum, ut frui mereamur æternis.*

Ergo quies, quæ intelligitur nomine fruitionis, propriè non est cessatio operationis, sed gaudium & delectatio, ac proinde vitalis actus voluntatis suaviter quiescentis in possessione boni amati. *Fruimur*, inquit S. Augustinus, Lib. 10. de Trin. c. 10. *rebus cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit.*

Q. 1. *Quid est illa finis possessio, ex qua oritur delectatio & quies?*

R. Est operatio naturæ conveniens: sic per cognitionem & amorem possidetur sapientia; per visionem oculorum possidentur lux & colorata, per auditionem sonora; per gustum sapida; hinc languente operatione, putà, gustu, tactu, minuitur delectatio, cessante verò evanescit omninò.

Q. 2. *Qualis debet esse operatio, ut pariat delectationem & quietem?*

R. Debet esse 1. connaturalis seu conveniens & perfectiva, 2. perfecta & non impedita; alioqui si sit nociva & violenta, v. g. si lædat temperamentum, ut nimia potatio, dolorem parit: si sit imperfecta & impedita, si v. g. imperfectè audiatur egregius Orator aut Cantor, tædium affert.

Q. 3. *Quot requiruntur, ut operatio sit perfecta & causa delectationis?*

R. Tria. Primum est excellentia & bonitas objecti; objectum enim excellentius, est magis perfectivum, redditque operationem meliorem & magis convenientem; ac proinde magis delectabilem. Secundum est modus tendendi in objectum seu in rem amatam; nam si sit intensus & vehemens, operatio erit perfectior & delectatio major, ut patet in famelicis, qui avidè cibum capiunt:

piunt: contra verò, si modus agendi sit remissus & frigidus, si verbi gratia nulla sit ferè cibi appetitio, delectatio erit mediocris, vel etiam nulla. Hinc oratio fervens, est causa delectationis, languida verò fastidii, denique quotquot tepide & negligenter agunt, ex suis operationibus voluptatem non capiunt, sed tædium. Ob eandem rationem delectationes, quæ sensu percipiuntur, diuturnæ esse nequeunt; quia sensatio, quæ initio erat vehemens, paulatim languescit. Tertium, est nobilitas potentiæ; quò enim potentia est nobilior, cæteris paribus, operatio ejus est melior & magis perfectiva, ac proinde magis appetibilis & delectabilis, visio v.g. est operatio olfactione perfectior, ideoque delectabilior; quia facultas visiva, ex qua procedit visio, est olfactiva nobilior.

Dices: ex S. Thoma 1.2.q.31.art.6. delectationes, quæ sensu, præsertim tactu percipiuntur, sunt omnium maximæ: atqui operationes, ex quibus nascuntur, sunt omnium imperfectissimæ: Ergo delectatio non semper respondet perfectioni operationis.

Distinguo majorem, in statu naturæ corruptæ & inordinatæ, in quo animales & ignobiles illæ operationes sunt omnium vehementissimæ, & quidem in dedecus creaturæ rationalis, unde ex eis homo naturaliter erubescit, Concedo: in statu naturæ integræ & ordinatæ, Nego majorem; natura enim rationalis recta & integra non inclinat ad operationes sensuum, nisi propter operationes mentis, quibus subvenire debent tanquam instrumenta. Quod autem propter aliud appetitur, minùs appetitur, quam quod propter se intenditur;

tur; ac proindè, cùm natura rationalis ex primæva sua institutione non feratur in operationes facultatum inferiorum, nisi quatenus juvant operationes superiorum, scilicet intellectus & voluntatis, iis non fruitur nec delectatur, sed utitur duntaxat ad quiescendum in operationibus spiritualibus, ad quas tendit tanquam ad proprium bonum & ultimam perfectionem. Vehemens ergo & effrænis ille impetus, quem nunc habet ad bona sensibilia, ac præsertim carnalia, & delectationes inde consequentes pœna peccati est, & signum immanis corruptionis; rationes enim judicium impediunt ac pervertunt, nedum illud juvant. Annon ex morbo est quòd prægnantes in cibum appetant, & ad delicias utantur iis, quæ sanis nauseam, & horrorem excitant? Quis pruritum libidinis minus malum æstimet, quàm pruritum scabiei, quo qui laborat liberari satagit, contempta voluptate, quam scalpendo percipit? Itaque ejusmodi delectationes naturales non sunt, sed ægritudines, & meræ deceptiones; *risum reputavi errorem*, ait Sapiens Eccl. 2. *& gaudio dixi, quid frustra deciperis?*

Addere liceat, quia verissimum est, delectationes sensuum non posse dici summas absolutè; 1. quia operationes, ex quibus exurgunt, non delectant, nisi in quadam mediocritate consistant; intensior enim operatio lædit temperamentum, & dolorem parit, juxta illud Prov. 14. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* 2. Delectationes corporeæ, cùm motum consequantur, stillatim fluunt, sitim non extinguunt, sed provocant; cibos v. g. voluptate non afficit, nisi in transitu, & voluptuosus ita delectatur ea parte quam

quam gustat, ut desideret frui eo quod sumendum superest: sic qui delectabiliter audit elegantem orationem, non vult stare syllabam, ut in ea quiescat, sed citò transvolare appetit, ut aliæ veniant, cúmque & gulosus ad satietatem pervenit, & auditor longa attentione fatigatus est, delectatio veluti somnium evanescit.

At in delectationibus spiritualibus nullus ex iis defectibus occurrit: 1. enim totæ simul haberi possunt; cùm operationes, ex quibus pendent, successivæ non sint. 2. Mediocritas in illis non requiritur; quia operationes spirituales, quarum sunt fructus, quo intensiores sunt, eo magis animam perficiunt. Verum quidem est, quòd quamdiu mortalem vitam vivimus, operationes spirituales plerumque sunt magis remissæ, quàm corporeæ, ac propterea minùs delectant: sed ille defectus oritur, ut jam diximus, ex corruptione naturæ, cui, ut paulatim reparetur per gratiam Mediatoris, spiritualia & Deus ipse fiunt in dies præsentiora, eamque tam vehementer & suaviter ad se rapiunt, ut in illo raptu & extasi aliud sapere non possit, *intromittis me*, inquiebat S. Augustinus Lib. 10. Confess. c. 40. *in affectum multùm inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit.*

Dices 2. actus virtutum sunt media ad ultimum finem: atqui justus prudenter & rationabiliter fruitur ac delectatur ejusmodi actibus: Ergo fruitio æquè est mediorum ac finis.

Distinguo maj. Sunt media simul & fines, Concedo: sunt media pura: Nego maj.

Distinguo similiter conseq. Fruitio est mediorum, quæ habent etiam rationem finis, Conc. est medio-

mediorum, quæ prudenter & rationabiliter finis esse nequeunt, Nego conseq.

Medium itaque duplex, scilicet purum & non purum. Purum dicitur, quod ita necessarium aut utile est ad finem consequendum, ut propter se nullatenus sit appetibile, ut pharmacum: non purum verò quod & propter se appetibile est, sub quo respectu est finis, & ulteriùs conducit ad nobiliorem finem assequendum & eatenus habet rationem medii. Porrò actus virtutum sunt media non pura; quia sunt propter se expetibiles; & simul inserviunt ad obtinendum ultimum finem. Sed ista paulò latiùs sunt explicanda; plurimi enim refert ad mores nosse quid liceat amplecti ut medium non purum, & ita eo frui & delectari, quidve ut purum medium, quo solùm utendum sit. Nam ex S. Augustino L. 10. de Trin. cap. 10. *non est alia vita hominis vitiosa atque culpabilis, quàm malè utens & malè fruens.* Et L. 1. de Doctrina Christiana c. 3. & 4. *Frui autem,* inquit, *est amore inhærere alicui rei propter seipsam: uti autem quod in usum venerit, ad id quod amas, obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam usus illicitus abusus potiùs, vel abusio nominanda est.* Itaque

Q. 4. *Quid in moralibus spectari debet vel ut purum medium nullatenus propter se amabile, sed notabiliter ad aliud referibile; vel ut medium non purum, hoc est, simul propter se amabile, & ad aliud insuper referendum, vel denique ut purus finis propter se expetibilis, & nullo modo ad aliud referibilis?*

R. 1. Illud spectari debet ut purum medium, quod naturam rationalem nec perficere, nec meliorem reddere potest. Responsio necessariò sequitur ex dictis; eatenus quippe rem aliquam appetere

petere licet, quatenus nobis eſt bona; quia malum velle nefas eſt: atqui quod naturam rationalem nec perficere, nec meliorem reddere poteſt, illud ſecundùm ſe ſpectatum non eſt nobis bonum, quo frui & delectari liceat: ergo ſpectari debet ut purum medium ad illud referendum: ſive ut utile, ſive ut neceſſarium.

Ergo temporalia, quantumcunque ſenſibus delectabilia, ut fama, honor, rerum abundantia, quibus non utimur ſine ſenſu voluptatis, ſunt pura media, quibus duntaxat uti licet, nullatenus frui; quia naturam rationalem nec perficiunt nec meliorem reddunt, imò amor illorum, qui dicitur cupiditas, inficit & corrumpit. *Quid interſit*, ait ſanctus Auguſtinus Lib. 2. de Serm. Domini in monte, cap. 24. *inter bonum quod appetendum eſt, & neceſſarium quod ſumendum eſt, hac ſua ſententia declaravit;* Quærite primùm regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. *Regnum ergo Dei juſtitia Dei bonum neceſſarium eſt: & hoc appetendum, & ibi finis conſtituendus.* Cætera adjicientur, nempe fama, honores, rerum ſufficientia operanti ex charitate, etiamſi ea non intendat, imo etiamſi ea à cogitatione ſua repellat, ne fiat tranſgreſſor primarii illius præcepti, *non concupiſces.* Unde pergit S. Doctor c. 25. *non dicit, deinde iſta quærite, quamvis neceſſaria . . . ne cùm iſta quæratis, illinc avertamini, aut ne duos fines conſtituatis, ut & regnum Dei propter ſe appetatis, & iſta neceſſaria, ſed hæc potiùs propter illud . . . . Ergo ſimplici corde tantummodo propter regnum Dei debemus operari bonum ad omnes, non autem in hac operatione, vel ſolam, vel cum regno Dei mercedem temporalem cogitare.* Et L. 1. de Doctr. Chriſt. c. 4. hancce Catholicam Doctrinam, & in Scholis Philoſo-

losophorum celebrem illustrat egregia similitudine ad captum lectorum accommodata: *Quomodo ergo*, inquit, *si essemus peregrini, eaque peregrinatione, utique miseri, opus esset vel terrestribus, vel marinis vehiculis, quibus utendum esset, ut ad patriam, qua fruendum erat, pervenire valeremus; Quòd si amœnitates itineris, & ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, conversi ad fruendum his, quibus uti debuimus, nollemus citò viam finire, & perversa suavitate implicati alienaremur à patria, cujus suavitas faceret beatos: Sic in hujus mortalitatis vita peregrinantes à Domino, si redire in patriam volumus, ubi beati esse possimus, utendum est hoc modo* (ut vehiculis necessariis) *non fruendum . . . . ut de corporalibus temporalibusque rebus æterna & spiritalia capiamus.*

Abusus est ergo non usus, ac proinde peccatum, delectari prælationis honore, & nominis celebritate, quia turpis vanitas est: rei alterius amore, quàm vitæ æternæ, lucrum intendere, quia turpis cupiditas est: actibus naturalis appetitus frui, quia turpis voluptas est. *Tu voluptate frueris, ego utor:* inquiebat ipse Seneca Epicurum insectans, L. 16. de Vita beata, c. 88. & S. Augustinus L. 10. Conf. c. 31. *his tentationibus quotidie conor resistere & invoco dexteram tuam ad salutem meam.* Denique in sancti Doctoris sententia, aliud hominis peccatum non est, quàm frui utendis, & uti fruendis, ac proinde circa intentionem finis, & quotidianum rerum usum maximè vigilare debet Christiana pietas.

R. 2. Actus Christianæ virtutis sunt media non pura, quibus frui simul & uti licet tanquam fine & mediis.

Proba-

Probatur. Illud habet rationem finis & medii quod naturam rationalem perficit, melioremque reddit, ac insuper inservit ad acquirendum summum bonum & ultimum finem: atqui ejusmodi sunt actus Christianæ virtutis: Ergo. Major constat ex dictis.

Minor quoad posteriorem partem, nempe actus Christianæ virtutis esse media ad acquirendum ultimum finem, est de fide, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 2. Tim. 4. *Apposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex, non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus.*

Quoad priorem verò partem, nimirum quòd ejusmodi actus habeant rationem finis propter se expetibilis, cujus possessione frui & delectari licet.

Probatur 1. ex Scriptura, Psal. 18. Mandata Dei dicuntur, *desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multùm, & dulciora super mel & favum.* Psalm. 118. *Quomodo dilexi Legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est.* Sap. 6. v. 19. *Custoditio autem Legum consummatio incorruptionis est.*

Probatur 2. ratione. Quod perficit naturam rationalem, melioremque reddit, illud est propter se expetendum, & eo obtento frui licet ac delectari; omnia enim appetunt suam perfectionem, & in ejus possessione quiescunt: atqui actus veræ virtutis perficiunt naturam rationalem, melioremque efficiunt: virtus à Philosophis definitur, habitus laudabilis, qui facit simpliciter bonum habentem se. Vide, quæ in hanc rem diximus suprà cap. 2. Porrò delectatio est fructus operationis perfectæ, charitas ex sancto Augusti-

no in Psalm. 76. sine gaudio esse non potest. Gaudes de auro tuo, de cuppa tua plena, & non gaudes Deo plenus ? Fructus Spiritus per quem diffunditur charitas in cordibus nostris sunt gaudium, pax, Gal. 5. v. 22. Hanc cordis lætitiam nulla amaritudo turbat, *repletus sum consolatione*, inquiebat Apostolus 2. Cor. 7. v. 4. *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Denique Deus, qui non mentitur, beatos dicit cultores justitiæ, *beati inmaculati in via, qui ambulant in Lege Domini*, Psal. 118. Verùm quia opus justitiæ in hac vita non potest esse undequaque perfectum, justus in eo plenè non quiescit, sed ultimam suam perfectionem eò ardentiùs appetit, & bonis actibus promereri sollicitus satagit, quò ad eam propiùs accedit, & hac ratione virtutis operibus tanquam mediis rectè utitur.

Ergo carnales & superbi Philosophi, ut Stoici, malè de virtute sentiunt.

Ac primò quidem carnales, qui solo damnationis timore adacti utuntur operibus virtutis tanquam puris mediis per se ingratis, non secùs ac æger injucundis remediis ad morbum expellendum, eodemque planè modo animas vulneribus peccatorum saucias tradunt Confessario curandas, quo ille corpus sanandum committit Medico. Nempe cum Confessario disceptant, ne plura bona opera, quàm necessaria ad salutem injungat, eumque præferendum judicant, qui paucioribus & facilioribus remediis veniam peccatorum & vitam æternam pollicetur: iis autem non hilariter, sed patienter obtemperant; quia non amore virtutis, sed ex necessitate finis injuncta perficiunt. Enimverò juxta S. Thomam illud interest

finem

finem inter & pura media, quòd finis utpote bonum per se amabile, absque modo & mensura appetatur, desideriumque illius sit illimitatum & quodammodo infinitum: contra verò in mediis mediocritas semper requiratur, adeo ut illud eis superfluum & inutile reputetur, rejiciaturque, sine quo finis obtineri potest. Æger v.g. vult sanitatem absque limitatione, nec unquam contendit cum Medico, ne plus sanitatis procuret, sed ne remedia sine necessitate multiplicet. Sic se habent corda carnalium, voluptati & cupiditati eorum nunquam satis; quia finem in ea constituunt, & ad illam tendunt, ut ad bonum per se expetibile, & aliò non referibile: hoc unum timent à Confessario, ne quid ex ea minuat, & plura bona opera imponat, quàm absolutè necessaria sint ad remissionem peccatorum, & vitam æternam obtinendam, nec advertunt miseri se cum illa voluntate (quæ sanè mala est, cùm non amet quod amandum & naturæ rationali consentaneum) non posse unquam esse beatos. Quid enim est æterna felicitas nisi gaudium de veritate, de Deo totius justitiæ fonte? nisi ergo delectet eos justitia, & mutetur perversa eorum voluntas, miseri essent in patria, in qua unus est actus, nempe frui Deo, qui est veritas, charitas, & omnis virtus: mala autem voluntas non mutabitur post mortem; quia ubi ceciderit lignum, ibi in æternum erit: ante mortem ergo mutetur necesse est, alioquin ipsis claudetur janua Regni cœlestis.

Secundò, malè etiam sentiunt de virtute superbi Philosophi, ut Stoici, qui ita dicunt, frui mea virtute mihi bonum est, ut ad illud nempè ad

Deum, utpote summum bonum eam non referant, sed ea in seipsis fruantur & quiescant, cùm veræ virtutis officium sit nos unire Deo totius justitiæ fonti, à quo, & in quo est nostra perfectio, & omnimoda requies. Quare si virtus à Deo sejungatur, idem planè est, ac si separetur radius à suo Sole, rivulus à suo fonte, & ramus à sua radice, *si quis in me non manserit*, ait vera vitis Joan. 15. *mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent.*

COROLLARIUM.

Quæ de effectibus finis hactenus diximus, certa sunt, non solùm apud Theologos, sed etiam apud Philosophos; nam S. Thomas quem in hac materia Magistrum secuti sumus, suam doctrinam ex Aristotele ubique confirmat, ut cuilibet perspicuum sit se peccare contra lumen rationis simul & fidei, si alicubi à præscriptis morum regulis deflectat.

Accuratiùs autem de iis differendum fuit, quia sunt prima morum rudimenta, ac veluti elementa, ex quibus laudabiles actus humani quodammodo componuntur, & in quæ ultimo resolvi debent; nulla quippe est bona actio, nisi fiat ex amore finis honesti, & boni perfectivi: ex recta intentione, eaque efficaci; ex prudenti consilio & electione, dirigaturque in rerum usu & fruitione juxta regulas præmissas. Qui ergo voluerit actus suos ad examen revocare, & de iis verum judicium ferre, ut solent virtutis studiosi, discurrat necesse est per singulos finis effectus, expendatque ex quo amore processerint: quæ fuerit

rit ejus intentio, an ſimplex, aut duplex: quæ deliberatio & electio: quis uſus & quæ fruitio, ſeu delectatio; alioquin externa boni ſpecies fallit: multa quippe ad oculum videntur recta, quæ regulis applicata reperiuntur diſtorta: *Et nonnumquam hoc fit reatus criminis, quod putatur cauſa virtutis*, inquiebat ſupra S. Gregorius.

Dixi ea, quæ ſpectant finis effectus, eſſe prima laudabilium morum rudimenta, ac veluti elementa, ex quibus actus humani componuntur, & in quæ ultimò reſolvi debent, ut quivis intelligat neminem poſſe abſque eorum perfecta notitia, & familiari uſu, rectè vivendi artem tenere. Enimverò ut quis in qualibet arte peritus evadat, eum prima tyrocinia ponere oportet: in grammatica v. g. litterarum notas primo diſtinguere, deinde in ſyllabas & dictiones conjungere: in pictura ſimiliter umbratiles lineas ducere, ſitum & proportionem, quam habent inter ſe membra corporis delineandi obſervare: ac denique ita ſcitè colores miſcere, ut viſum fallat imago, videaturque partim è ſumma tabella exilire, partim in ima jacere: alioquin fruſtra & incaſſùm Ludimagiſter diſcipulis horum ignaris imitandam proponet egregiam orationem, aut abſolutum Archetypum. Eodem ferè modò ſe habent Paſtores, qui in panegyricis Orationibus ad ſequenda Sanctorum exempla hortantur plebem, quam nondum imbuerunt rudioribus hiſce prudentiæ præceptis, ex quibus, nec aliàs exurgit actus moraliter bonus.

Nec dicas, hujuſmodi rudimenta difficiliora eſſe ac ſublimiora, quam ut vulgus Chriſtianorum ea capere poſſit. Namque 1. ars bene vi-

vendi est omnium nobilissima, ac planè divina, nec quisquam sine gratia Christi eam assequitur. Ipse Aristoteles, & alii Philosophi, qui inflatis buccis, ut loquitur S. Augustinus, regulas à nobis hìc expositas, aliis eruditè tradiderunt, eas in praxi secuti non sunt; & quamvis multa ab eis præclarè ac veluti heroicè gesta legamus; tamen si discutiatur quo fine facta fuerint, vix reperiuntur, quæ juxta regulas ab ipsis præscriptas, veram virtutis laudem mereantur, ut observat idem S. Augustinus Lib. de Spir. & Litt. cap. 27. Vide quæ in hanc rem diximus Tom. 2. Tract. de Gratia Christi. 2. Cùm naturale sit homini rationabiliter vivere, & omnes sint à Deo instituti ad virtutem excolendam, repugnat aliquem esse ita rudem, ut incapax sit artis benè vivendi. Esto nonnulli reperiantur tam stolidi & stupidi, ut alias quasdam artes edoceri nequeant; quia natura eorum ad alias non est à Deo efformata; sed cùm in unoquoque ad virtutem sit ordinata, nullus est qui ad eam institui, & in arte bene vivendi excellere non possit, si ad Deum, à quo est sapientia, & omne donum perfectum, suppliciter recurrat, ac proinde quòd quis in hac arte peccet, negligentiæ illius est tribuendum. 3. Nullus est actus verè bonus, quin sit conformis regulis hìc præscriptis: Ergo omnes suo modo illas tenere debent; alii quidem, ut vulgus Christianorum, saltem confusè & imperfectè: alii, nimirum Pastores, utpotè insipientium Magistri, distinctè & perfectè, quò possint discipulorum actus ad normam virtutis expendere, defectus advertere, & corrigere. Ex quibus patet illos Pastores graviter hallucinari, qui sibi satis esse putant, si plebs

curæ

curæ ſuæ commiſſa memoriter teneat rudimenta fidei, prout infantibus tradi ſolent; cùm præcipuum illorum opus ſit majoribus tradere regulas rectè vivendi, & inſtare juxta Apoſtolum opportunè & importunè, ut ad illos opera ſua dirigant. Quàm autem aſſiduus eſſe debeat bonus Paſtor in hocce docendi munere, Deus ipſe per Prophetam declarat Iſaiæ 58. ubi ſic præcipit: *Clama ne ceſſes.* Et Patres Tridentini Seſſ. 5. cap. 2. de reformat. *diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo . . . . vitia, quæ eas declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant.* Dicendo, *ſaltem*, hoc eſt, ad minimum, innuunt omninò expetendum, ut id fiat frequentiùs, ſi poſſit. Unde S. Auguſtinus: *Quamvis aſſiduè prædicemus*, inquit, *minùs tamen reddimus, quàm debemus, dicente Scriptura:* Clama ne ceſſes.

§ VI.

De Diviſione Finis.

Q. 1. *Quomodo finis dividitur?*

R. Dividitur 1. in internum, & externum.

Finis internus eſt ille, ad quem actus proximè tendit ac terminatur: ſic ſublevatio pauperis eſt finis internus eleemoſynæ; quia eleemoſyna proximè & immediatè tendit ad ſublevandum pauperem. Unde finis ille dicitur finis operis, eſtque planè idem cum objecto.

Finis externus eſt ille, ad quem actus remotè & mediante fine interno refertur; ſic remiſſio

peccatorum eſt finis externus eleemoſynæ in eum finem collatæ; quia ſicut aqua extinguit ignem, ait Sapiens Eccli. 3. ita eleemoſyna, mediante ſublevatione pauperis, extinguit peccatum. Hic finis dicitur finis operantis, non verò operis, quia actus ex natura ſua ad eam non tendit, ſed ex intentione operantis. Unde bonitas, quam actus ex fine externo deſumit, non eſt ipſi eſſentialis, ſed accidentalis duntaxat, ut ſupra diximus.

Dividitur iterum finis in intermedium, & ultimum.

Intermedius finis is eſt, ad quem actio ita refertur, ut ipſe ad ulteriorem finem referatur: ſic venia peccatorum, quæ intenditur in allato eleemoſynæ exemplo, eſt finis intermedius; quia ulteriùs ordinatur, nempe ad beatitudinem.

Ultimus finis dicitur, ad quem omnia ita referuntur, ut ipſe ad aliud non referatur; ſed eo obtento, omninò quieſcat agens, qui, ſi ſit intelligentia prædítus, illa quiete efficitur beatus. Namque ex S. Auguſtino Lib. octoginta trium quæſtionum, quæſt. 5. *Non cadit in animalia rationis expertia, ut beata ſint*; quia aguntur & poſſidentur potiùs, quàm agant & poſſideant: beatitudo autem eſt poſſeſſio ſummi boni.

Q. 2. *Quotuplici modo ultimus finis ſpectari poteſt?*

R. Duplici, ſcil. objectivè, & formaliter.

Finis ultimus objectivè ſpectatus, eſt res bona, quæ intenditur: formaliter verò ſumptus, eſt ipſa rei poſſeſſio.

Porrò res illa debet eſſe ſummum bonum, alioquin ultra eam aliud eſſet appetendum, & ita non omnia ad eam referrentur, nec in ea quieſceret appetitus: ergo finis ultimus, ſummum bonum,

bonum, beatitudo ſaltem reſpectu intellectualium, ſunt omnia ſynonima, quæ idem prorſus ſignificant.

Q. 3. *Quotuplici modo ſpectari poteſt beatitudo objectivè ſumpta?*

R. Duplici. Primò, confuſè ſeu indeterminatè, & ſecundùm rationem univerſalem ſummi boni, abſtrahendo ab omni bono ſpecificè ſumpto, ut cernere eſt in eo, qui incertus in quo felicitas ponenda ſit, animum ad plura converteret, putà ad divitias, voluptates, experturus an in illis poſſet quieſcere; is enim ageret amore finis ultimi, ſed confuſè & indeterminatè ſpectati. Secundò beatitudo ſeu finis ultimus ſpectari poteſt diſtinctè & determinatè, ut ſi quis rem determinatam, v. g. Deum, vel gloriam mundi ſibi proponat tanquam ſummum bonum, & ad illud aſſequendum contendat.

Q. 4. *Homo agitne ſemper propter ultimum finem?*

R. Semper agit propter ultimum finem ſpectatum in genere & indeterminatè, non verò ſpectatum in ſpecie & determinatè.

Prima pars probatur 1. ex ſancto Auguſtino Lib. 10. de Civ. Dei cap. 1. *Omnium certè ſententia eſt*, inquit, *qui ratione uti poſſunt, beatos eſſe omnes homines velle.* Et Lib. 13. de Trinit. cap. 3. *Quidquid autem latenter aliud aliquis velit, ab hac voluntate non recedit.* Sed præſertim Enar. 1. in Pſal. 118. ubi ſic habet: *Beatum . . . eſſe tam magnum eſt bonum, ut hoc & boni velint & mali. Nec mirum eſt quòd boni propterea ſunt boni; ſed illud eſt mirum, quòd etiam mali propterea ſunt mali, ut ſint beati:* & Lib. 2. Confeſſ. c. 6. *ignavia quaſi quietem appetit, quæ verò quies certa præter Deum? Luxuria ſatietatem atque abundan-*

bundantiam se cupit vocari ; tu tamen (Deum alloquitur) *es plenitudo & indeficiens copia incorruptibilis suavitatis .... perversè te imitantur omnes , qui longè à se te faciunt , & extollunt se adversùm te. Sed etiam sic te imitando intimant Creatorem te esse omnis naturæ, & ideò non esse , quo à te omni modo recedatur.*

Probatur 2. ratione duplici, qua utitur sanctus Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 6. Namque 1. beatitudo est expletio naturalis appetitus : atqui nihil facit homo, nisi ut expleat naturalem appetitum ; ergo in omnibus actionibus beatitudinem saltem implicitè appetit. Illud ipsum agnovit Aristoteles Lib. 1. Ethic. cap. 12. ubi docet beatitudinis causa omnes operari omnia. 2. Ultimus finis se habet ad motum appetitus, sicut se habet in aliis motionibus primum movens: *Manifestum est autem*, inquit Angelicus Doctor, *quòd causæ secundæ moventes , non movent nisi secundùm quod moventur à primo Movente Unde secunda appetibilia non movent appetitum , nisi in ordine ad primum appetibile , quod est ultimus finis.*

Secunda pars probatur ; quia qui de ultimo fine non cogitat, vel etiam ab eo se avertit, ut aliò tendat, is sanè non operatur propter ultimum finem determinatè sumptum : atqui sic se habent peccatores : *Homines*, inquit S. Augustinus Lib. 13. de Trinit. cap. 31 *ut eos quæque res maximè delectavit, ita in ea constituerunt vitam beatam.* Epicurus ait, frui carne mea bonum est : Stoicus, frui mea mente bonum est. Christianus verò, mihi adhærere Deo bonum est. Denique apud Philosophos Gentiles tanta fuit in hac parte opinandi libido, & sententiarum varietas, ut idem S. Doctor Lib. 19. de Civit. Dei cap. 1. numeret ex Varrone ducentas

octoginta

octoginta octo opiniones circa ſummum bonum. Redite errantes, inquit S. Doctor in Pſalm. 33. & Lib. 4. Conf. cap. 12. non eſt hæc via: bonam rem quæritis, ſed non in regione ejus illam quæritis: *Beatam vitam quæritis in regione mortis: non eſt illic; quomodo enim beata vita, ubi nec vita? Deſcendit huc vita noſtra* (Filius Dei) *& intonuit clamans, ut redeamus hinc.* Nuſquam enim periculoſiùs erratur, quàm in definitione ultimi finis; quia ſicut ſe habet primum principium in ſpeculabilibus; ita ultimus finis in operabilibus, inquit ſanctus Thomas ex Philoſopho. Sicut ergo conſtituto ſemel incerto aut falſo principio, totam concluſionum ſeriem nutare, aut in præcipitium erroris diſcurrentem trahi neceſſe eſt: ita poſito fictitiæ beatitudinis fundamento, morum fabrica, ac ſpiritualis diſciplinæ ſtructura ſtare nequaquam poteſt.

§. VII.

De vera hominis beatitudine objectiva.

Q. 1. *Quænam eſt determinata hominis beatitudo objectivè ſpectata?*

R. Solus Deus, quia in eo conſiſtit vera hominis beatitudo, quod eſt ſummum hominis bonum; atqui ſolus Deus eſt ſummum hominis bonum, ut ſupra demonſtravimus cap. 2. Ergo.

Confirmatur 1. ex S. Auguſtino pluribus in locis, ſed præſertim Epiſt. 55. aliàs 52. ad Macedonium his verbis: *Neque enim beatum facit hominem, niſi qui fecit hominem. Nam qui tanta creaturæ ſuæ bonis maliſque largitur, ut homines ſint, ut vigentes ſenſibus, valentes viribus, affluentes opibus ſint: ſeipſum bonis dabit, ut beati ſint; quia etiam hoc munus ejus eſt,*

ut boni sint. Et Lib. 13. Conf. Cap. 8. Deum sic alloquitur : *Satis ostendis quàm magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem quidquid minus est, ac per hoc nec ipsa sibi . . . . malè mihi est præter te non solùm extra me, sed & in me ipso, & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas.* Denique Lib. 1. Conf. cap. 1. *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

Confirmatur 2. ex S. Thoma 1. 2. quæst. 2. art. 8. in quo discurrit : *Objectum voluntatis*, (quæ est appetitus humanus) *est universale bonum, sicut objectum intellectus est universale verum. Ex quo patet, quod nihil potest quietare voluntatem hominis, nisi universale bonum; quod non invenitur in aliquo creato, sed solùm in Deo; quia omnis creatura habet bonitatem participatam.*

Q. 2. *Teneturne homo dirigere omnia opera sua ad Deum tanquam ad ultimum finem sibi determinatum, & objectum suæ beatitudinis?*

Constat ex dictis hominem necessariò appetere ultimum finem in communi, & ex illa generali intentione semper agere: liberè verò se determinare ad ultimum finem in particulari, qui alius non est, quàm Deus, principium & finis cujusque rei. Hinc naturaliter oritur proposita quæstio; utrùm homo Deum intendere debeat in omnibus operibus suis.

R. 1. Cum sancto Thoma 1. 2. quæst. 1. art. 6. ad 3. homo non tenetur Deum actuali intentione intendere in omnibus operibus suis; quia actualis intentio requirit actualem mentis attentionem, seu cogitationem: atqui homo, quamdiu mortalem hanc vitam vivit, non potest semper actu de Deo cogitare; hæc perfectio est propria Spiri-

tuum

tuum beatorum, qui etsi deputentur ad hominum custodiam, nihilominus in sua administratione semper vident faciem Patris, Matth. 18. *Non oportet*, inquit Angelicus Doctor, *ut semper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocunque aliquid appetit, vel operatur; sed virtus primæ intentionis, quæ est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuscumque rei, etiamsi de ultimo fine actu non cogitetur, sicut oportet quòd qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine.* Unde ad mentem sancti Thomæ

R. 2. Homo intentione, saltem virtuali, tenetur singula sua opera ad Deum referre.

Probatur 1. ex Scriptura, Psal. 104. *Quærite Dominum, & confirmamini; quærite faciem ejus semper.* In quem locum sic scribit S. Augustinus: *Charitas invenit Deum per fidem; & eum quærit habere per speciem, est enim sine fine quærendus, quia sine fine amandus . . . . Et nimirum hoc est*, quærite faciem ejus semper, *ut non huic inquisitioni, qua significatur amor, finem præstet inventio, sed amore crescente, inquisitio crescat inventi.* Matth. 6. *Quærite ergo primùm regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.* Quæ verba expendens sanctus Augustinus Lib. 2 de Serm. Domini in monte cap. 25. hæc habet: *Non dicit, deinde ista quærite, quamvis necessaria . . . ne cùm ista quæratis, illinc avertamini, aut ne duos fines constituatis, ut & regnum Dei propter se appetatis, & ista necessaria, sed hæc propter illud . . . Ergo simplici corde tantummodo propter regnum Dei debemus bonum operari ad omnes.* 1. Cor. 10. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: Omnia in gloriam Dei facite.* Et Coloss. cap. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi.*

In

In quem locum sanctus Thomas Lectione 3. sic scribit: *Quidam dicunt quòd hoc est consilium: sed hoc non est verum. Sed dicendum est quòd non est necessarium quòd omnia in Deum referantur actu sed habitu.*

Probatur 2. ratione. 1. Finis ultimus ex omnium consensu est ille, ad quem omnia referuntur: atqui solus Deus est finis ultimus: Ergo. 2. Omnis creatura debet tendere ad id, ad quod movetur à suo actore: atqui Deus ut primus movens omnia ad seipsum movet, & adducit, inanimata quidem, & irrationalia necessariò, rationalia verò liberè: *Omnia propter seipsum operatus est Dominus*; Ergo creatura rationalis deficit à sua rectitudine, & abutitur sua libertate, nisi omnes actus suos ad Deum dirigat, saltem intentione virtuali, *nemo sit superbus extra viam*, inquit S. Augustinus Præfat. in Psal. 31. *nemo piger in via. Si quis deviasse invenerit, redeat ut in via ambulet. Si se in via invenerit, in ea ambulet ut perveniat.* Adde, quòd gratia sit divina quædam motio in ordine ad vitam æternam; ac proinde quisquis Spiritu Dei agitur, hic vitam æternam intendit. 3. Appetitus humanus necessariò tendit in beatitudinem in communi, ut suprà diximus: officium ergo fit rectæ rationis investigare, in quo consistat illa beatitudo, cúmque eam extra Deum non consistere invenerit, tum oportet omnes actus humanos ad Deum dirigat juxta pondus, & innatam inclinationem naturæ rationalis; alioquin actio non esset consentanea naturæ rationali, nec proinde bona. 4. Dominus vitam æternam nobis proponit, ut mercedem bonorum operum: atqui herus mercedem non debet servo, qui propter ipsum non operatur: Ergo bona nostra opera ad Deum

Deum referri debent. 5. Regula precandi eſt regula credendi & operandi : quid autem orantes petere debeamus, docuit Magiſter noſter in Oratione Dominica adeò neceſſaria, *ut aliter orare, non ignorantia ſola ſit, ſed & culpa*, inquit ſanctus Cyprianus Serm. de Oratione. Et S. Auguſtinus Epiſt. 138. aliàs 121. c. 12. *Quiſquis id dicit, quod ad iſtam Evangelicam precem pertinere non poſſit, etiamſi non illicitè oret, carnaliter orat : quod neſcio quemadmodum non dicatur illicitè, quandoquidem Spiritu renatos nonniſi ſpiritualiter decet orare.* Atqui ex eodem ſancto Doctore laudata Epiſt. & ex S. Thoma 2. 2. qu. 83. art. 9. hoc unum in oratione petendum eſt, nempe vita æterna, & media ad illam conſequendam, & quidem continuò, juxta illud Luc. 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere :* quatenus deſiderium vitæ æternæ debet in nobis eſſe virtualiter continuum, ut fuſè explicamus Tom. 4. Tract. de Virtute Religionis cap. 4. §. 5.

Dices 1. Præceptum affirmativum, quo præcipitur actus bonus, non obligat pro ſemper, ut loquuntur Theologi : atqui præceptum, quo jubemur actus noſtros ad Deum referre, eſt affirmativum : Ergo non obligat pro ſemper.

Diſtinguo maj. Præceptum affirmativum media duntaxat ſpectans, Conc. Finem ultimum ſpectans, Nego major. Et ratio diſparitatis eſt, quòd unus ſit ultimus finis, ad quem omnes tendere debent ; plura verò media, reſpectu quorum eſt electio juxta prudentiæ regulas ; non enim omnia omnibus ſemper & ubique conveniunt ; enſis v. gr. non eſt reſtituendus domino furibundo, cùm prævidetur eo percuſſurus proximum : oratio intermittenda, quando familia ope noſtra indiget :

indiget: cura pauperum relinquenda, si præceptum superioris ad alia vocet. Ex quibus liquet præceptum de mediis non semper & pro semper obligare; quia non semper concurrunt omnes circumstantiæ, in quibus media illa prudenter assumi possint. Sed præcepta, quæ ultimum finem spectant, ut fides, spes, & charitas, semper & pro semper obligant; quia etsi non omni modo, saltem aliquo ad Deum tendere debemus.

Instabis: Præceptum charitatis est affirmativum, & Deum respicit: atqui non tenemur semper & pro semper ex charitate agere, aliàs peccatores, qui charitate carent, & ex gehennæ metu operantur, nullum actum bonum elicere possent, quod est falsissimum & hæreticum: Ergo.

Distinguo major. Est aliquod præceptum affirmativum Deum respiciens, Conc. Est unicum præceptum affirmativum Deum respiciens, Nego major. Spes enim etiam Deum respicit ut ultimum finem, & ex ea saltem peccatores qui se ad justificationem disponunt, divinæ justitiæ timore concussi, ad misericordiam Dei se convertunt, atque vitæ æternæ intuitu laboriosis pœnitentiæ operibus defunguntur.

Dices 2. Opera virtutum moralium, v. g. colere parentes, benefacere amico, habent rationem finis intermedii, licetque iis frui & delectari, ut supra dictum est; ergo non tenemur ea ulteriùs referre; sed satis est quòd per se sint ad Deum referibilia.

Distinguo anteced. Licet iis frui & delectari in Domino, Conc. In seipso, Nego anteced. Illud enim est superbia, & turpis vanitas.

§. VIII.

§. VIII.

De Beatitudine formali.

Jam diximus beatitudinem formalem esse ipsam summi boni possessionem, quia illud est beatitudo formalis, quo formaliter Beati efficimur: atqui possessione summi boni formaliter Beati efficimur: Ergo possessio summi boni est beatitudo formalis, circa quam.

Q. 1. *In quo consistit illa possessio?*

R. Non consistit nisi in aliqua operatione perfecta.

Probatur 1. Quia beatitudo formalis est ultima hominis perfectio: atqui ultima hominis perfectio est operatio; quæ enim sunt in potentia, censentur imperfecta; sapiens & insipiens eandem habent naturam, iisdem instruuntur potentiis, sola operatione discrepant, à qua ille denominatur perfectus, iste imperfectus.

Probatur 2. in Beatitudine formali intelligitur perfecta quies, & plena delectatio: atqui delectatio ex dictis est consectarium quid, & proprietas perfectæ operationis: delectatio oculorum, aurium, & gutturis, est consentanea & perfecta perceptio lucidi, concentus, & sapidi: insensitiva, ut cognitionis sunt incapacia, ita & delectationis: Ergo beatitudo formalis, seu possessio summi boni, neque in potentiis, neque in habitibus laudabilibus, sed in sola operatione perfecta est reponenda; operatio enim est quid ultimum rei. Unde Aristoteles Lib. 2. de Cœlo, docet unumquodque esse propter suam operationem.

Q. 2. *Quæ operatio potest esse formalis beatitudo?*

R. Debet esse potentiæ præstantioris, & versari perfectissimo modo circa objectum perfectissimum. Et ratio est, quia beatitudo formalis debet esse ea possessio, quæ quietet & satiet appetitum; atqui nisi hæc tria concurrant in operatione, non explebit appetitum: Ergo.

Minor probatur 1. vilior potentia non percipit, nisi objecta inferiora, ut auditus sonos: quis autem crederet hominem beatum ex suavissimo concentu, cùm interim cæcus sit? Idem dicito de eo qui fruitur gratissimo spectaculo, sed amens est, aut stolidus. Natura rationalis majori pondere ad altiora fertur, quæ possidere nequit, nisi per præstantiorem facultatem, ac proinde formalis ejus beatitudo non potest esse nisi operatio præstantioris potentiæ, & idcircò maximè excolendæ: *quid est aliud beatè vivere*, inquit sanctus Augustinus, Libro octoginta trium quæst. 35. *nisi æternum aliquid cognoscendo mente habere? Id autem habere non possumus, nisi ea re, qua præstantiores sumus, id est, mente. Quidquid autem mente habetur, noscendo habetur.* 2. Si objectum sit admodum mediocre, operatio, quæ circa illud versatur, erit possessio mediocris boni, ac proinde non satiabit appetitum, nec erit beatitudo formalis, ut quæ debet esse possessio summi boni. 3. Denique nisi potentia præstantior perfectissimo modo attingat objectum, quantumcumque excellens & infinitum, non quiescit, nec expletur ejus appetitus; quia imperfecta est ejus possessio. Hinc est quòd in hac mortali vita simpliciter beati esse non possumus; quia licèt Deum mente noverimus; per fidem tamen ambulamus, & non per speciem: quæ autem relatione & testimonio alio-

rum

rum cognoſcimus, minùs afficiunt, quàm quæ viſu percipimus: Ergo operatio non erit formalis noſtra beatitudo, niſi hæc tria ad eam concurrant, nempe præſtantior potentia, objectum præſtantiſſimum, & modus operandi perfectiſſimus.

Ergo viſio Dei intuitiva eſt formalis hominum beatitudo, ut quæ ſit operatio facultatis præſtantiſſimæ, mentis ſcilicet: verſetur circa objectum in omni genere perfectionis infinitum; ſitque perfectiſſima illius poſſeſſio; noſſe enim Deum eſt illum habere: imò ex S. Auguſtino Lib. 83. quæſtionum, quæſt. 35. *Illud ipſum eſt, quod nihil aliud ſit habere, quàm noſſe.* Sicut aliter non poſſidetur lumen quàm per viſum, nec ſuavis concentus, quàm per auditum; ita nec veritas & ſapientia, quàm per cognitionem. Qui videt aurum, non illud propterea poſſidet; quia viſio auri non tribuit jus & facultatem eo utendi in proprios uſus: contra verò, qui veritatem & ſapientiam perfectè novit, is poſſeſſor illius eſt, luce ejus refulget, gloria clareſcit, ſuavitate profunditur, & cæteris ejus dotibus amplificatur. Quid eſt autem Deus, ad quem cor noſtrum tam ardenter ſuſpirat, niſi ſubſiſtens veritas, ipſamet ſapientia? Ergo quibus clarè apparebit, erit illorum Deus & omnia; hoc eſt, interprete S. Auguſtino Lib. 22. de Civ. Dei cap. ult. erit unde ſatientur: erit quæcumque ab omnibus honeſtè deſiderantur, & vita, & ſalus, & victus, & copia & gloria, & honor & pax, & omnia bona. Denique in divinam transferentur ſimilitudinem, juxta illud 1. Joan. 3. *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

Confirmatur 1. ex Scriptura Pfalm. 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Pfalm. 79. *Oftende faciem tuam, & falvi erimus.* Joan. 17. *Hæc eft autem vita æterna, ut cognofcant te, folum Deum verum.* 2. Ex SS. Patribus. S. Ambrofius Lib. 2. de Offic. cap. 2. fic fcribit: *Scriptura divina vitam beatam in cognitione pofuit divinitatis.* S. Chryfoftomus Hom. 81. in Joan. *Omnis requies*, inquit, *eft Filium Dei videre.* S. Auguftinus quoque Lib. 1. de Trinitate cap. 8. fic habet: *Hæc contemplatio promittitur nobis omnium actionum noftrarum finis.* Et Lib. de Spir. & Litt. cap. 32. *Illa cognitione, illa vifione, illa contemplatione fatiabitur bonis animæ defiderium; hoc enim ei folum fat eft, ultra non habet quod appetat, quò inhiet, quod requirat.*

Dices ex fancto Auguftino Lib. de Moribus Eccl. cap. 3. beatus dici non poteft, qui non amat, quod habet, etfi optimum fit: *Nam qui non appetit, quod appetendum effet, ægrotat: nihil autem iftorum animo contingit fine miferia.* Unde concludit S. Doctor eam effe beatam vitam, *cùm id quod eft homini optimum, & amatur, & habetur.* Ergo amor ad beatitudinem formalem pertinet.

Diftinguo confequens, pertinet ut pars integralis, vel tanquam proprium quid neceffariò fluens à vifione intuitiva, Concedo: pertinet ut pars effentialis, Nego Confeq. Quemadmodum igitur homo v. gr. dupliciter fpectari poteft, nimirùm, vel fecundùm effentiam, & quatenus eft animal rationale: vel fecundùm integritatem, quatenus eft aliquod totum conftans ex effentia, partibus integrantibus, & proprietatibus, putà ex natura humana, mente, appetitu, brachiis, pedibus, &c. Ita duobus modis fumitur beatitudo.

1. Inte-

1. Integrè, & ut sic complectitur visionem intuitivam, amorem, durationem indefectibilem, corporis sanitatem, & immortalitatem. 2. Essentialiter, & sub hoc respectu consistit in sola intuitiva Dei visione, ex qua fluunt cætera veluti proprietates, nempe amor fruitivus, duratio indefectibilis propter impeccantiam, corporis immortalitas, & aliæ dotes gloriosæ.

Ac primò quidem amor fruitivus: Cùm enim ex dictis liberum non sit cohibere innatum beatitudinis appetitum, adeò naturalis est ac præponderans; nemo non intelligit ex visione Dei intuitiva, qua non solùm præsens exhibetur, sed & possidetur summum illud bonum tam ardenter, tamque constanter expetitum, statim exurgere impotentis amoris incendium, & immensam voluptatem, *cui comparata omnis aliunde jucunditas*, inquit S. Bernardus Epist. 114. *mæror est: omnis suavitas, dolor: omne dulce, amarum: omne decorum, fœdum: omne postremò quodcumque aliud delectare potest, molestum.* Deinde ex operatione perfecta nascitur delectatio & gaudium, sicut ex sole radius, & ex luce fulgor, adeo ùt quò perfectior est operatio, eò magis gaudium efflorescat: atqui visio Dei intuitiva est summa & ultima hominis perfectio, nec ultra superest, quo appetitus tendere possit: Ergo in ea plenè quiescit, juxta illud Psalm. 16. jam laudati: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*, nec in hac satietate timendum est fastidium: quia ex S. Gregorio Hom. 36. in Evang. hoc distare solet inter delicias corporis & cordis, *quòd in illis appetitus placet, experientia displicet: in illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat: in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum pa-*

rit; Quia quantò magis earum ſapor percipitur, eò ampliùs cognoſcitur, quod avidiùs ametur. Et hoc ſenſu dicitur, 1. Petr. cap. 1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere; Quia,* inquit S. Auguſtinus in Pſal. 104. *quem quiſque diligit, etiam cùm eum videt ſine faſtidio, ſemper vult eſſe præſentem.*

Secundò, viſio Dei intuitiva parit in Beatis firmitatem & ſecuritatem de ſua perſeverantia, quatenus eos reddit impeccabiles; peccare enim eſt deficere à ſummo bono, à quo nullus recedere poteſt, niſi deluſus falſa ſpecie boni apparentis, juxta tritum effatum, *omnis peccans eſt ignorans:* Et illud Prov. 14. *errant qui operantur malum:* atqui deceptio non cadit in eos, qui omne bonum tam clarè intuentur, tamque perfectè poſſident, ut nihil extra appetibile appareat; *adeò ſunt provecti,* inquit ſanctus Anſelmus Lib. de caſu Diaboli cap. 16. *ut ſint adepti quidquid potuerunt velle; nec jam videant quid plus velle poſſint, & propter hoc peccare nequeunt.*

Dices: in cœleſti patria alii aliis ſunt feliciores: Ergo inferiores felicitatem ſuperiorum appetere poſſunt utpotè majus bonum, ipſis invidere, ac proinde peccare.

Nego conſeq. Namque ex ſancto Auguſtino Lib. 22. de Civitate Dei cap. ult. *Id etiam beata Civitas illa magnum in ſe bonum videbit, quòd nulli ſuperiori nullus inferior invidebit: . . . . quia nec in corpore vult oculus eſſe, quia eſt digitus, cùm membrum utrumque contineat totius carnis peccata compago. Sic itaque habebit donum alio minùs, ut hoc quoque donum habeat, nec velit ampliùs.* Inferior itaque beatitudinem ſuperioris apprehendit ut bonum ſimpliciter & abſolutè majus, non verò ut bonum ſibi, nec proinde

proinde à se appetibile, quemadmodum nec digitus perfectiones oculi appetit, nec benè vestitus homo vestem hominis grandioris quia latior illa vestis & amplior sibi non est bona & conveniens.

Tertiò, ex intuitiva Dei visione nascitur corporis immortalitas, & cæteræ dotes gloriosæ, ut expressè docet S. Augustinus Epist. 118. aliàs 5. ad Dioscorum cap. 3. *Tam potenti natura*, inquit, *Deus fecit animam, ut ex ejus plenissima beatitudine, quæ in fine temporum Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor.* Idem docet S. Thomas 3. p. quæst. 45. art. 2. & in Supplemento quæst. 83. & 85. probat corporis subtilitatem & agilitatem provenire ex dominio absoluto animæ glorificatæ in corpus, cujus est forma, *ratione cujus dominii*, inquit, *corpus gloriosum spirituale dicitur quasi omnino spiritui subjectum.* Omnia ergo dici possunt de illa ineffabili perfruitione veritatis, ut notat S. Augustinus Lib. qu. Evang. quæst. 39. *Et tantò magis omnia dici possunt, quantò minùs dignè dici aliquid potest. Nam ipsa est lux illuminatorum, requies exercitatorum, patria redeuntium, esca indigentium, & corona vincentium.*

§. IX.

De Beatitudine, quæ homini in hac vita competere potest.

Q. 1. *Estne aliqua hujusce status beatitudo?*

R. 1. Non potest esse perfecta, & simpliciter dicta, 1. quia beatitudo habet rationem termini, est enim ultimus finis: atqui in

 hoc

hoc ſtatu ſumus ſemper peregrini & viatores: væ nobis, ſi hìc quieſcere appetimus, quin noſtrum ſit votum velociùs currere, & citiùs apprehendere. 2. Quia, ut habetur Job 7. militia eſt vita hominis ſuper terram: non eſt nobis pax à lege peccati, quæ eſt in membris noſtris: à tentationibus, quæ nos continuò infeſtant: à conſcientia, quæ pungit: à metu judicii, qui angit: à morbis & aliis miſeriis, quæ cruciant. Denique exclamat Apoſt. Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de Corpore mortis hujus?* Nihilominus,

R. 2. In hocce ſtatu agnoſcenda eſt aliqua beatitudo inchoata, & imperfecta, 1. Quia Scriptura, quæ neminem fallit, nonnullos hìc beatos prædicat. Pſalm. 111. *Beatus vir qui timet Dominum.* Pſalm. 118. *Beati immaculati in via.* Math. 5. *Beati pauperes ſpiritu.* Unde ſanctus Auguſtinus Libro 11. de Civitate Dei cap. 12. *Quis*, inquit, *primos illos homines in Paradiſo negare audeat beatos fuiſſe ante peccatum, cùm hodie non imprudenter beatos vocemus, quos videmus juſtè, ac piè cum ſpe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere ſine crimine vaſtante conſcientiam, facilè impetrantes peccatis hujus infirmitatis divinam miſericordiam?* 2. Quia qui ſummum bonum imperfectè poſſidet, ille eſt imperfectè beatus: atqui homo in hoc ſtatu ſummum bonum imperfectè poſſidere poteſt: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, Joan. 4. *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra*, Gal. 4. Fructus autem Spiritus eſt gaudium, pax, ut dicitur Gal. 5. pax, inquam, quæ exuperat omnem ſenſum, & quam Apoſtolus vult eſſe in juſtis continuam: *Gaudete*, inquit, *in Domino ſemper, iterum dico, gaudete*, Phil. 4. & Pſal. 33. *Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.*

Ergo

Ergo justi, non solùm propter spem futuræ beatitudinis nunc dicuntur beati, quomodo beatum dicimus ægrum, qui sub manu medici utiliter secatur, & uritur ad sanitatem; sed insuper propter aliquam participationem beatitudinis, secundùm aliqualem summi boni fruitionem, ut loquitur S. Thomas 1. 2. quæst. 5. art. 3. ad 1. Porrò ista prælibatio tanta suavitate afficit animam, ut omnia mundi oblectamenta arbitretur veluti detrimenta, Philip. cap. 3.

Dices: Ex Apostolo 1. Corinth. 15. *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Ergo veri Christiani ex sola spe futuræ mercedis felices sunt censendi.

Distinguo anteced. Miserabiliores sub aliquo respectu, & in circumstantiis, in quibus loquebatur Apostolus, Concedo: Absolutè, & ex ipso Christianæ vitæ instituto, Nego anteced. Apostolus igitur, dum hæc scriberet, præ oculis habebat miseram sub Principibus ethnicis Christianorum sortem, ac præsertim Apostolorum, ad quos nonnulli Interpretes laudatum textum restringunt; hi quippe, præter quotidianas contra vitiorum incentiva conflictationes omnibus pietatis cultoribus communes, ubique exosi, maledictis lacessiti, plagis affecti, ac tandem excarnificati, mortalium miserrimi videbantur, quamvis invictæ suæ virtutis delectationibus intus reficerentur, teste ipsomet Apostolo 2. Cor. 1. *Sicut abundant passiones Christi in nobis; ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Et cap. 6. *quasi tristes semper autem gaudentes;* ipsa quippe virtus ipsi amplissimum erat præmium, felicioresque sunt boni, etiam dum hìc vivunt, quàm mali, quantumlibet fortunati:

tunati: *Si (quod absit) illius tanti boni spes nulla esset*, inquit S. Augustinus Lib. 21. de Civitate cap. 15. *malle debuimus in hujus conflictationis molestia remanere, quàm vitiis in nos dominationem permittere.* Illud ipsum senserunt etiam Philosophi, qui, licèt animas mortales statuerint, nihilominus definierunt felicius esse secundùm virtutem vivere, quàm cupiditatibus obsequi. Unde meritò Christus Marc. 10. vers. 30. Sectatoribus suis amplam mercedem non modò in futura, sed etiam in præsenti vita promittit, *nemo est*, inquit, *qui non accipiat centies tantùm nunc in tempore hoc . . . . . cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam.* Ergo.

Q. 2. *In quo consistit incboata illa præsentis vitæ felicitas?*

Tria constant ex dictis: Primum, nulla rerum creatarum possessione nos effici beatos: quia res creatæ nec meliores, nec perfectiores nos reddere queunt. Secundùm, Deum solùm, utpotè summum bonum, esse beatitudinem nostram objectivam, sive in præsenti, sive in futura vita. Tertium, beatitudinem formalem non consistere, nisi in aliqua operatione perfecta; quia beatitudo formalis est quid ultimum, ad quod tendit natura rationalis: atqui sola operatio ex dictis habet rationem ultimi. Quæritur autem hìc (quod maximè refert) quænam sit illa operatio, cui præcipuè vacandum, ut in terris inchoetur nostra felicitas.

R. 1. Cum S. Thoma 1. 2. qu. 3. art. 5. & 2. 2. qu. 182. art. 1. beatitudo formalis præsentis vitæ non consistit in actibus virtutum moralium; quæ dici solent vita activa. 1. Quia ejusmodi actiones

nes proximè non attingunt Deum, qui eſt ſummum bonum noſtrum, ſed verſantur circa objecta creata, ut miſericordia circa miſeriam proximi depellendam, fortitudo circa adverſa toleranda, temperantia circa voluptates refrænandas; *vita contemplativa*, inquit S. Doctor, *eſt ſecundùm divina; vita autem activa ſecundùm humana.* 2. Quia major eſt delectatio vitæ contemplativæ, quàm activæ; perfectior enim operatio ex dictis magis delectat: atqui contemplatio eſt operatio perfectior operatione practica: *Martha turbabatur*, *Maria epulabatur*, inquit S. Auguſtinus Serm. 103. aliàs 26. de Verbis Domini. 3. Contemplatio propter ſe diligitur, vita verò activa ordinatur ad contemplationem, tanquam medium ad finem, *mores*, inquit S. Auguſtinus Tract. 18. in Joan. *perducunt ad intelligentiam.* Beati quidem dicuntur qui lugent, ſed ſicut beatum dicimus ægrum qui invenit ſalutaria remedia, non in quibus quieſcat, ſed per quæ perveniat ad ſanitatem: *Opera juſtitiæ*, pergit S. Doctor, *ſunt veluti collyria, quibus ſanatur oculus mentis*, ut veritas nobis ſuaviter eluceat, quæ eſt illud neceſſarium, propter ſe expetendum: *Quamobrem*, Lib. 19. de Civ. Dei cap. 19. *otium ſanctum quærit charitas veritatis, negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati. Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem: ſed nec ſic omnimodo veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuavitas, & opprimat iſta neceſſitas.* Ex quibus colligere licet eos à recta via aberrare, qui inutili otio torpent, ſi deſint exteriora opera, quibus proximi neceſſitatibus ſerviant. 4. Quia vita activa tranſit, utpotè quæ

ſit

ſit temporalis: *beatitudo verò hìc incipit*, inquit S. Gregorius Homil. 14. in Ezech. *ut in cœleſti patria perſiciatur; quia amoris ignis, qui hìc ardere incboat, cùm ipſum, quem amat, viderit, ampliùs ignoſcit.* Unde Chriſtus ad Martham, interprete S. Auguſtino Serm. 104. aliàs 27. de Verbis Domini: *Maria meliorem partem elegit, non tu malam, ſed iſta meliorem. Unde meliorem? quia quod elegit, non auferetur ab ea; à te autem quod elegiſti, auferetur, ſed bono tuo auferetur, ut quod melius eſt, detur; auferetur enim à te labor, ut requies detur.* Abſit ergo à pietate fidelium, maximè Clericorum, ut tædio afficiantur, ſi deſint ignorantes, quos doceant: errantes quos reducant: eſurientes, quos paſcant; iſta quidem debita officia ſuſcipit neceſſitas charitatis, ſed otium ſanctum quærit charitas veritatis, ut ampliùs patebit ex ſequenti reſponſione. Itaque

R. 2. Inchoata beatitudo vitæ præſentis conſiſtit in Dei contemplatione. Probatur; quia beatitudo conſiſtit in operatione omnium perfectiſſima: atqui contemplatio eſt operatio omnium perfectiſſima. 1. Verſatur circa ſummum bonum, eſtque ejus inchoata poſſeſſio, ac proindè maximè delectat. 2. Habet rationem finis, ad quem cæteræ actiones referuntur. 3. In exitu non auferetur, ſed perficietur: Ergo.

Dices 1. Nonnulli vocantur à vita contemplativa ad regimen animarum, quod pertinet ad vitam activam: Ergo vita activa eſt perfectior, & ratio finis magis ipſi competit, quàm contemplationi.

Nego conſeq. Quia ex S. Thoma 2. 2. q. 182. art. 1. ad tertium: *Cùm aliquis à contemplativa vita ad activam vocatur, hoc non fit per modum ſubtractionis, ſed*

sed per modum additionis. Et quidem ad mentem S. Augustini, supra sic monebat: *Si imponitur* (cura animarum) *suscipienda est propter charitatis necessitatem, sed nec sic omninò veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, & opprimat ista necessitas.* Articulo autem quarto docet Angelicus Doctor vitam activam addi contemplativæ, ut ab ea moveatur & dirigatur: *Ratio enim superior, quæ contemplationi deputatur, comparatur ad inferiorem, quæ deputatur actioni, sicut vir ad mulierem, quæ est per virum regenda, ut Augustinus dicit* 12. *de Trinitate.*

Dices 2. Vita activa majoris est meriti, quàm contemplativa, juxta illud S. Gregorii Hom. 12. in Ezech. *Nullum sacrificium est Deo magis acceptum, quàm zelus animarum.* Ergo vita activa est melior & præferenda.

Nego anteced. Namque ex S. Gregorio Lib. 6. Moral. cap. 28. *Magna sunt vitæ activæ merita, sed contemplativæ potiora.* Et Hom. 3. in Ezech. Contemplativa major est merito: quia, ut ratiocinatur S. Thomas art. 2. ejusdem quæstionis, vita contemplativa directè & immediatè pertinet ad dilectionem Dei; activa verò ad dilectionem proximi: atqui quod directè pertinet ad dilectionem Dei, est magis meritorium ex suo genere, quàm quod pertinet ad dilectionem proximi: Ergo vita contemplativa comparatè ad activam, est majoris meriti. Sed si quis utraque conjungat, & igne charitatis succensus, rapiat ad amorem Dei quos potest, hortando, rogando, portando cum mansuetudine, & lenitate, ut loquitur S. Augustinus in Psal. 33. habet utriusque meritum, nec est sacrificium magis acceptum, quàm si Deo animam tuam offeras per contemplationem, agasque

que insuper, ut alii simile munus ipsi exhibeant. Hoc docuit Christus suo exemplo, ipsum imitati sunt Apostoli, & qui deinceps sanctitate eminuerunt: *Bonum acquirit gradum* (inquit S. Bernardus Serm. 3. de Assumptione Beatæ Mariæ) *qui benè ministraverit: fortè meliorem, qui benè vacaverit Deo: optimum autem, qui perfectus est in utroque.*

Dices 3. Beatitudo debet esse continua: atqui contemplatio est admodum rara & brevis, ut docent communiter Sancti Patres: *Aliquando*, inquit sanctus Augustinus Lib. 10. Confess. c. 40. *intromittis me in affectum multùm inusitatum introrsus ad nescio quam dulcedinem, ... sed recido in hac ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multùm fleo.* Sanctus Gregorius Hom. 14. in Ezech. sic habet: *Furtim & tenuiter anima quiddam attingit de incircumscripto lumine, sed ad semetipsam protinùs reverberata revertitur.* Et S. Bernardus Serm. 31. in Cant. in eandem rem scribit: *desiderium cordis ejus tribuetur ei . . . . . ex parte tamen, idque ad tempus & tempus modicum. Nam cum vigiliis & observationibus, & multo labore, & imbre lachrymarum quæsitus affuerit, subitò dum teneri putatur, elabitur: & rursum lachrymanti & insectanti occurrens comprehendi patitur, sed minimè retineri, dum subitò iterùm quasi à manibus evolat.* Denique Innocentius XI. damnavit vanam Quietistarum præsumptionem, qua docebant contemplationem in hac vita posse esse continuam, animamque à sensibus abstractam, & divinitate delibutam non debere è tanta sublimitate descendere, ad compescendas sensuum ludificationes, & refrænandas libidinis insanias, utpote quæ non imputentur in peccatum animæ sic in Deum transformatæ: Ergo.

Distin-

Distinguo min. Contemplatio est admodum rara & brevis, quoad aliquem specialem actum, Concedo: quoad omnes & singulos actus, quos complectitur, Nego min. In vita itaque contemplativa plures sunt distinguendi actus. Primus est Fides, cui justus quantumcumque perfectus semper attendere debet tanquam lucernæ in caliginosa nostra peregrinatione lucenti, alioquin facilè in Fanaticorum somnia & deliria declinaret; scriptum est enim Habac. 2. justus ex fide vivit. Beatus verò exultat in specie: *Nunc quidem*, inquit S. Bern. Serm. 31. in Cant. *apparet quibus vult, sed sicuti vult, non sicuti est: non Sapiens, non Sanctus, non Propheta videre illum sicuti est, potest.* Secundus actus, isque præcipuus est charitatis, quæ juxta S. Thomam 2. 2. qu. 118. art. 7. ad primum, rationem habet primi moventis seu principii & finis in vita contemplativa. Finis quidem; quia delectari in Domino, & gustare quàm suavis sit, propriè sunt actus charitatis, ad quos ultimò tendit vita contemplativa. Charitas habet etiam rationem primi moventis & principii, quia ex dictis intentio & desiderium fruendi Deo, est primus ultimi finis effectus, qui in actu ponit omnes animæ facultates & laudabiles habitus; Fides enim & cæteræ virtutes sine charitate sunt mortuæ: Verbum Dei insipidum, lectio injucunda, oratio languida & frigida, meditatio penè nulla; sed fervor charitatis iis admotus idem præstat, inquit Richardus à sancto Victore Lib. 4. de Contemplatione cap. 7. quod ignis suppositus vasi aqua semipleno, nimirum aquam nativo ejus frigore expulso leviorem reddit, ebullientem ad superioris vasis partes effert, ac tandem supereffluere

facit.

facit. In hunc modum cœlestis desiderii ardor, cùm vehementer exæstuat animam humanam divino amore fervidam, supra semetipsam ad superna contuenda rapit, fidem vivam efficit, mentem ad pias & sanctas cogitationes exacuit determinatque dona Spiritus Sancti, quæ diximus esse charitatis appendices ab ea inseparabiles, scilicet intelligentiam, scientiam, & sapientiam; movet ad proprios actus, qui mirum in modum considerationem juvant vitamque contemplativam perficiunt ac delectant. Namque per intelligentiam anima, Spiritu Sancto specialiter operante, clariùs videt, quàm credibilia sint quæ Fides obscurè proponit de rebus divinis, & inde amplius incitatur, ad illa appetenda. Per scientiam meliùs percipit, quæ Fides docet de vanitate rerum creatarum, doletque usque ad lacrymas, quoad meliora contendenti importunè se ingerant, ac sensus demulceant: sed ejusmodi lacrymæ tam suaviter fluunt ut numerentur inter singularia Spiritus Sancti dona, nec Christus dubitaverit pronuntiare beatos, qui cœlesti illo rore perfunduntur, ait enim Matth. 5. *Beati qui lugent.* Denique per sapientiam anima gustat quàm suavis sit Dominus, quàm dulcia ejus eloquia, ex quo sapore nascitur ultimus & perfectissimus contemplationis actus, qui est perspicax & liber contuitus animi res divinas degustantis; ut enim ratiocinatur Gerson, Tract. de Monte contemplationis c. 2. idiota, qui mel gustu percipit, melius novit ejus dulcedinem, quàm superbus Philosophus, qui illam non expertus, de ejus natura & proprietatibus subtiliter disserit. Porrò ultimus ille actus est quidem brevis, nec ita frequens; sed actus charitatis potest esse continuus,

tinuus, ſaltem virtualiter; namque ex S. Auguſtino ep. 130. aliàs 121. in ipſa fide, ſpe, & charitate continuato deſiderio ſemper oramus, ut fuſiùs demonſtramus tract. de Religione, ubi de Oratione continua, cap. 4. §. 7.

Q. 3. *In quo actu ex recenſitis conſiſtit incboata formalis beatitudo vitæ præſentis?*

R. 1. Non conſiſtit in actibus ſcientiæ acquiſitæ: tum quia natura humana non accepit ut per ſeipſam beata eſſe poſſit, quemadmodum argumentatur S. Auguſtinus contra Manichæos tum quia hæc ſcientia ſine charitate inflat, non ædificat: ingurgitat, non confortat, nec ſatiat, ut loquitur S. Bern. Serm. 9. in Cantica: tum quia beatitudo, ex dictis, eſt quid optimum: ſcientia autem acquiſita minus eſt bonum, quàm habitus infuſi & ſupernaturales. Ergo.

R. 2. Neque etiam conſiſtit in actibus donorum Spiritus Sancti, ſcilicet, intelligentiæ, ſcientiæ & prudentiæ; quia ex S. Thoma 1. 2. qu. 168. art. 8. virtutes Theologicæ meliores ſunt, & præferendæ donis Spiritus Sancti; perfectius eſt enim veritates divinas, & Deum ipſum immediatè, quamvis obſcurè, cognoſcere, quàm de ſola credibilitate rerum revelatarum habere claritatem. Atqui dona Spiritus Sancti verſantur circa rationes & motiva, quibus res revelatæ cernuntur credibiles & amabiles. Unde evidentia, quæ competit donis, & reddit actus fidei clariores & perfectiores, ſpectat ſolùm animæ diſpoſitiones, per quas anima fit magis expedita ad credendum, ſperandum & amandum, & faciliùs mobilis à Spiritu Sancto, per ea quippe videt credibilia omni-

nò esse, quæ Deus dixit & promisit, sed illa non attingit, nisi per fidem, spem & charitatem.

R. 3. Neque in actibus fidei inchoata beatitudo formalis hujus vitæ præcisè consistit, quamvis illos non excludat, sed ipsos supponat. 1. Quia fides invenitur in peccatoribus: beatos autem esse impios & iniquos, quis vel impius dixerit, inquit S. Augustinus Concione prima in Psal. 118. cùm sit malitiæ individua comes miseria; nam beatitudo & perfectio reciprocantur: atqui peccatum opponitur perfectioni, cùm sit defectus: ergo & beatitudini. 2. Quia fides magis habet rationem laboris quàm præmii, credimus quod non videmus, ut mereamur intelligere: charitas verò ipsa sibi præmium, ipsa sibi merces, fructus ejus sunt gaudium, pax Gal. 5. Deinde ex Apostolo 1. Cor. 13. Fidei visio succedit, *sive scientia*, inquit, *destruetur; ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus, cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* At charitas nunquam excidit, non evacuatur per gloriæ perfectionem, sed eadem numero manet, ut docet sanctus Thomas 1. 2. quæst. 67. art. 6. Quia imperfectio, quæ ei competit in via, est ipsi accidentalis; non est enim de ratione amoris, quòd sit imperfectus: nihil autem prohibet, quominùs idem numero quod prius ex accidenti fuit imperfectum, postea perfectum evadat; idem enim homo imperfectus in infantia crescit, & vir evadit. Sed imperfectio cognitionis est essentialis fidei; definitur enim ab Apostolo, Hebr. 11. *argumentum non apparentium.* Unde perspicuum est fidem non posse esse perfectam cognitionem, destruendamque illucescente visione intuitiva.

R. 4.

R. 4. Inchoata beatitudo formalis præsentis vitæ in actibus charitatis consistit.

Probatur 1. ex dictis in præcedenti responsione. 2. Quia charitas facit simpliciter bonum habentem se; *cùm quæritur*, inquit S. Augustinus Enchirid. cap. 117. *utrùm quis sit homo bonus, non quæritur quid credat, aut quid speret, sed quid amet.* Et Ep. 167. aliàs 29. *ubi illa plena & perfecta est, nihil ex vitio remanebit . . . . . . & tantò quis invenitur in peccando minor, quantò in diligendo Deum & proximum major.* 3. Quia dilectio Dei est actus hujus vitæ perfectissimus: ergo & maximè delectabilis: delectatio enim ex dictis sequitur operationem, ac proinde in dilectione Dei reponenda est inchoata hujus vitæ beatitudo.

Antecedens probatur. Ille actus est omnium perfectissimus, quo pleniùs & perfectiùs possidetur summum bonum, & appetitus rationalis magis quiescit, atqui per actus charitatis Deus, qui est summum bonum, pleniùs & perfectiùs possidetur, appetitusque rationalis magis delectatur & quiescit, quàm per actus cæterarum virtutum sive Moralium, sive Theologicarum: Ergo.

Minor constat quoad actus virtutum moralium, ut qui versentur circa media & objecta creata: demonstratur verò quoad actus virtutum Theologicarum, nempe fidei & spei, quæ quidem versantur circa Deum, sed longè imperfectiori modo, quàm charitas; namque 1. spes respicit Deum ut absentem, & ut bonum revera summum, sed obtentu difficile; charitas verò ut præsentem, quia *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Jo. 4. 2. Per fidem assentimur Deo de se loquenti, sed non videmus, quæ

ab illo audimus, & inde appetitus accenditur desiderio videndi quid sit, & quomodo se habeat quod dicitur. Mens quidem illud, quo potest modo, sibi repræsentat; nam assensus fidei non est sine cognitione: omnis autem cognitio est repræsentatio objecti. Porro mens in hac vita non potest sibi repræsentare Deum per propriam speciem, sed per alienam, scilicet per creaturas, per quas tendit ad primam veritatem; sed cùm illa habitet lucem inaccessibilem, hæret quasi ad ejus januam; ibique excipitur ab assensu fidei credens vera esse quæ audit, etsi ea capere non possit. In illo autem cognitionis termino incipit dilectio, ut docet sanctus Thomas 2. 2. quæst. 27. art. 4. & omni scientia supereminens attingit Deum ut in se est, eique tanquam summo bono conjungit amantem, *qui plenus est charitate*, inquit S. Augustinus in Psalm. 118. *plenus est Deo*, & Lib. 15. de Trin. c. 18. *nullum est isto Dei dono excellentius, solum est quod dividit inter filios regni æterni & filios perditionis æternæ. Dantur & alia per Spiritum Sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt.*

Dices 1. Proprius actus charitatis in hac vita est desiderium videndi Deum, juxta illud Psal. 104. *Quærite faciem ejus semper*: atqui beatitudo non potest esse desiderium; neque enim ille dici potest beatus, qui non habet quod amat, ex S. Augustino Lib. de Morib. Eccl. c. 3. cùm beatitudo sit fruitio, & quies in summo bono possesso: ergo nullus actus charitatis potest esse beatitudo præsentis vitæ.

Distinguo maj. actus aliquis, isque præcipuus charitatis est desiderium videndi Deum, Conc. unicus, Nego maj. namque ex S. Gregorio Hom. 30.

in

in Evang. *Qui mente integra Deum desiderat, profectò jam habet quem amat; neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum quem diligit, non haberet.* Et sanctus Augustinus in Psalm. 104. *Charitas*, inquit, *invenit Deum per fidem, & eum quærit habere per speciem. Est enim sine fine quærendus, quia sine fine amandus . . . Proinde quem quisque diligit, etiam cùm eum videt sine fastidio, semper vult esse præsentem, hoc est semper quærit eum esse præsentem . . . ut non huic inquisitioni, qua significatur amor, fidem præstet inventio, sed amore crescente, inquisitio crescat inventi.* Porrò ex eodem S. Doctore in Psal. 76. *Charitas sine gaudio esse non potest*; scriptum est enim Gal. 5. *Fructus Spiritus est gaudium, pax*, &c. Gaudes de auro tuo; de cuppa tua plena, & non gauderes Deo plenus?

Dices 2. fides se habet ad virtutes Theologicas, sicut prudentia ad virtutes Morales: atqui prudentia est perfectior virtutibus moralibus, quas dirigit: ergo & fides charitate, cui lucem præstat.

Nego maj. namque ex S. Thoma 1. 2. q. 66. art. 6. ad prim. *Prudentia moderatur motus appetitivos ad morales virtutes pertinentes; sed fides non moderatur motum appetitivum tendentem in Deum, qui pertinet ad virtutes Theologicas, sed solùm ostendit objectum, motus autem appetitivus in objectum excedit cognitionem humanam, secundùm illud* ad Ephes. 3. supereminentem scientiam charitatis Christi.

Instabis: beatitudo formalis vitæ futuræ consistit in operatione intellectus, utpote facultatis præstantissimæ: ergo inchoata beatitudo vitæ præsentis in actibus fidei, quæ est virtus intellectualis, ac proinde præstantior virtutibus appetitivæ facultatis.

Nego conseq. quia ad beatitudinem satis non est quòd actus sit præstantissimæ facultatis, nisi ipse sit perfectus, habeatque rationem finis, in quo appetitus quiescat: atqui actus fidei informis, ut ajunt, hoc est, charitate destitutæ, adeo est imperfectus, ut nequidem ad perfectionem virtutis pertingat, ex S. Thoma 2. 2. qu. 4. art. 5. Nedum appetitum satiet, quin illum magis accendit desiderio videndi ea quæ dicuntur. Contra verò actus charitatis est maxima hominis perfectio, quam in hac vita consequi possit: habet rationem ultimi finis, cùm sit inchoata Dei possessio & fruitio; qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo; *totum habet*, inquit S. Aug. Tract. 7. in Joan. *qui habet charitatem;* quæcunque enim verè bona sunt, ab illa fluunt tanquam à radice: sine illa fides & spes mortuæ sunt, & per illam duntaxat vivunt: sine illa nulla in homine vera prudentia, nulla virtus moralis infusa & supernaturalis: ipsa adveniente, sequuntur omnes virtutes, & Spiritus Sancti dona tanquam ejus proprietates, *sit in te charitas*, inquit S. Aug. Conc. 27. in Psal. 118. *& necesse est plenitudo scientiæ consequatur*, quia charitas non est sine dono intelligentiæ, scientiæ & sapientiæ. Et in Psal. 149. *Quisquis habet charitatem conscientiam suam attendat, & ibi videt Deum:* nec tantùm videt, sed & gustat quàm suavis sit Dominus, unde identidem exclamare cogitur cum Propheta Psalm. 30. *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ!* Magna sanè ac prorsus ineffabilis illa ferventis charitatis suavitas: ut quæ omnes peccati illecebras inanes reddat, nulla adversitatis amaritudine turbetur, *superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, inquit Apostolus

postolus 2. Cor. 7. *Quapropter in nullis scripturis aliud* (præter charitatem) *inquiratis*, Augustinus in Psalm. 140.

Urgebis: fidei succedit visio intuitiva tanquam ejus præmium & merces: ergo fides est inchoata hujus vitæ beatitudo.

Distinguo antec. quoad priorem ejus partem: succedit, sicut dies succedit nocti, quam expellit, Conc. succedit sicut clara lux auroræ, quam perficit, Nego ant. evacuatur enim fides, adveniente visione beatifica, charitas verò perficitur.

Distinguo etiam alteram partem antecedentis, visio intuitiva est præmium & merces fidei formatæ, ut ajunt, hoc est, fidei quæ per dilectionem operatur, Concedo: fidei informis charitate destitutæ, Nego ant. nam ex S. Thoma 1. 2. q. 114. art. 4. *Meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem, ad alias verò virtutes secundariò, secundùm quod earum actus à charitate imperantur*; scriptum quippe est Jac. 1. *cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Sit ergo charitas primum movens in moribus, prima in intentione, præsit nostris consiliis & deliberationibus, applicet ad opus, & omnia ex ejus fiant imperio; quia est totius moralis disciplinæ finis, juxta illud Apostoli 1. Timoth. 1. *finis autem præcepti est charitas*, & Psalm. 72. *mihi autem adhærere Deo bonum est*, addit sanctus Augustinus, *hoc est totum bonum*, ac proinde vera beatitudo: *quia qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. Joan. 4.

Ergo mirare mentis humanæ depravationem in quibusdam modernis Theologis, qui eò sunt progressi, ut docuerint, 1. hominem non teneri

amare ultimum finem neque in principio, neque in decursu vitæ mortalis. 2. Præceptum amoris Dei per se tantùm obligare in articulo mortis. 3. Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi non esse speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satissit. Quid enim rationi magis repugnans, quàm media assumere, & finem non intendere, v. g. pugnare sine desiderio victoriæ, remedia adhibere, neglecta sanitate? Sed quid impium magis quàm docere creaturam non teneri amare suum Creatorem, filium patrem, servum dominum beneficum, captivum redemptorem? Quare Clerus Gallicanus anno 1700. meritò damnavit ejusmodi propositiones, primam ut hæreticam, secundam & tertiam ut scandalosas, erroneas, impias, atque Evangelicæ Legis spiritum extinguentes: præiverant Alexander VIII. anno 1690. Innocentius XI. anno 1679. & Academia Parisiensis anno 1665.

CAPUT VII.

De Merito Actuum humanorum.

Agitur hìc duntaxat de Actibus bonis; constat enim apud omnes, etiam infideles, actus moraliter malos non mereri nisi pœnam. Sed gravis est controversia Catholicos inter & Heterodoxos, circa actus bonos, utrùm scilicet præmiis sint digni ac meritorii.

Pelagiani contendunt actus bonos viribus naturæ elicitos esse meritorios vitæ æternæ, contra quem errorem acriter pugnavimus Tract. præcedenti de Gratia, & iterum nobis pugnandum erit, ubi de conditionibus ad meritum requisitis.

Luthe-

Lutheranis verò & Calviniſtis nomen Meriti adeo exoſum eſt, ut Calvinus L. 3. Inſtit. cap. 15. §. 2. & ſequentibus, audeat ſcribere, veteres Patres peſſimè conſuluiſſe fidei ſinceritati, dum uſi ſunt vocabulis meriti & mercedis. Sed vel ipſum Spiritum Sanctum reprehendat, qui in Scripturis ſanctis vocabula illa uſurpat, ut Matth. 5. verſ. 12. *merces veſtra copioſa eſt in cœlis:* vel, quod æquius eſt, fateatur ſe peſſimè conſuluiſſe ſectæ Calvinianæ, dum ſcripſit illam eſſe contrariam veterum Patrum Traditioni. Hinc Sectatores ejus in hac parte illum deſerunt, agnoſcuntque bona juſtorum opera meritoria eſſe, non quidem vitæ æternæ, ad quam per ſolam fidem perveniri contendunt, ſed alicujus præmii temporalis etiam ſpiritualis: idque non ex dignitate operum, quæ ſecundùm ipſos ſunt vera peccata, ſed ex indulgentia Dei tegentis eorum fœditatem.

Ut autem radicitus evellatur ejuſmodi perniciosſus error, operæ pretium eſt advertere Novatores duobus niti principiis iiſque falſiſſimis. 1. docent actus Spiritu Chriſti inſpirante, & movente elicitos infici concupiſcentia, & privati amoris fœditate, ac proinde vera eſſe peccata, in reprobis quidem mortalia, in prædeſtinatis verò venialia. Venialia autem dicunt, non eo ſenſu, quo Catholici venialia vocant peccata, levia; hanc enim diviſionem peccatorum in gravia & levia rejiciunt, contenduntque nullum eſſe peccatum, quod non mereatur damnationem æternam; ſed dicunt venialia eſſe in electis ſacrilegia, homicidia; & graviſſima quæque, quatenus Deus illa non imputat prædeſtinatis: verbum verò otioſum, mendacium jocoſum, & cætera leviora in

reprobis esse mortalia, & pœnis æternis vindicanda. 2. Definiunt non sine injuria Christi meritum aliquod tribui bonis operibus ex gratia elicitis, quia si opera nostra essent alicujus meriti, in iis confidere liceret; atqui omnis nostra fiducia in meritis Christi est collocanda. Ergo. Hinc Calvinus Lib. 3. Institut. c. 2. §. ultimo tragicè exagitat Magistrum Sententiarum, ex eo quod scripserit spem in nobis gigni ex gratia Dei, & meritis præcedentibus; *Deus*, inquit, *non immeritò tales bestias execretur. O Magistrum talibus discipulis dignum, quales insanis tabularum scholis nactus est!*

Quamobrem nobis inquirendum est, 1. utrùm opera ex gratia elicita, sint verè bona? 2. utrùm sint meritoria? 3. an sit honestum operari intuitu mercedis æternæ? 4. an liceat in bonis operibus fiduciam ponere? 5. quotuplex sit meritum. 6. quot requirantur conditiones ad meritum. 7. quænam cadant sub meritum de condigno? 8. quæ sub meritum de congruo?

§. I.

Utrùm opera ex gratia elicita, sint verè bona?

R. De fide est opera ex gratia elicita, sive ante, sive post justificationem, verè esse bona, nec dici posse peccata. Ita definiit Concilium Trident. Sess. 6. Can. 7. *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt quacumque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri . . . . anathema sit.* Et Can. 25. *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius est) mortaliter, atque ideò pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari:*

mnari: quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema ſit.

Probatur 1. ex Scriptura, Job cap. 1. & 2. dicitur vir rectus, ſimplex, ac timens Deum, & recedens à malo, nec in omnibus, quæ ipſi acciderunt, peccaſſe labiis ſuis, in quem locum ſic ſcribit ſanctus Gregorius Lib. 2. Moral. capit. 8. *Si in ſermonibus ſuis dicimus Job deliquiſſe, Deum (quod ſentire nefas) dicimus in ſua propoſitione victoriam perdidiſſe.* Matth. 7. *Videant opera veſtra bona.* Luc. 7. Laudatur peccatricis pœnitentia, *remittuntur ei peccata multa* (ait Chriſtus) *quoniam dilexit multùm.*

Probatur 2. ex Patribus. S. Hieronymus L. 3. contra Pelagianos, *hoc nos diximus*, inquit, *poſſe hominem non peccare, ſi velit, quamdiu intentus eſt animus.* S. Aug. Lib. de bono conjugii cap. 6. ſic habet: *Conjugalis concubitus generandi gratia, non habet culpam; concupiſcentiæ verò ſatiandæ, ſed tamen cum conjuge, venialem habet culpam; adulterium verò, ſive fornicatio lethalem habet culpam.* Mitto alios textus §. ſequenti laudandos.

Probatur 3. ratione duplici. Prima, ſi omnia bona opera eſſent peccata, vera eſſet iſta argumentatio: nullum peccatum eſt faciendum: atqui omnia bona opera ſunt peccata: ergo nulla bona opera ſunt facienda, Deus non eſt amandus, nec colendus, non eſt tribuenda eleemoſyna. Secunda, ſi actus ex gratia eliciti eſſent peccata, id certè oriretur, vel ex innata concupiſcentia, vel ex defectu charitatis intenſioris, vel ex admixtione peccati venialis; adverſarii quippe aliud non proferunt adverſùs bona opera: atqui nihil horum vitiat actus ſupernaturales.

Non primum; quia, ex dicendis, ubi de peccatis

catis primi concupiſcentiæ motus, quibus reſiſtitur, peccata non ſunt; nullum quippe eſt peccatum, quod non ſit voluntarium.

Non ſecundum; quòd enim minùs ferveat charitas in via, quàm in patria, peccatum non eſt, ſed defectus, ut docet S. Auguſtinus Lib. de Spiritu & Littera cap. ultimo. *Neque enim*, inquit, *ſi eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei*, *quanta illi cognitione plena*, *perfectaque debetur*, *jam culpæ deputandum eſt.*

Non tertium; nam ex S. Hieronymo cit. Lib. 3. contra Pelagianos, *qui cautus eſt*, *& timidus*, *poteſt ad tempus vitare peccatum.*

Dices 1. Eccleſ. 7. *Non eſt . . . . homo juſtus . . . qui faciat bonum*, *& non peccet.* Iſaiæ 64. *Facti ſumus ut immundus omnes nos*, *& quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ*: ergo omnia opera noſtra motibus concupiſcentiæ, & privato amore ſunt inquinata.

Nego conſeq. namque 1. non dicit ſapiens; hominem juſtum in ſingulis actibus cadere, imò Prov. 25. aſſerit eum aliquando ſurgere, *ſepties enim cadit juſtus*, *& reſurgit.* 2. Loquitur Iſaias nomine Civitatis Jeroſolymitanæ, in qua plures erant impii, propter quos Civitas hoſtibus erat tradenda; ait enim, *non eſt qui invocet nomen tuum*, *qui conſurgat*, *& teneat te.* Deinde juſtitiæ, de quibus eſt ſermo, ſunt interprete ſancto Hieronymo, cæremoniæ, ſacrificia, & alia Legis exteriora opera, quibus Judæi Idololatræ & peccatores impœnitentes Deum placare contendebant, cùm tamen Deus illa rejiceret propter offerentium corruptos mores, *incenſum abominatio eſt mihi . . . . ſabbatum & feſtivitates alias non feram.* Iſaiæ 1.

Inſta-

Inſtabis: Matth. 6. omnibus præſcribitur hæc orandi forma, *ſanctificetur nomen tuum . . . fiat voluntas tua;* unde ſic argumentatur Lutherus; petimus quod non habemus, ut nomen Dei ſanctificetur in nobis, ejuſque voluntas fiat: ergo in nobis polluitur nomen Dei, & ejus voluntati ſumus rebelles.

R. 1. Retorquendo argumentum contra Lutherum: Chriſtus non jubet nos petere quod nunquam ſumus impetraturi: ergo per orationes poſſumus à Deo obtinere, ut ſanctificemus nomen ejus; impleamuſque ejus voluntatem.

R. 2. Peccatores, per quos nomen Dei blaſphematur petunt quod nullatenus habent; petunt juſti, ut perſeverent in eo, quod jam habent, & perficiatur in eis quod acceperunt.

Dices 2. conſtans eſt SS. Patrum doctrina, omnia juſtorum opera eſſe vitiata; ſic enim habet S. Hieronymus Dialogo 1. contra Pelagianos, *tunc ergo juſti ſumus, quando nos peccatores fatemur, & juſtitia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei miſericordia conſiſtit.* Sanctus Auguſtinus Epiſt. 167. aliàs 29. *Illud*, inquit, *quod minus eſt* (charitatis) *. . . . ex vitio non eſt . . . . qui faciat bonum, & non peccet.* Et Lib. 9. Confeſſ. cap. 13. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam.* S. Gregorius Lib. 9. Mor. cap. 1. ſic de Jobo ſcribit: *Sanctus vir, quia omne virtutis noſtræ meritum eſſe vitium conſpicit, ſi ab æterno arbitro diſtrictè judicetur*, ſubjungit, &c. Denique S. Bernardus Serm. 5. de verbis Iſaiæ ait, *noſtra . . . ſi quæ eſt, humilis juſtitia, recta forſitan, ſed non pura, niſi fortè meliores nos eſſe credimus, quam patres noſtros, qui non minùs veraciter, quam humiliter ajebant, o-*

mnes

mnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ mulieris. *Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse?* ergo omnia bona opera sunt peccato infecta.

Nego anteced. Nam laudati Patres per justitiam 1. non intelligunt unum aut alterum opus, sed totam vivendi rationem, qua homo denominatur justus; quæ cùm admixta habeat multa peccata venialia, justi indigent Dei misericordia, & ad pœnitentiæ remedia semper confugere debent. Hanc esse mentem SS. Hieronymi & Augustini, patet ex laudatis eorum textibus in confirmationem nostræ sententiæ, quæ est Catholica. 2. Docent ex vitio esse, quòd minor sit nostra justitia; quia quando concupiscentia consensum sive perfectum, sive imperfectum à nobis extorquet, culpa nostra est. S. Gregorius laudato cap. 1. loquitur de justitia, in qua confidimus quasi ex nobis sit, sic enim scribit: *quisquis se auctori bonorum comparat, bono se, quod acceperat, privat, qui enim accepta bona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat, sanctus autem vir, quia omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab æterno arbitro judicetur*, rectè subjungit, *qui voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille; cum Deo autem contendere, est non ei, sed sibi gloriam suæ actionis tribuere.*

§. II.

Utrùm bona opera gratiæ auxilio elicita sint meritoria?

R. De fide est, esse meritoria; sic enim definiit Concilium Tridentinum Sess. 6. Can. 32. *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei*

Dei ut non sint etiam bona ipsius justificati merita . . . anathema sit.

Probatur 1. ex Scriptura, Matth. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis:* & cap. 2. *venite benedicti Patris mei, possidete . . . Regnum*, &c. *esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Rom. 2. *reddet unicuique secundùm opera ejus, iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis gloriam . . . . . & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* 2. ad Tim. 4. *bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.*

Probatur 2. ex Patribus; S. Cyprianus Lib. de Unitate Ecclesiæ ait, *præceptis ejus* (Dei) *obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.* Sanctus Basilius Lib. de Spiritu Sancto cap. 24. sic scribit: *homo ex operibus justitiæ salvatur.* S. Chrysostomus Hom. 4. de Lazaro: *si justus est Deus*, inquit, *& illis reddet pro meritis, id est bonis & malis.* S. Hilarius: *de nostro est beata illa æternitas promerenda.* S. Ambrosius l. 1. de Officiis cap. 15. *nonne evidens est meritorum aut præmia, aut supplicia manere post mortem?* Sanctus Augustinus Ep. 194. aliàs 105. ad Sixtum: *nullane sunt merita justorum? sunt planè, quia justi sunt; sed ut justi fierent; merita non fuerunt . . . Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna.* Sanctus Bernardus Serm. 68. in Cantic. *merita habere cures, habita . . . . data noveris, perniciosa paupertas, penuria meritorum.*

Dices 1. Roman. 6. habetur, *gratia autem Dei vita æterna:* & Psalm. 102. *qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Unde sanctus Augustinus Concione 2. in Psalm. 70. sic scribit: *Cùm præmium venerit,*

venerit, *ſua dona coronabit*; & ſanctus Bernardus Serm. 1. de Annuntiatione: *neque*, inquit, *talia ſunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faciat, niſi eam donaret*; ergo.

Diſtinguo anteced. vita æterna eſt gratia, & miſeratio, quatenus Deus gratuitò ad eam eligit, vocat, & auxiliis efficacibus, aliàs indebitis, perducit, Conc. eſt gratia & miſeratio duntaxat, nullamque habet rationem mercedis, aut præmii, quaſi ea mercede digna non ſint bona juſtorum opera, Nego ant. & quidem juxta interpretationem S. Auguſtini Lib. de Corrept. & Grat. c. 15. in quo ſic habet: *Vita æterna, quam certum eſt bonis operibus debitam reddi, à tanto Apoſtolo gratia Dei dicitur, cùm gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur: ſine ulla dubitatione confitendum eſt ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini.*

Inſtabis 1. ex Apoſtolo Rom. 8. *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*: Ergo.

Diſtinguo anteced. Non ſunt condignæ, ſi ſecundùm entitatem, & veluti materialiter ſpectentur, Concedo: ſi ſecundùm virtutem & influxum Chriſti Capitis noſtri, per quem voluntariè ſuſtinentur, Nego anteced. Sic Paſſio Chriſti v. gr. ſecundùm entitatem ſpectata ſimilis eſt paſſioni plurium Martyrum, qui per crucis tormentum, & alia atrociſſima ſupplicia conſummati ſunt, nec ſub illo reſpectu condigna fuit exaltatione, quæ ſubſecuta eſt. Sed ſi ſpectetur ſecundùm valorem & dignitatem perſonæ, quæ facta eſt obediens uſque ad mortem, meritum ejus, præmium infinitè excedit.

excedit. Porrò Christus vivit in Justis tanquam caput in membris, illos movet & regit per communicationem sui spiritus, qui fit in eis fons aquæ salientis in vitam æternam, ut dicitur Joan. 4. Nimirum aqua fontis in canali compressa ascendit ad altitudinem sui principii, seu scaturiginis: atqui Spiritus Sanctus est Deus & vita æterna, ad quam ordinat & dirigit actiones justorum: ergo cùm non deficiat in suis consiliis & operationibus, dubium non est quin illas actiones ad tantum præmium promoveat.

Confirmatur: semen quercus secundùm entitatem & materiam spectatum non habet proportionem cum procera quercu, virtute tamen continet illam, cùm illam producat. Sic in moralibus, qui brevi tempore insignem victoriam retulit, ex qua salus Reipublicæ pendebat, omnium judicio meritus est illustriores Reipublicæ Dignitates, quamvis ejus actio materialiter spectata non sit cum illis conferenda.

Instabis 2. Lucæ 17. ait Christus, *cùm feceritis omnia . . . . dicite: servi inutiles sumus;* Ergo.

Nego conseq. Ideo enim servos inutiles nos existimare debemus, 1. quia nihil utilitatis per nostra bona opera Deo conferimus: 2. quia cùm natura Dei servi simus, potest quidquid libuerit præcipere, etiam nulla proposita mercedis spe. Hinc S. Augustinus Sermone 163. aliàs 3. de verbis Apostoli, sic exclamat: *O magna bonitas Dei! cui pro conditione reddere debeamus obsequium, utpote servi Domino, amicitiarum præmia nobis repromittit, ut à nobis obsequia debitæ servitutis extorqueat.* Præterea advertit S. Chrysostomus, Christum Dominum non dixisse nos inutiles servos esse, cùm omnia præ-

cepta perfecerimus; ſed juſſiſſe, ut id dicamus ad cavendam ſuperbiam.

Dices 2. S. Auguſtinus Serm. 164. aliàs 15. de verbis Apoſtoli in illud Pſalmi, *pro nihilo facies illos*, ſic ſcribit: *Nihil invenis unde ſalves.* Et S. Bernardus cit. Serm. 15. in Pſalm. *Qui habitat: totum*, inquit, *hominis meritum eſt*, *ſi totam ſpem ſuam ponat in eo*, *qui totum hominem ſalvum facit*: Ergo.

Nego conſeq. Hæc enim & ſimilia intelligenda ſunt eo ſenſu, quo laudata Scripturæ loca, ſcilicet vitam æternam jure non dari meritis, quia merita noſtra ſupponunt gratiam, & gratuitam Dei promiſſionem: Deus quippe bona opera poterat à nobis exigere abſque ulla mercedis pollicitatione, quæ S. Aug. fuſiùs explicat l. de Grat. & lib. arbitr. c. 6. 7. & 8. & nos infra demonſtrabimus, ubi de conditionibus meriti.

Dices 3. non poteſt ſine Chriſti injuria aliquid tribui meritis noſtris; quia videremur partiri cum ipſo gloriam, dum ſalutem noſtram partim ad ejus merita, partim ad noſtra referremus: Ergo.

Nego antec. & ejus confirmationem. Merita quippe noſtra ſunt ejus dona, cùm ipſe in nobis operetur velle & perficere, ac proinde non in nobis, ſed in ipſo ſolo gloriamur.

Confirmatur reſponſio. Hoc Chriſtus Salvator eſt in ordine gratiæ & morum, quod Deus Creator eſt in ordine naturæ: atqui Deus in eo manifeſtat ſuam omnipotentiam, & infinitam virtutem, ne dum inſufficientem oſtendat, quòd cauſis ſecundis efficaciam tribuat: ergo à pari gloria Chriſti, & infinita vis paſſionis ejus in eo maximè elucet, quòd non ſolùm ſibi, ſed & nobis ſit merendi principium.

Ergo,

Ergo, inquies, ſicut Chriſtus dicitur in nobis operari, rectè etiam diceretur in nobis mereri.

Nego ſequelam; quia Chriſtus expleto redemptionis opere, non eſt in ſtatu merendi, cùm non ſit ampliùs viator, ſed ex omni parte comprehenſor. Itaque jam in nobis non meretur, quia per Paſſionem ſuam omnia nobis promeritus eſt; ſed nobis applicat Paſſionis ſuæ merita, & eſt in nobis principium benè operandi & merendi.

§. III.

Utrùm honeſtum ſit operari intuitu mercedis æternæ?

R. De fide eſt, id licitum eſſe & honeſtum; ita enim definiit Concilium Tridentinum Seſſ. 6. Can. 31. *Si quis dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema ſit.*

Probatur 1. ex Scriptura Pſal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem.* Matth. 6. *Quærite ergo primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus.* Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Probatur 2. ex S. Auguſtino in Pſal. 120. *Quid eſt*, inquit, *neſciat ſiniſtra, quid faciat dextera tua? id eſt, quando facis opus bonum, propter vitam æternam fac; nam ſi opus bonum propterea feceris in terra, ut terrena tibi in cibum Deus tribuat, ſcit ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua; miſcuiſti ſiniſtram dexteræ tuæ. Noli facere niſi propter vitam æternam: hoc fac, & ideo ſecurus facias, hoc enim mandavit Deus.*

Probatur 3. ratione: cuilibet operanti licet intendere finem, pharmacum videlicet ſumere intuitu ſanitatis, decertare propter victoriam: atqui finis bonorum operum ſupernaturalium, eſt vita æterna: Ergo.

Dices: mercenarium eſt intueri mercedem: atqui Chriſtus damnat mercenarios, Joan. 10. & S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 4. ad 3. docet amorem mercenarium cum vera charitate non poſſe ſubſiſtere: Ergo.

Diſtinguo maj. Mercenarium eſt intueri mercedem tanquam finem principalem, ita ut niſi propoſita mercede quis injunctum opus non perficeret, Concedo: tanquam finem ſecundarium, Nego majorem.

Porrò juſtus ita affectus eſt, ut Deo imperanti obſequeretur, etiamſi mercedem non proponeret.

Inſtabis 1. ſordidum & ſervile eſt operari propter mercedem: Ergo.

Diſtinguo antec. Propter mercedem ipſo opere viliorem, v.g. evangelizare propter bona temporalia, Concedo: propter mercedem, ad quam naturaliter ipſum opus tendit, ſcilicet beatitudinem, Nego antecedens.

Inſtabis 2. Deus debet diligi amore amicitiæ, non concupiſcentiæ, unde S. Bern. l. de diligendo Deo, *non ſine præmio diligitur Deus, etſi abſque præmii intuitu diligendus ſit*, ergo.

Diſtinguo antec. Deus non debet diligi amore concupiſcentiæ non referibili ad amorem amicitiæ, quemadmodum concupiſcimus alimenta, Concedo: referibili, Nego antec. Deus enim ſpe & charitate amatur; ſpes autem eſt amor concupi-

cupiſcentiæ: charitas verò amor amicitiæ, ad quem ſpes introducit, *in quantùm*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 17. a. 8. *aliquis ſperans remunerari à Deo accenditur ad amandum Deum; & ideo in via generationis ſpes eſt prior charitate.* Vera quidem eſt S. Bernardi ſententia, Deum abſque præmii intuitu eſſe diligendum, & ita charitate diligitur: ſed charitas non excludit amorem ſpei, ſeu concupiſcentiæ, imò illum perficit, quia, ut docet S. Thomas loc. cit. *de amicis maximè ſperamus.*

§. IV.

Utrùm liceat fiduciam ponere in propriis meritis?

Nota 1. fiduciam nihil aliud eſſe, quàm ſpem perfectam, ex S. Thoma 2. 2. qu. 129. art. 6.

Nota 2. aliud eſſe fiduciam naſci ex bonis operibus, aliud fiduciam ponere in bonis operibus. Fiduciam ponit in bonis operibus, qui ea intuetur, ac numerat, atque ex iis confidit, quemadmodum Apoſtolus dum ſcriberet 2. ad Timoth. cap. 4. *bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi; in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Sed quamvis ignoremus an opera noſtra ſint in Deo facta, propptereaque in iis non confidamus: attamen ex iis fiducia naſci poteſt; quia Spiritus Sanctus qui habitat in juſtis, & per quem benè operantur, ex Apoſtolo Rom. 8. reddit teſtimonium ſpiritui eorum, quòd ſint filii Dei; datque illis fiduciam clamandi: *Abba, Pater.* Sic Job, etiamſi diceret cap. 9. *verebar omnia opera mea*, nihilominus ex bonis operibus cor ejus

ita paratum erat sperare in Domino, ut nulla adversitate commoveretur ejus fiducia, *etiamsi occiderit me*, inquit c. 13. *sperabo in ipso.* His observatis, ad propositam quæstionem,

R. 1. Ex bonis operibus nascitur fiducia in Deum.

Probatur 1. ex Scriptura. Tobiæ 4. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem.* 1. ad Tim. 3. *Qui enim benè ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu.* 1. Jo. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

Probatur 2. ex sanctis Patribus. Sanctus Cyprianus Tract. de Eleemosyna, *præclara & divina res*, inquit, *salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium.*

Sanctus Chrysostomus Hom. 2. in 2. ad Cor. ait: *Optamus ut ex benefactis habeas fiduciam.* Et Hom. 15. Operis imperfecti: *sicut oleum accendit lumen, ita & bona opera excitant fidem cordis, & dant confidentiam animæ.* S. Augustinus Præfat. in Psalm. 31. *Ille sperat, qui bonam conscientiam gerit: ut ergo speret regnum, & credat, operetur.*

Probatur 3. ratione. 1. Ex bonis operibus nascitur bona conscientia, sicut ex malis mala: atqui ex bona conscientia nascitur fiducia: Ergo. 2. Actus boni virtutes generant ac perficiunt: Ergo spes, quæ est virtus Theologica, ex bonis operibus crescit, ac perficitur.

R. 2 Absolutè potest poni fiducia in operibus verè bonis: in praxi tamen multis de causis non est ponenda.

Prima pars probatur 1. ex Scriptura Lib. 2. Esdræ c. 5. ait Nehemias vir sanctus: *Memento mei, Deus meus, in bonum, secundùm omnia, quæ feci populo huic.* Psal. 17. David ex multa fiducia dicit: *Retribuat mihi Dominus secundùm justitiam meam.* Et Apostolus c. 4. 2. ad Tim. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.*

Probatur 2. ratione; quia fidelis est Deus in promissis suis. Ergo qui conscius est se perfecisse ea, pro quibus Deus pollicitus est mercedem, potest fidenter dicere, juxta S. August. feci quod jussisti, imple quod promisisti.

Secunda pars, nempe multis de causis fiduciam in bonis operibus non esse ponendam.

Probatur 1. ex auctoritate Ecclesiæ, quæ hanc orandi formam nobis præscribit, *Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus.*

Probatur 2. multiplici ratione. Prima, quia *nescit homo utrùm amore, an odio dignus sit.* Eccl. 6. Secunda, quia nobis non constat an opera nostra sint in Deo facta, & ex recta intentione procedant; namque *pravum est cor omnium & inscrutabile; quis cognoscet illud?* ait Dominus Jeremiæ c. 17. & S. Greg. *sæpe opus nostrum causa est damnationis, quod putatur esse profectus virtutis.* Tertia, quia nullum opus est meritorium, ex dicendis, nisi sit supernaturale, & à Spiritu Sancto movente: atqui ex dictis Tract. de Gratia nullus absque speciali Dei revelatione certò scire potest, an Spiritu Dei moveatur: Ergo. Quarta, quia tam frequentes sunt nostri lapsus, ut veniam petere videatur tota nostra justitia, meritòque timere debeamus, ne Deus

nos projiciat à facie sua, & Spiritum Sanctum suum auferat à nobis, ac retrahat auxilia efficacia, sine quibus nemo perseverat. Quinta, quia periculum est, ne ex bonis operibus inflemur, gloriemurque in nobis, sicut Pharisæus Luc. 18. namque ex S. Chrysostomo Hom. 3. in illud, *elevatum est cor ejus* (Oziæ) 2. Paral. c. 26. *nihil perinde gignit superbiam, ut bona conscientia, nisi advigilemus. Unde & Christus sciens, quòd post benefacta nos hic morbus adoritur, dicebat discipulis:* cùm feceritis omnia, dicite, quia servi inutiles sumus. *Quando nihil arbitramur operatos egregium, ampliùs etiam ob talem meremur affectum quàm propter opera ipsa, quæ fecimus. Minimum itaque de se sensisse tam magnum est, quàm magnas res fecisse.* Et S. Bernardus Serm. 68. in Cant. *Habet merita* (Ecclesia) *sed ad promerendum, non ad præsumendum. Ipsum non præsumere, nonne promereri est? Ergo eò præsumit securiùs, quò non præsumit.*

Atque ex his responsionibus facilè conciliantur, qui inter se pugnare videntur textus, tum Scripturæ, tum SS. Patrum, ubi sermo est de merito & fiducia bonorum operum.

§. V.

Quotuplex sit meritum?

R. Duplex, aliud de condigno, aliud de congruo. Meritum de condigno necessariò præsupponit gratiam sanctificantem, estque justorum proprium: meritum verò de congruo nonnunquam justificationem præcedit, estque commune justis & peccatoribus, qui ad justificationem disponuntur; nam justus gratiam alteri mereri

mereri poteſt de congruo, ut infrà dicetur, & bona opera peccatoris pœnitentis ſunt meritoria de congruo. Ita Theologi communiter, paucis exceptis, ut Durando, & Soto.

Ac 1. quidem Durandus in 2. diſt. 27. qu. 2. contendit nullum poſſe eſſe in creatura condignum meritum, quia Deus non poteſt illi conſtitui ita debitor, ut niſi mercedem redderet, injuſtus foret.

Sotus verò Lib. 2. de Natura & Gratia cap. 4. probat ex S. Auguſtino nullum ante juſtificationem agnoſcendum meritum. Sic enim habet S. Doctor Epiſt. 186. aliàs 106. *Si aliquid boni operatur homo, ut gratiam mereatur, non ei merces imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Si autem credit in eum, qui juſtificat impium, ut deputetur Fides ejus ad juſtitiam, profectò antequam gratia juſtificetur impius, quid eſt, niſi impius?* Deinde S. Thomas, qui 1. 2. quæſt. 104. artic. 6. conceſſerat juſtum alteri mereri poſſe de congruo primam gratiam, negat art. 7. poſſe ſimiliter ſibi mereri reparationem poſt lapſum; *Deſiderium*, inquit, in reſponſione ad primum, *quo quis deſiderat reparationem poſt lapſum, juſtum dicitur, & ſimiliter oratio: quia tendit ad juſtitiam; non tamen ita quòd juſtitiæ innitatur per modum meriti, ſed ſolùm miſericordiæ.* Et ratio eſt, quia qui meretur, acquirit jus ad id quod meretur; atqui peccator nullum habet jus ad gratiam ſanctificantem, & remiſſionem peccatorum; aliàs eſſet ei debita.

Confirmatur Durandi ſimul & Soti ſententia ex Concilio Tridentino; namque Patres Can. 32. Seſſ. 6. ſimpliciter docent hominis juſtificati bona opera ita eſſe bona Dei, ut ſint etiam bona

ipsius justificati merita; de condigno autem nihil prorsus. Et Can. 7. cavent dicere opera, quibus peccatores disponuntur ad justitiam esse meritoria. Sed satis ipsis est definire non esse peccata. Ergo ex Concilio Tridentino nec bona justorum opera sunt meritoria de condigno, nec pœnitentium de congruo. Nihilominus

Probatur utrumque membrum allatæ divisionis, ac primò quidem contra Durandum, quòd in justis benè operantibus agnoscendum sit meritum de condigno; quia ad meritum de condigno necesse non est, quemadmodum supponit Durandus, ut debeatur merces, seu præmium ex stricta justitia; sed satis est, quòd opus proportionem habeat ad mercedem, & intercedat promissio ex parte remuneratoris. Ista duo tam necessario requiruntur, ut si alterutrum desit, nullum sit meritum propriè dictum, nec merces debita: aliquis v. gr. magna animi fortitudine, & singulari prudentia hostes patriam devastantes profligaverit, dignus quidem est, qui Imperator à Rege præficiatur exercitibus; sed illud imperium non est illi debitum, si nullum intercesserit pactum, aut promissio: contra verò Rex promiserit ejusmodi imperium Medico, qui filium à lethali morbo sanaverit, curatio illa non erit meritum, sed mera conditio sine qua non; quia nec ordinem, nec proportionem habet ad tantam dignitatem. Atqui opus justi ex gratia elicitum est proportionatum, & æquivalens vitæ æternæ; justus enim, utpotè Filius Dei adoptivus, per gratiam sanctificantem factus consors naturæ divinæ, ut loquitur S. Petrus Epist. 2. cap. 1. & in esse divino constitutus, jus habet ad vitam æternam, tanquam

quam ad hæreditatem paternam, opera ejus per motionem Spiritus Sancti ad eam tendunt ac diriguntur, ut ad proprium terminum, exceduntque quodlibet aliud inferius præmium, adjunctam insuper habent Dei promissionem: Ergo sunt vitæ æternæ meritoria de condigno.

Confirmatur ex S. Thoma 1. 2. qu. 114. art. 3. in quo sic scribit: *Si autem loquamur de opere meritorio, secundùm quod procedit ex Gratia Spiritus Sancti, sic est meritorium vitæ æternæ ex condigno; sic enim valor meriti attenditur secundùm virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam æternam, secundùm illud Joan. 4.* Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: *Attenditur etiam pretium operis secundùm dignitatem gratiæ, per quam homo consors factus naturæ divinæ, adoptatur in Filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipso jure adoptionis, secundùm illud, Rom.* 8. Si Filii & hæredes.

Probatur 2. contra Sotum opera supernaturalia, quibus peccator disponitur ad justificationem, esse meritoria de congruo, 1. ex sancto Augustino Libro de Prædestinatione Sanctorum: *Quis*, inquit, *dicet eum, qui jam cœpit credere, ab eo, in quem credidit, nihil mereri?* Et Epist. 194 aliàs 105. *Nec ipsa peccati remissio sine aliquo merito est: neque enim nullum meritum fuit illius, qui dicebat, propitius esto mihi peccatori.* Denique Epist. 186. aliàs 106. *Si quis dicat quòd gratiam bene operandi Fides mereatur, negare non possumus, imò gratissimè confitemur.* Quando ergo S. Doctor in textu, quem laudat Sotus ex eadem Epistola, negat impium aliquid boni operari, ut gratiam mereatur, manifestè loquitur de prima Gratia ad credendum necessaria, quam nullum bonum opus præcedit saltem meritorium,

cùm

cùm Fides ſit prima radix meriti ; *Hanc fidem*, inquit, *volumus habeant* (Semipelagiani) *ut impetrent charitatem.* 2. S. Auguſtinus, & alii ſancti Patres, qui contra Semipelagianos decertarunt, conſtanter docent pium credendi affectum, & primum ſalutis deſiderium habere rationem alicujus meriti, nec proinde in nobis exurgere ſolis viribus liberi arbitrii, alioquin gratiam non fore gratiam, ſed mercedem. Ergo in eorum ſententia quoddam imperfectum meritum in peccatoribus præcedit juſtificationem.

Ex ſilentio autem Concilii Tridentini hoc unum colligi poteſt, ſcilicet Patres nihil circa præſentem controverſiam definiiſſe, quod ultrò fatemur. Quanquam favere videtur communi ſententiæ, cùm Can. 32. Seſſ. 6. definit juſtificatum bonis operibus verè mereri augmentum gratiæ, & vitam æternam ; nam particula, *verè*, denotat meritum de condigno, utpotè ſimpliciter dictum meritum; quippe de congruo eſt meritum ſecundùm quid ; nemo enim abſolutè & ſimpliciter dixerit peccatorem bonis ſuis operibus mereri remiſſionem peccatorum, quæ eſt opus miſericordiæ, non verò juſtitiæ, licèt eam præcedant bona opera, tanquam diſpoſitiones in adultis requiſitæ, & de congruo meritoriæ.

Quod autem opponitur ex ſancto Thoma, illud intelligendum eſt de juſto, qui poſt multa bona opera lapſurus eſt in grave peccatum, à quo neque de condigno, neque de congruo meretur reſurgere, propter illa opera, quæ ejus lapſum præceſſerunt : quod veriſſimum eſt, quia præcedentia illa merita extincta ſunt per peccatum ſubſequens, juxta illud Ezech. capite 18. quod laudat

dat sanctus Doctor: *Si . . . . averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem . . . . . . omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*

§. VI.

De Conditionibus ad meritum de condigno requisitis.

Rem aggredimur in praxi maximè necessariam, & sine qua non proderunt quæ hactenus tradidimus tum in hocce Tractatu de bonitate, & fine actuum humanorum, tum in præcedenti de Gratia. Namque, ut argumentatur sanctus Augustinus tract. 45. in Joan. *Cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere?* Annon in vacuum gratiam accipit, qui fructum, ad quem data est, hoc est, meritum condignum ex ea non colligit? ad quid felicitatem nostram longè aspicimus, si desit quo eam promereamur? Proponitur autem ut merces, nonnisi pretio ac merito bonorum operum comparanda: *Carere meritis, satis ad judicium est . . . . . perniciosa paupertas, penuria meritorum,* inquit S. Bernardus Serm. 68. in Cant. Servus, qui inutilem servaverat pecuniam Domini sui, projicitur in tenebras exteriores, Matth. 25. Quin Tertullianus, & post eum S. Gregorius Lib. 33. Moral. cap. 26. Deum in futuro judicio nobis exhibent veluti nummularium, qui examinat, ponderatque monetam, ne adulterina sit, aut levior: *Qui*, inquit, *numisma percipiunt, prius qualitatem illius, post figuram, ad extremum pondus examinant, ne sub auri specie æs lateat, aut hoc quod veraciter aurum est, monetæ reprobæ figura dehonestet, aut quod & aurum, & rectæ figuræ est, hoc non integrum pondus levitet.*

tet. Singulorum ergo plurimi intereſt noſſe, & Paſtorum docere, qui ſint proprii characteres meriti condigni, & præveniendo judicium Dei perpendere, utrùm in bonis noſtris operibus nulla deſit ex conditionibus ad verum meritum requiſitis. Itaque

Q. *Quot ſunt conditiones ad meritum de condigno requiſitæ?*

R. Ex conſtanti Catholicorum doctrina ſex requiruntur, & ſufficiunt. 1. Opus debet eſſe bonum. 2. Supernaturale. 3. Ab homine juſto. 4. Liberum. 5. In ſtatu viæ elicitum. 6. Denique merces debet ei promitti.

Probatur reſponſio quoad ſingula, quamvis in catecheſibus ſatis fuerit tria priora exponere; quia præterquam quod memoria puerorum, ac rudiorum non eſt nimis oneranda, ſi tria illa in noſtro opere adfuerint, cætera non deerunt, etiamſi de illis non cogitemus.

PRIMA CONDITIO.

Eſt cuique naturali lumine notum non eſſe opus laudabile, ac præmio dignum, niſi fuerit bonum; nam ex Tertulliano natura omne malum pudore & timore perfudit, adeò ut qui mali operis conſcius eſt, naturaliter de eo erubeſcat, & inde puniri timeat, ſi non ab hominibus, ſaltem à Deo: *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum*, inquit Apoſtolus Rom. cap. 2. Et cap. 6. *ſtipendia enim peccati, mors*, & quidem æterna, niſi Deus miſereatur; malitiæ enim individua comes eſt miſeria. Quòd ſi quis contendat dari opus in exercitio, ſeu individuo, nec bonum,

bonum, nec malum, ſed prorſus indifferens, quod ſupra negavimus; concedat neceſſe eſt illud non eſſe laude ac præmio dignum, ſicut nec pœna, aut vituperio. Deinde ex communi omnium ſenſu, nemo mercedem ab eo expectaverit, in cujus gloriam & obſequium non fuerit operatus; longè enim abſurdiſſimum foret, ſi quis à te remunerari expeteret, ex eo quòd ſuam vineam in proprium commodum diligenter excoluiſſet; atqui nullum opus cedit in Dei gloriam & obſequium, niſi fuerit bonum: Ergo.

Huc autem revocare neceſſe eſt, quæ de bonitate actuum humanorum præmittenda duximus; cùm ex iis noſtrum pendeat meritum, neque enim ſatis eſt operari bonum, niſi & benè. Annon artifex, qui injunctum opus elaboravit, laudabilem materiam adhibuit, putà pretioſum pannum, ſed malè, & præter artis regulas concinnavit, pœnam meretur, nedum mercedem? Sic ſe habent apud Deum, qui operibus ex objecto bonis vacant, publicam rem adminiſtrant, familiam regunt, agrum colunt, & quæ ſunt honeſti ſui ſtatus ac conditionis, exequuntur; ſed aliò, quàm ad vitam æternam iſta referunt, putà ad lucrum, auram popularem, & favorem humanum: *Officium quippe noſtrum*, inquit S. Auguſtinus Conc. 12. in Pſal. 118. *non initio*, *ſed fine penſandum eſt*, *ut ſcilicet*, *non tantum ſi bonum eſt quod fecimus*, *ſed præcipuè ſi bonum eſt propter quod fecimus*, *cogitemus.* Hinc Pſalmiſta Deum enixè rogat, & ex illo Eccleſia, dicens: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua vivifica me*; hoc eſt temporalia non intendam, ſed ſpiritualia; vanitas enim vanitatum omnia quæ ſub Sole geruntur, Eccli. 1. *in qua vanitate*,

pergit

pergit S. Doctor, *præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multa magna fecerunt, qui Magni in hoc sæculo nominati sunt, multúmque laudati in civitatibus gentium quærentes, non apud Deum, sed apud homines gloriam . . . . ad quam pervenientes perceperunt mercedem suam vani vanam. Ab hac vanitate volens Dominus avertere oculos suorum:* Attendite, *inquit*, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est . . . . . *Monuit ne etiam propter pecuniam, dicens:* Non potestis Deo servire & mammonæ? *Monuit ne propter ipsum necessarium victum, atque vestitum, dicens:* Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini: *Si enim vanum est propter hominum laudes bona facere, quantò vanius propter adipiscendam pecuniam, vel augendam, sive retinendam, & si quid ejusmodi est commodi temporalis, quod nobis accidit extrinsecùs, quia omnia vanitas?* Ex quibus concludit Lib. 2. de Serm. Domini in monte cap. 25. *Ergo simplici corde tantummodò propter regnum Dei debemus operari bonum ad omnes. Non autem in hac operatione vel solam, vel cum regno Dei mercedem temporalem cogitare;* alioquin mercedem non habebimus apud Patrem nostrum, qui in cœlis est, quin ab illo audituri sumus tristem illam vocem: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

Oremus igitur, & multum oremus, cùm opus aliquod meditamur, ut quod propriis viribus non licet, avertat Deus oculos nostros, ne videant vanitatem, vigilemusque ejus auxilio nixi, ne quod in nobis remaneat cupiditatis, in decursu operis sensim

ſenſim germinet, inficiatque quod ad ejus gloriam duro corde ſuſceperamus; ſuccidua enim eſt illa arbor, ſeu radix mala, quæ non poteſt bonos & condignos fructus facere.

Neque verò timendum eſt, ne regnum cœlorum, & juſtitiam ejus unicè quærentibus vitæ hujus neceſſaria deſint, cùm ſcripto teneamus Dei promiſſum. Matth. 6. *Hæc omnia adjicientur vobis*, etiam de iis non cogitantibus; ſicut enim ſemen mandatum terræ, dormiente agricola, germinat, creſcit, & in meſſem matureſcit; ſic quodlibet opus ſtrenuè elaboratum, naturaliter parit commodum temporale, etiamſi nonniſi regnum Dei, & juſtitiam ejus intenderit. An caupo v. g. qui deſiderio conſequendæ vitæ æternæ accenſus, diverſantes ad ſe hoſpites humanè excipit, minùs emolumenti capiet, quàm qui lucro inhians, hocce officio defungitur, aut quivis operarius minorem mercedem conſequetur, ex eo quòd omnem laborem & induſtriam ad Deum referat? Imò multò ampliùs lucrabitur; tum quia finis nobilitas, ac præmii magnitudo acuit diligentiam & ſolertiam; ſicut autem umbra corpus, ita diligentem operarium fama ſequitur, & multitudinem ad ipſum trahit: tum præſertim, & magis ad ſenſum textus mox laudati; quia Deus ut providus Pater Filiis ſibi obſequentibus neceſſaria ſuppeditat, rectam eorum intentionem remunerat benedictionibus, etiam temporalibus; harum quippe meritoria ſunt de congruo bona juſtorum opera: *Pietas autem*, inquit Apoſtolus, 1. Timoth. 4. *ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.*

Quæ cùm ita ſint, lugendi profectò, & quàm ſæpiſſimè à Paſtoribus commonendi innumeri homines, quibus pereunt opera, alioquin ex officio bona, & condigna vitæ æternæ pretia, ſi ad illam, ut par eſt, referrentur. Namque ad comparandum regnum cœlorum neceſſarias impenſas faciunt agricolæ, nec plura exiguntur, quàm impenduntur ab artificibus, & aliis, qui utiliter pro Republica laborant, ac divinæ providentiæ diu noctuque ſudantes deſerviunt, finem tantummodo mutent, non contemplantes quæ videntur, ſed quæ non videntur, ut loquitur Apoſtolus, & æternum gloriæ pondus in præmium certò conſequentur Verùm quia ad ejuſmodi opera ſola incitat cupiditas, ſola vires & animos ſubminiſtrat, meritis exeunt vacui, tandemque ad lucem veritatis evigilantes exclamare coguntur cum illo, qui dicebat: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus*, Luc. 5.

SECUNDA CONDITIO.

Quodlibet opus moraliter bonum meritorium non eſt, etiam de congruo, niſi ſit ſupernaturale. Eſt Fidei dogma, variis in Conciliis definitum contra Pelagianos & Semipelagianos, & confirmatum in Tridentino, Seſſ. 6. Can. 1. 2. & 3. *Omnem palmitem*, inquit Chriſtus Joan. 15. *in me non ferentem fructum*, *tollet eum* (Pater). Et verſ. 5. *qui manet in me & ego in eo*, *hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere.* Unde Patres Tridentini cap. 16. ejuſdem Seſſionis ſic docent: *Cùm ille ipſe Chriſtus Jeſus*, *tanquam caput in membra*, *& vitis in palmites*, *in ipſos juſtificatos jugiter virtu-*

virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent. Et ratio est, quia debet esse proportio, & quædam æqualitas inter opus & mercedem, inter meritum & præmium; nemo enim dixerit vile opus bajuli v. gr. mereri primos Reipublicæ honores: atqui nulla est proportio inter opus naturale, & præmium supernaturale; multoque magis distat gloria cœlestis, ab actu moraliter bono, etiam heroico, quàm prima regni dignitas à vilissimo bajuli opere, cùm gloria cœlestis sit divinum quid, excedatque omnem ordinem creatum. Ergo nullus actus potest esse tanti præmii meritorius, nisi sit supernaturalis & ordinis divini: *Opus meritorium hominis*, inquit S. Thomas 1. 2. qu. 104. art. 3. *dupliciter considerari potest: uno modo secundùm quod procedit ex libero arbitrio: alio modo secundùm quod procedit ex Gratia Spiritus Sancti. Si consideretur secundùm substantiam operis, & secundùm quod procedit ex libero arbitrio; sic non potest esse condignitas, propter maximam inæqualitatem. Si autem loquamur de opere meritorio secundùm quod procedit ex Gratia Spiritus Sancti, sic est meritorium de condigno vitæ æternæ: sic enim valor meriti attenditur secundùm virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam æternam; attenditur enim pretium operis secundùm dignitatem gratiæ, per quam homo consors factus naturæ divinæ adoptatur in Filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipso jure adoptionis.*

Q. 1. *Quot requiruntur ut actus sit supernaturalis?*

R. Duo, nempe principium supernaturale, & objectum, seu finis supernaturaliter movens.

Principium quidem; quia causa naturalis nonnisi naturaliter operatur. Ut ergo voluntas humana, quam diximus esse principium actuum moralium, supernaturaliter agat, Christo tamquam capiti conjungatur, unumque cum ejus Spiritu principium efficiatur necesse est, juxta illud Joan. 15. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere.* In Christo autem manendum, non habitu duntaxat, & per gratiam sanctificantem, sed & actu, & per actualem ejus Spiritus influxum. Sicut enim oculus plenissimè sanus, ex S. Augustino, sine corporali lumine videre nequit; sic anima quantumcumque per gratiam habitualem, seu sanctificantem sanata, absque actuali Spiritus Sancti influxu & lumine, supernaturaliter non operatur.

Attrahitur autem vivificus ille Spiritus per orationem, juxta illud Psal. 118. *Os meum aperui, & attraxi Spiritum*, quàm ideò virtualiter continuam esse debere docet S. Thomas, & nos fusè explicamus Tractat. de Religione, §. 70. de Oratione. Ergo qui propria nituntur industria, & neglecto orationis studio, toto naturæ impetu feruntur ad opera exteriora, putà mercaturam, agriculturam, lectionem, &c. non videntur operari supernaturaliter, nec proinde apud Deum mereri; quia principium, ex quo procedunt ejusmodi opera, est merè naturale.

Objectum quoque, seu finis supernaturaliter movens, concurrere debet ad actum supernaturalem, quia omnis actus speciem & essentiam desumit ab objecto motivo, ac proinde actus erit naturalis, si motivum sit naturale, qualis est civilis honestas, familia alenda, captanda hominis benevo-

nevolentia, lucrum faciendum, ſcientia acquirenda. Cùm autem certò ſcire non poſſimus, utrùm iſta duo ad actus noſtros concurrant, nonniſi ex quibuſdam conjecturis colligimus nos ſupernaturaliter operari. Unde verò id conjicere liceat, jam diximus ſuprà, cap. 3.

Q. 2. *Ad meritum de condigno requiriturne ut opus ſupernaturale nulla lege ſit præceptum, ſitque, ut ajunt, ſupererogationis?*

R. Minimè, imò affirmans ſententia communiter à Theologis damnatur ut temeraria, & erronea.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ ſervantibus mandata vitam æternam in mercedem promittit, Luc. 6. *Diligite inimicos veſtros . . . & erit merces veſtra multa.* Matth. 16. *Si . . . vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Et cap. 25. datur regnum Dei propter opera miſericordiæ, & quidem præcepta; qui enim ea omiſerunt, mittuntur in gehennam ignis. 2. Tim 4. *Fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi . . . juſtus Judex.*

Probatur 2. Ex Concilio Tridentino Seſſ. 6. cap. 16. Ubi docet nihil juſtificatis deeſſe; *Quominùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore (ſi tamen in gratia deceſſerint) conſequendam, verè promeruiſſe cenſeantur.*

Probatur 3. ratione; Quia laudabile eſt implere præceptum cum recta intentione, & pio affectu. Ergo.

Dices Luc. 19. habetur: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Enimverò ſervus nec do-

minum ſibi debitorem conſtituit, dum facit quod debet, nec debitor creditorem, cui ſolvit debitum: Ergo.

Nego conſeq. Quia meritum apud Deum non fundatur in commodo & utili, quod ei conferamus, ſed in voluntaria honeſtate operis, quæ in ejus gloriam cedit, alioquin nec mereremur amplectendo divina Conſilia; cùm nihil utilitatis Deo inde accreſcat.

Ad confirmationem reſpondeo, apud homines meritum non repeti, ſicut apud Deum, ex honeſtate operis, ſed ex labore in eorum utilitatem impenſo, ac proinde par non eſt utrobique ratio.

Q. 3. *Actus ſupernaturalis cujuslibet virtutis, eſtne in homine juſto meritorius de condigno?*

R. Theologi in oppoſitas abeunt ſententias; alii affirmant, alii negant, contenduntque nullum in homine juſto actum eſſe meritorium de condigno vitæ æternæ, niſi ſit elicitus, aut imperatus à charitate. Ita S. Thomas 1. 2. qu. 114. art. 4. Bellarminus, & plures alii, quibus in re tanti momenti adhærendum videtur, cùm hæc ſententia ſola in praxi ſit tuta: *Meritum vitæ æternæ*, inquit Angelicus Doctor, *primò pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes ſecundariò ſecundùm quòd earum actus à charitate imperantur.* Et in reſponſione ad tertiam objectionem, nempe quòd actus Fidei, patientiæ, & fortitudinis ſint maximè meritorii, ut patet in Martyribus, ſic habet. *Fidei actus non eſt meritorius, niſi Fides per dilectionem operetur, ut dicitur Gal. 5. ſimiliter etiam actus patientiæ & fortitudinis non eſt meritorius, niſi aliquis ex charitate hæc operetur, ſecundùm illud* 1. *ad Cor.* 13. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem

tem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quæ responsio excludit effugium Patronorum oppositæ sententiæ, qui S. Thomam in Corpore articuli interpretari conantur de actibus virtutum acquisitarum. In hac enim responsione expressè meminit actus Fidei, quem negat esse meritorium vitæ æternæ, nisi imperetur à charitate.

Probatur autem illa sententia 1. ex Scriptura, quæ disertis verbis beatitudinem charitati promittit. Joan. 14 *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Jac. 1. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Quando igitur regnum cœlorum promittitur pauperibus spiritu, misericordibus, persecutionem passis propter justitiam, subintelligi debet conditio, ut supra interpretabatur S. Thomas, modò ista bona imperentur, diriganturque à charitate; quia ex Apostolo cit. Epist. ad Corinth. cap. 13. *Si habuero omnem fidem . . . . . . si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Probatur 2. ratione duplici. Prima, quia debet esse proportio inter meritum & præmium. Cùm ergo gloria æterna sit præmium præstantissimum, per actum præstantissimum, scilicet charitatis, obtineri debet. Secundus, quia major gloria non retribuetur præcisè ei, qui plus pro Christo laboraverit, sed qui plus eum dilexerit, ut patet in beata Virgine, quæ tot labores non sustinuit, quot Apostoli. Ergo.

TERTIA CONDITIO.

Bajus Doctor Lovanienſis abſoluto Concilio Tridentino, cui interfuerat, docuit propoſitione decima tertia ſententiam, quæ docet opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non eſſe regni cœleſtis meritorium, inter errores Pelagii numerandam. Et propoſitione 16. rationem meriti in eo ſolùm conſiſtere, quòd quis obediat Legi Divinæ; quas propoſitiones cum pluribus aliis proſcripſerunt Summi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII.

Certum eſt igitur ſtatum gratiæ ſanctificantis eſſe conditionem neceſſariam meriti de condigno.

Probatur 1. ex Scriptura Ezech. 18. *Si ..... averterit ſe juſtus à juſtitia ſua .... omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Porrò ſi peccatum ſubſequens delet merita priùs acquiſita, à fortiori impedit, quo minus nova acquirantur. Joan. 15. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſi nec vos, niſi in me manſeritis:* Atqui Chriſtus non manet in nobis, niſi per charitatem, & gratiam ſanctificantem, juxta illud, 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Enimverò peccatum lethale animam ſeparat à Deo, Iſaiæ 59. *iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum.*

Probatur 2. auctoritate tum Concilii Tridentini Seſſ. 6. „ cap. 16. ſuprà laudato, ubi ad meritum præerequirit gratiam ſanctificantem: tum Summorum Pontificum, qui oppoſitam Baji ſententiam proſcripſerunt: tum ſanctorum Patrum; ſanctus enim Auguſtinus Lib. 1. ad Bonifacium cap. 2.

cap. 2. ſic ſcribit : *Non vivunt rectè homines, niſi effecti filii Dei.* Et Lib. de Fide & Operibus cap. 14. *Sequuntur bona opera hominem juſtificatum ; non præcedunt juſtificandum.* Sanctus quoque Gregorius Lib. 22. Moral. cap. 2. expendens illud Geneſ. 4. *Reſpexit . . . . ad Abel & ad munera ejus*, docet eum ab omni malitia debere eſſe purgatum, qui cupit ut ſua munera Deo placeant.

Probatur 3. ratione multiplici. Prima: vita æterna promittitur, ut hæreditas : atqui hæreditas non ſervatur niſi filiis : *Si . . . . filii & hæredes*, inquit Apoſtolus, Rom. 8. *Servus . . . . non manet in domo in æternum.* Joan. 8. Secunda, ſi ad meritum de condigno ſtatus gratiæ ſanctificantis non eſſet neceſſarius, ſequeretur peccatorem poſſe mereri de condigno remiſſionem peccatorum, & infuſionem gratiæ ſanctificantis ; qui enim meretur hæreditatem, eo ipſo meretur adoptari in filium, quia, ut jam obſervavimus, hæreditas non datur niſi filiis, atqui à ſenſu Catholicorum omninò alienum eſt peccatorem veniam mereri de condigno : *Dicat peccator*, inquit S. Auguſt. in Pſalm. 7. *Salvum me fac, Domine, propter miſericordiam tuam . . . . . quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc juſtificari deſiderat.* Tertia, quia idem ſimul mereretur vitam æternam, & damnationem : vitam quidem, ut contendit oppoſita ſententia : damnationem verò, quia peccator eſt, & reus pœnæ æternæ : atqui iſta duo ſunt manifeſtè contradictoria : Ergo. Quarta, ſi perſonæ dignitas nihil conferret ad meritum, actiones Chriſti non fuiſſent infiniti meriti ; nam ſecundùm entitatem ſpectatæ erant finitæ, & ejuſdem ſpeciei cum bonis juſtorum operibus. Sicut ergo ſuum valorem

hauriebant ab ejus perſona infinitè digna ; ſic bona juſti opera ſunt apud Deum accepta ; quia procedunt à perſona grata & amica. Deus, Geneſ. 4. 1. reſpexit ad Abel juſtum, deinde ad munera ejus. Idipſum in hominum moribus poſitum cernimus ; ſi enim munuſcula ad aliquem deferantur, prius interrogant à quo fuerint miſſa : ſi ab amico, gratanter accipiuntur : ſi verò ab inimico, contemnuntur.

Dices 1. Scriptura illud unum proponit ad conſequendam vitam æternam, nempè mandatorum obſervationem : *Si . . . . . vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Ergo.

Diſtinguo anteced. Proponit hominibus juſtificatis, & in Chriſto regeneratis, Conc. Peccatoribus, Nego anteced. *Niſi* enim *quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

Dices 2. Hæc doctrina peccatores eo ipſo à bonis operibus avocat, quo eos ſpe remunerationis dejicit : Ergo.

Nego antecedens. Quamvis enim bona opera non ſint in peccatoribus condigna vitæ æternæ merita, ſunt tamen neceſſariæ diſpoſitiones ad juſtitiam : debitæ ſatisfactiones, ſine quibus Deus juſtè iratus non placatur : ſalutaria remedia, quibus neglectis, nec morbi animi depelluntur, nec ſauciata conſcientia priſtinæ ſanitati reſtituitur. Unde peccator eò inſtantiùs piis operibus incumbere debet, quò in majori periculo verſatur, quàm juſtus. Ille dura Diaboli ſervitute premitur, iſte in ſpe filiorum Dei gloriatur : illi extrema minatur Deus, niſi reſipiſcat, & læſæ ſuæ juſtitiæ ſatisfaciat, hunc pollicitationibus recreat,

recreat, accenditque: ille ſtat ad veniam incertus, & miſericordiam implorat timidus: iſte coronam gloriæ expectat juſto Dei adjutorio innixus, juxta illud Pſal. 7. *Juſtum adjutorium meum à Domino.* Quot igitur in peccatoribus incentiva boni operis; quot ſtimulis urgendi à Paſtoribus, ut per pœnitentiam in gratiam Dei quàm citiſſimè redeant, & bonæ arbores effecti fructus ferant dignos vitæ æternæ!

QUARTA CONDITIO.

Opus condignum debet eſſe liberum à neceſſitate, ut conſtat ex Conſtitutionibus ubique receptis Summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. qui hanc Janſenii propoſitionem ut hæreticam damnarunt: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ; non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

Probatur 1. ex Scriptura Eccli. 31. juſtus dicitur mereri laudem & gloriam, quia *potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: facere mala, & non fecit.* 2. Ex S. Auguſtino, qui Lib. 5. de Civit. cap. 7. docet nulla à juſtitia bonis præmia, & malis ſupplicia eſſe conſtituta, ſi à Dei præſcientia neceſſitas imprimatur. 3. Ratione; quia, ut quis ſit præmio vel pœna dignus, debet habere dominium ſuæ actionis, & de ea diſponere prout vult; ideò enim eſt laudandus, aut vituperandus, quòd ſeipſum moverit, ac determinaverit ad opus bonum vel malum, à quo abſtinere poterat: atqui agens ex neceſſitate abſoluta, non habet dominium ſuæ actionis, nec de ea diſponit prout vult tanquam dominus: ergo nec præmio nec

pœna

pœna eſt dignus. Plura vide in hanc rem Tom. 2. Tract. de Gratia, cap. 6. §. 3.

QUINTA CONDITIO.

Ad meritum requiritur ex Dei ordinatione ſtatus viatoris.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ in morte figit meriti terminum, Joan. 9. *Venit nox, quando nemo poteſt operari.* Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* 2. Ex S. Hieronymo in cap. 9. Eccl. *Viventes*, inquit, *poſſunt bona opera perpetrare; mortui verò nihil valent adjicere ad id, quod ſecum tulere de vita.* Nulla autem ratio afferri poteſt, cùm id totum pendeat à libera Dei voluntate, & quidem congruenter; quia cùm beati & reprobi ſint in termino, ultra progredi nequeunt: progrederentur autem, ſi illi nova merita, iſti demerita congererent.

Dices: Beati in cœlis multa nobis obtinent ſuis orationibus: Ergo merita locum habent in Patria.

Diſtinguo anteced. Obtinent per modum impetrationis, Conc. Per modum meriti, Nego anteced. Oratio itaque dupliciter ſpectari poteſt, 1. ut ſupernaturale Religionis opus in honorem Dei, & ejus obſequium: & ſub eo reſpectu eſt in viatoribus meritoria, vel de condigno, ſi ſint juſti; vel de congruo, ſi peccatores, 2. ut mera petitio, ſicut in paupere efflagitante eleemoſynam, & ſub ea ratione eſt impetratoria duntaxat; nam pauper obſecrationibus ſuis non meretur aliquid accipere, cùm nihil faciat in obſequium noſtrum. Porrò orationes Sanctorum ſpectantur ut meræ petitio-

petitiones, quibus Sancti multa nobis impetrant, non verò merentur, propter momenta ſupra allata. Sic Chriſtus ſemper vivens ad interpellandum pro nobis. Hebr. 7. Nova nobis non meretur; ſed impetrat ſolummodò, ut merita vitæ ſuæ mortalis nobis applicentur.

SEXTA CONDITIO.

Ad meritum de condigno intercedere debet gratuita Dei promiſſio.

Probatur 1. Ex ſæpiùs laudato Can. 16. Seſſ. 6. Concilii Tridentini; in quo Patres docent juſtificatis proponendam eſſe vitam æternam, tamquam mercedem à Deo promiſſam bonis eorum operibus.

Probatur 2. ex Bullis Summorum Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. qui ſecundam hanc Baji propoſitionem proſcripſerunt: *Sicut opus malum ex ſua natura eſt mortis æternæ meritorium: ſic bonum opus ex ſua natura eſt vitæ æternæ meritorium.*

Probatur 3. ex S. Auguſt. Serm. 158. aliàs 16. de verbis Apoſtoli: *Debitor*, inquit, *factus eſt Deus, non à nobis aliquid accipiendo, ſed aliquid quod ei placuit, promittendo. Aliter enim dicimus homini, debes mihi, quia promiſiſti mihi: & aliter dicimus, debes mihi, quia dedi tibi. Poſſumus exigere dominium noſtrum, ut dicamus, redde quod promiſiſti, quia fecimus quod juſſiſti.*

Probatur 4. ratione duplici. Prima, quia cùm ſimus natura ſervi Dei, jure poteſt à nobis omnia opera exigere, & tenemur reddere, etiam nulla mercede propoſita. Unde S. Auguſt. Serm. 169. aliàs 15. de verbis Apoſtoli, ſic loquitur: *Nihil addi ad iſtam benevolentiam poteſt:* (qua nempe mercedem

cedem repromittit) *quis est, qui dicat, sanem me, & do tibi mercedem?* Secunda quia nemo tenetur rem suam vendere offerenti justum pretium, nisi pactum vendendi præcesserit, nec mercenario merces debetur, si non conductus laboraverit.

Dices: Peccatum meretur pœnam, etiamsi nullum intercesserit pactum: ergo & bonum opus mercedem.

Nego conseq. Disparitas est, quòd per peccatum Deus non fiat debitor homini peccanti, quin ipse peccator redditur debitor justitiæ divinæ; unde peccata dicuntur debita; potest autem creatura se obligare Creatori absque ejus promissione.

§. VII.

De iis, quæ cadunt sub meritum de condigno.

Q. 1. *Quænam cadunt sub meritum de condigno?*

R. Vita æterna, & augmentum gratiæ sanctificantis. Ita definiit Concilium Tridentinum Sess. 6. Can. 32. his verbis: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei: ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut, ipsum justificatum bonis operibus . . . . . . non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.*

Probatur: Tùm quia ex conditionibus ad meritum de condigno requisitis, & mox recensitis nulla deest bonis justi operibus in Deo factis: tùm quia id expressè docet Scriptura sacra. De vita quidem æterna habetur 2. Timoth. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in*

in illa die justus Judex, non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus. De augmento etiam gratiæ sanctificantis legitur Ps. 83. *ibunt de virtute in virtutem*, in quem locum sic scribit S. Augustinus: *Quantò plus amaveris, tantò plus ascendis.* Coloss. 1. *At ambuletis dignè, Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei.*

Dixi: *augmentum gratiæ sanctificantis*, quia primus ejus gradus non cadit sub meritum de condigno; cùm ante illum homo non sit justus & filius Dei adoptivus, sed peccator.

Dices: ergo neque primus gloriæ gradus cadit sub meritum de condigno, utpotè qui debeatur tanquam hæreditas primo gradui gratiæ sanctificantis, qui ex dictis necessariò præsupponitur ad omne meritum de condigno.

R. 1. Graves Theologi ejusmodi ratione permoti concedunt primum gloriæ modum non cadere sub meritum de condigno, sed posteriores duntaxat. Nihilominus

R. 2. Cum communiori sententia negando sequelam, & quidem ad mentem Concilii Tridentini. Patres enim laudato Can. 32. expressè distinguunt inter vitæ æternæ consecutionem, & ejus augmentum, definiuntque justum verè mereri utrumque. Et ratio est, quia primus gloriæ gradus possideri potest duplici titulo, nempe titulo hæreditatis debitæ filiis adoptionis, & titulo mercedis propter bona opera, quæ justificationem subsequuntur.

Instabis: si homo potest mereri de condigno primum gloriæ gradum per merita, quæ justificationem consequuntur; quidni poterit similiter mereri

mereri primum gradum gratiæ ſanctificantis per actus ſubſequentes?

R. Diſparitas eſt, 1. quia Scriptura & Patres ſimpliciter & abſolutè docent vitam æternam retribui meritis, nuſquam autem peccatorum remiſſionem & juſtificationem; ſed eam conſtanter referunt ad Dei miſericordiam: 2. quia juſtificatio, ſeu primus gratiæ ſanctificantis gradus ex dictis eſt principium meriti de condigno, atqui principium meriti non cadit ſub meritum: ſed ei neceſſariò præſupponitur.

Confirmatur: ſi juſtificatio daretur propter bona opera eam ſecutura, idem æquè dici poſſet de gratia vocationis, & prima gratia actuali, nempe eam concedi intuitu futurorum bonorum operum, quod tamen eſt hæreticum.

Q. 2. *Quoties augetur gratia ſanctificans, augenturne pariter omnes virtutes infuſæ, ut fides, prudentia, temperantia*, &c.

R. Augentur, quia gratia poſtulat illas virtutes tanquam proprietates, per quas juſtus diſponitur ad omnia bona opera: ergo eo ipſo, quo juſtus per intenſiorem gratiam ſanctificantem ad illa magis inclinatur, conſentaneum eſt, ut ad illa per virtutes ampliùs diſponatur, & expeditior fiat. Unde Concilium Tridentinum docet in juſtificatione ſimul infundi gratiam, virtutes, & dona.

Q. 3. *Poteſtne juſtus ſemper in gratia proficere, quamdiu eſt in via?*

Negarunt Beguardi, & Beguinæ, aſſerentes hominem in præſenti vita eum perfectionis gradum poſſe acquirere, quo redderetur prorſus impeccabilis, & ampliùs in gratia proficere non poſſet:

quem

quem errorem damnavit generale Concilium Viennense sub Clemente quinto anno 1311. Quare

R. Justus in hac vita potest semper proficere in gratia.

Probatur 1. ex Scriptura, Prov. 4. *Justorum .... semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectam diem*, quæ est in altera vita, ut interpretantur S. Gregorius, Venerabilis Beda, & alii, Eccli. 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Apoc. ultimo, *qui justus est, justificetur adbuc*, quod universaliter dicitur de omnibus justis.

Probatur 2. ex SS. Patribus. S. Augustinus, Serm. 169. aliàs 15. de verbis Apostoli sic habet: *Perfecti viatores, nondum perfecti possessores: & noveritis quòd perfectos viatores dicat, qui jam in via ambulant. Quid est ambulare? breviter dico, proficere. Si dixeris, sufficit, periisti, semper adde, semper ambula, semper profice.* S. Leo, Serm. 2. de Quadragesima, *hæc est*, inquit, *perfectorum vera justitia, ut nunquam præsumant se esse perfectos; ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, decidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum.*

Probatur 3. ratione, quia semper justi tenentur præcepta implere: atqui opus præceptum, ex dictis, est meritorium: Ergo.

Objiciebant Beguardi; si semper justi proficerent, Christo perfectiores evadere possent, quod est absurdum & impium.

Nego sequelam; Quia causa meriti est gratia, supra cujus motionem nemo supernaturaliter operari, nec proinde mereri potest: atqui nullus secundùm ordinariam Dei potentiam, tantam gra-

tiam habere poteſt, quanta collata eſt Chriſto, ut diximus Tractatu de Incarnatione: ergo nullus quantumcumque creſcat in virtute, ad perfectionem Chriſti pervenire poteſt.

Q. 4. *Bonum opus injuſtis eſtne meritorium de condigno, alterius boni operis?*

R. Minimè; quia in hoc ſtatu nullum bonum opus perficitur, niſi auxilio efficaci: atqui juſtus non poteſt mereri de condigno auxilium efficax: Ergo.

Q. 5. *Quare juſtus piis operibus non meretur de condigno gratiam efficacem?*

R. 1. Quia nulla de ea extat Dei promiſſio. 2. Quia Scriptura & SS. Patres docent continuò implorandum Dei auxilium, ut acceptis ejus donis benè utamur, & in bonis operibus perſeveremus, ut fuſè probamus Tom. 4. Tract. de Religione, ubi de neceſſitate orationis, cap. 4. §. 7. Atqui quod obtinetur per orationem non habet rationem mercedis, ſed gratuiti doni. 3. Quia ſi gratia efficax deberetur cuilibet juſtorum bono operi, omnes juſti perſeverarent; quia gratia efficax ſemper habet effectum, nec unquam ei reſiſtitur. Unde perſpicuum eſt, quòd ſi juſtus per primum opus bonum mereretur de condigno gratiam efficacem, infallibiliter alterum bonum opus ſequeretur, quod ſimiliter meritorium gratiæ efficacis tertium exciperet, & ſic deinceps uſque ad ultimum vitæ terminum. Quæ autem contra objici poſſunt ſolvimus Tom. 1. Tract. de Attributis cap. 19. §. 9. ubi pluribus oſtendimus donum perſeverantiæ, quod in adultis complectitur auxilia efficacia, cadere quidem ſub meritum de congruo, minimè verò ſub meritum de condigno.

Q. 6.

Q. 6. *Justus mereturne de condigno augmentum gratiæ sanctificantis per quodlibet opus à charitate elicitum aut imperatum?*

R. Duplex est in scholis sententia: alii, ut S. Bonaventura, & Durandus, negant justum per actus gratia sanctificante remissiores mereri ejus augmentum; quia habitus non augentur per actus se remissiores, sicut corpus calidum ut quatuor non potest calefieri per aliud corpus, quod sit duntaxat calidum ut duo. Alii magis communiter affirmant, justum mereri illud augmentum per ejusmodi actus etiam remissos; sed mentem suam non uno modo explicant. Alii quippe contendunt augmentum gratiæ habitualis seu sanctificantis non statim rependi ejusmodi actibus remissis, sed differri donec vel conferatur gloria, vel justus producat actum intensiorem, ad quem disponit actus remissus: hanc suam sententiam colligunt ex sancto Thoma, qui 1. 2. qu. 114. art. 8. sic respondet ad tertium, *dicendum*, inquit, *quòd quolibet actu meritorio meretur augmentum gratiæ; sed sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore, cùm scilicet fuerit sufficienter dispositus ad gratiæ augmentum.* Et 2. 2. qu. 24. art. 6. ex professo quærit, utrùm quolibet charitatis actu habitus charitatis augeatur, & ita statuit, *non quolibet actu charitatis, charitas actu augetur; sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantùm ex uno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundùm charitatem: & habilitate crescente homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis ... & tunc charitas augetur in actu.* Alii volunt augmentum gratiæ sanctificantis statim retribui actibus charitatis etiam remissis; probantque, quia nec Scriptura, nec

Concilia, nec SS. Patres hujusce dilationis meminere, imò Concilium Tridentinum videtur illam excludere, dum disertè docet justum renovari de die in diem; in gratia accepta crescere, & ire de virtute in virtutem. Sed illud est notatu dignum, quòd Patres definiant Canone 32. Sess. 6. piis justi operibus gloriam retribuendam cum hac conditione: *Si in gratia decesserit*, nullam verò conditionem apponant, ubi sermo est de augmento gratiæ, sed simpliciter & absolutè statuant justificatum bonis operibus mereri augmentum gratiæ.

Confirmatur 1. quia absurdum videtur justum, qui præviis charitatis actibus in justificatione abundantiorem gratiam accepit, propter tria simul Sacramenta ipsi collata, scilicet Baptismum vel Pœnitentiam, Confirmationem, & Eucharistiam, iisdem charitatis actibus utpote remissis, non mereri augmentum gratiæ, quibus alter gratia inferior illud mereretur. 2. Quia actus supernaturales physicè non augent habitus infusos, sicut actus naturales habitus acquisitos, sed moraliter duntaxat & meritoriè: atqui negari non potest quin Deus aliquando pro actibus remissioribus in præmium rependat habitum longè intensiorem; namque in glorificatione augetur perficiturque habitus charitatis in mercedem præcedentium actuum, qui in via fuerunt longè remissiores amore beatifico. Et ita corruit fundamentum primæ sententiæ, quamquam non pauci Philosophi doceant habitus acquisitos intendi per actus etiam remissiores.

Q. 7. *Justus potestne alteri mereri gratiam & vitam æternam?*

R. Non

R. Non poteſt de condigno, poteſt de congruo, non tamen ipſam prædeſtinationem. Reſponſio quoad ſingulas partes probata eſt, ubi de Prædeſtinatione, Tractatu de Attributis, cap. 19. §. 6.

§. VIII.

De iis, quæ pertinent ad meritum de congruo.

Plura jam ſuprà diximus circa meritum de congruo, ac primò quidem de ejus exiſtentia §. 5. de iis, quæ ſub meritum de congruo cadere poſſunt, tum citato §. tum §. 7. immediatè præcedenti. Superſunt duntaxat nonnullæ difficultates nunc ſolvendæ. Itaque

Q. 1. *Quot ſunt conditiones ad meritum de congruo?*

R. Quatuor; 1. opus debet eſſe bonum, 2. ſupernaturale: 3. liberè elicitum, 4. ab homine viatore. Probatur iiſdem planè momentis, quibus ſupra demonſtravimus eaſdem conditiones requiri ad meritum de condigno; pro utroque enim merito æquè ſunt efficacia, ut legenti patebit.

Quod verò ſpectat cæteras conditiones ad meritum de condigno neceſſarias, nempe ſtatum gratiæ ſanctificantis & Dei pactum ſeu promiſſionem, abſolutè non requiruntur ad quodlibet meritum de congruo, utpote quod præciſè fundetur in motione Spiritus Sancti, & in bonitate operis proportionata beneficio accipiendo; nam Cornelius Act. 10. ſuis eleemoſynis & orationibus meruit de congruo, quod Deus ipſi non promiſerat.

Dixi duas illas conditiones abſolutè non requiri ad quodlibet meritum de congruo, ut in-

nuerem eas aliquando intervenire; nam Ezech. 18. v. 21. Deus peccatori pœnitenti veniam promittit: Sanctus quoque Jacobus c. 5. supponit necessarium justitiæ statum, ut quis alteri mereatur, *multùm ..... valet*, inquit, *deprecatio justi assidua.* Et sanctus Ambrosius: *Si diligis Dominum Deum tuum, non solùm tibi, sed etiam aliis, poteris mereri.* Denique constat apud omnes neminem, nisi sit justus, posse sibi mereri de congruo donum perseverantiæ.

Q. 2. *Donum sequiturne infallibiliter meritum de congruo?*

R. Sequitur, si meritum habeat rationem ultimæ dispositionis: secus, si se habeat ut remota dispositio; quia motio Spiritus Sancti semper consequitur finem, nisi creatura impedimentum opponat: atqui nullum est impedimentum ex parte creaturæ, quæ mota à Spiritu Sancto, extremam manum operi imponit; secùs, si retrahat; hinc bona, quæ justus aliis meretur, iis non semper obveniunt; quia plerumque ponunt obicem.

Q. 3. *Potestne quis sibi vel alteri mereri bona temporalia?*

R. Potest per actus supernaturaliter & ex gratia elicitos mereri saltem de congruo, tùm sibi, tùm aliis, ea bona temporalia, quæ ad propriam vel aliorum salutem sunt divinitus ordinata. 1. Quia Christus præcepit, ut nobis & aliis peteremus panem nostrum quotidianum, quo nomine intelliguntur omnia vitæ præsenti necessaria: atqui hujusmodi præceptum supponit Deum ut optimum Patrem filiis rogantibus & promerentibus ea subsidia velle concedere: quæ aliquando negligentibus & immeritis denegat. 2. Quia congruum

gruum est (nisi ponamus obicem) ut sequatur effectus, ad quem promerendum Deus nos sua gratia movet. 3. Quia bona temporalia quatenus à Deo ordinata ad nostram salutem, pertinent ad gratias exteriores, quas Christus nobis promeruit: Ergo.

Dixi 1. *saltem de congruo*, illud quippe communiter admittunt Theologi, sed difficultas est circa meritum condignum; quia quod cadit sub meritum de condigno, habet rationem præmii & mercedis, ex S. Thoma 1. 2. qu. 114. art. 10. atqui bona temporalia non sunt præmium virtutis; cùm bona & mala æquè eveniant bonis & malis, ut habetur Eccl. 9. Attamen S. Doctor cit. art. videtur concedere justos posse sibi mereri temporalia de condigno; ait enim, *si temporalia bona considerentur prout sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam æternam, secundùm hoc directè & simpliciter cadunt sub merito, sicut & augmentum gratiæ . . . tantum enim dat Deus viris justis de bonis temporalibus, & etiam malis, quantùm eis expedit ad vitam æternam, & in tantum sunt simpliciter bona hujusmodi temporalia. Unde dicitur Psal.* 33. timentes autem Dominum non minuentur omni bono: atqui juxta S. Doctorem & omnes Catholicos, justi merentur de condigno augmentum gratiæ: Ergo & bona temporalia quatenùs gratiæ augendæ subserviunt, propterea que dicit ea simpliciter cadere sub meritum, cùm contra meritum congruum supra vòcet meritum secundùm quid, & eam sententiam amplectuntur Gamacheus, Sylvius & alii.

Dixi 2. *per actus supernaturales*; quia quamvis in statu naturæ puræ homo mereri potuisset etiam

de condigno bona temporalia per actus moraliter bonos, & viribus naturæ elicitos, utpote præmio proportionatos; in hoc tamen ſtatu non agnoſcitur meritum propriè dictum, niſi ſit ex meritis Chriſti, & ex influxu Spiritus ejus; atqui merita Chriſti nobis non applicantur per opera moraliter bona ſolis naturæ viribus elicita: Ergo.

Dixi 3. *quæ ad ſalutem æternam ſunt ordinata*, ſcilicet à Deo ſimul & ab ipſo operante; ut innuerem orationes, eleemoſynas, & alia opera ex objecto bona, quæ fiunt ex cupiditate pro adipiſcendis bonis temporalibus, nedum eſſe alicujus meriti apud Deum, quin eſſe peccata, & iram ejus provocare; ſed de his plura Tom. 4. Tract. de Religione, ubi de Oratione, c. 4. §. 4.

Dices 1. Exodi 1. Deus benefecit obſtetricibus, quæ contra præceptum Pharaonis non interfecerant naſcentes Hebræorum maſculos, propterea que ædificavit eis domos: atqui opus illud non fuit ſine vitio; in eo quippe mentitæ ſunt obſtetrices: ergo ad promerenda bona temporalia, bonum opus non requiritur.

Nego min. Peccarunt quidem obſtetrices, cùm per mendacium occultarunt Pharaoni opus miſericordiæ erga Hebræos, ſed ipſum opus fuit in eis laudabile, & moraliter bonum; quis enim dixerit filium peccaſſe audiendo ſacrum; quia ad declinandam iram patris hæretici falſò poſtea negavit ſe audiſſe ſacrum? Deus autem non remuneravit mendacium obſtetricum, ſed bonum earum opus, quod præceſſerat.

Inſtabis: Ezech. 29. dicitur: *Rex Babylonis ſervire fecit exercitum ſuum ſervitute magna adverſùs Tyrum* (quia per annos 13. oppugnavit eam, tandemque

demque vaſtavit, Deo ita ordinante, in vindictam ejus ſcelerum) .... *& merces non eſt reddita ei .... Erit merces exercitui illius, & dedi terram Ægypti, pro eo quòd laboraverit mihi:* atqui obſidio illa, ac vaſtatio fuit opus malum & injuſtum in Nabuchodonoſore, utpote ex impotenti libidine dominandi: Ergo per actus moraliter malos poteſt quis mereri ſaltem de congruo bona temporalia.

Diſtinguo maj. Erit merces exercitui illius impropriè & materialiter, quemadmodum Deo materialiter, & præter intentionem in illa obſidione ſervivit, Concedo; erit mercès propriè & formaliter, Nego maj. Deus itaque in hac narratione probat ſe eſſe rerum omnium Dominatorem, & pro infinita ſua ſapientia ac juſtitia, ad quos voluerit, transferre regna terræ; ſibi adſcribendas Nabuchodonoſoris, & aliorum Regum victorias, dicitque eos per ejuſmodi opera ſibi ſervire, ſed veluti inſtrumenta irrationalia; cùm nec Nabuchodonoſor, nec Alexander Macedo, nec Romani illum agnoverint. Dedit ergo eis mercedem impropriè dictam, quemadmodum pabula pinguiora dantur jumentis, ex multo & utili labore defatigatis.

Dices 2. ex cit. cap. 9. Eccleſ. *Univerſa æquè eveniunt juſto & impio;* Ergo bona temporalia non cadunt ſub meritum.

Diſtinguo antec. æquè eveniunt in diverſum uſum & finem, Concedo: æquè eveniunt in eundem uſum & finem, Nego antec. *quia*, inquit S. Thomas cit. art. 10. ad 4. *boni per hujuſmodi munus ducuntur ad beatitudinem*, non autem mali. Impiis mala eſt ſive proſperitas, ſive adverſitas: proſperitas quidem, quia ſi miſer eſt, qui malè con-

cupiscit, sanè miserior dicendus est, ex S. Augustino, qui habet quod malè concupiscit; inde enim exardescit superbia & cupiditas, sicut ex majori lignorum copia crescit incendium. Contra verò electis prosperitas est instrumentum bonorum operum, & adversitas veluti fornax, in qua probantur, & excoquuntur eorum virtutes. Unde, juxta S. Augustinum Tract. 73. in Joan. Deus malis concedit iratus, quod justis negat propitius; *Novit enim Medicus*, inquit, *quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus. Quod si fecerit, non ut Salvator facit, quod est nomen ejus fidelibus ejus. Est quippe impiis & damnator.*

CAPUT VIII.

De Divisione Actuum humanorum.

Q. 1. *Quomodo dividuntur actus humani?*

R. Dividuntur 1. in elicitos, qui immediatè à voluntate procedunt, ut amor; & imperatos, qui mediante alia facultate, à voluntate exeunt, ut ambulatio, quæ imperatur à voluntate, sed immediatè procedit à facultate motrice. 2. in interiores, v. g. velle dare eleemosynam, appetere vindictam: & exteriores, ut actu dare eleemosynam vel vindictam sumere. 3. in bonos & malos. Boni subdividuntur in bonos moraliter, & bonos supernaturaliter. Et hi rursùs sunt meritorii, vel de condigno, vel de congruo.

Circa actus malos plura sunt exponenda Tractatu sequenti, qui est de peccatis. De bonitate autem actuum humanorum generatim spectata, ac de eorum merito satis superque diximus in hocce Tra-

Tractatu. De bonitate verò morali ex professo egimus Tom. 2. Tractatu de Gratia c. 5. §. 2. de supernaturali, ibidem cap. 1. Supersunt duntaxat nonnullæ difficultates solvendæ circa actus interiores & exteriores. Itaque

Q. 2. *Utrùm actibus exterioribus competat specialis bonitas, aut malitia?*

R. 1. Actus exterior, putà eleemosyna, non est bonus moraliter, nisi extrinsecè, & denominatione petita ab interiori voluntatis actu. Ita S. Chrysostomus Hom. 19. in Matth. *Voluntas est*, inquit, *quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo: opera autem testimonia sunt voluntatis.* Et sanctus Thomas 1. 2. qu. 28. art. 4. ad 2. sic scribit: *Bonitas actus exterioris .... non est alia à bonitate voluntatis, quam habet ex ipso actu volito.* Et ratio est, quia actus exterior eatenùs est bonus moraliter, quatenùs est voluntarius, liber, & tendens ad honestatem, ut patet ex dictis: atqui per se formaliter nec est voluntarius, nec liber, nec tendens ad honestatem, sed quatenus imperatur, & dirigitur ab interno voluntatis actu libero, à quo denominatur voluntarius, liber, & moralis: ergo extrinsecè tantùm & denominativè est bonus.

R. 2. Actus exterior indirectè & occasionaliter auget bonitatem actus interioris, quatenus difficultas, diuturnitas laboris, defatigatio, & alia, quæ solent comitari opera externa, occasionem voluntati præbent exerendi vires, majorem conatum adhibendi, actus internos multiplicandi, quamdiu perficitur opus externum, quamdiu v. gr. martyris corpus per varia tormenta dilaniatur. Ergo simpliciter & absolutè melius est esse

Mar-

Martyrem in re, quàm in voto; longam & difficilem peregrinationem conficere Religionis caussa, quàm proponere tantùm, aut vovere; quia nimirum propter ejusmodi opera exteriora, voluntas plures & intensiores actus repetit.

Advertit tamen sanctus Thomas cit. articulo, quòd si voluntate existente plena & perfecta, desit occasio vel possibilitas ponendi actum exteriorem, nihil minuitur de ejus merito & præmio; *quia*, inquit, *involuntarium absolutum non minuit meritum.* Quod autem dictum est de bonitate actuum exteriorum, idem cum proportione censendum de eorum malitia, nempe malos esse moraliter extrinsecè tantùm, & denominatione petita ab actu interiori voluntatis malæ, indirectè tamen & occasionaliter augere malitiam actus interioris; qui enim cruentat manum sanguine proximi, crudelior est, majori & diuturniori flagrat odio, quàm qui solùm voluit occidere.

Ergo in Confessione Sacramentali actus exterior exprimendus, meritóque Alexander VII. proscripsit hanc propositionem, *qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens, commisi grave peccatum cum soluta contra castitatem, non explicando copulam.*

Adde quòd actus exterior, ex sancto Thoma cit. art. 4. pertinet ad interiorem, tanquam materia ad formam, efficitque cum illo unum actum completum; ac proinde qui reticeret actum exteriorem, non integrè peccatum confiteretur.

Q. 3. *Unde petenda est unitas, vel multiplicitas actuum humanorum?*

Hæc quæstio non videtur esse alicujus momenti, nisi propter Confessionem Sacramentalem, in qua

qua secundùm definitionem Concilii Tridentini, debent explicari peccata secundùm speciem & numerum. Cui quæstioni ut fiat satis,

Nota 1. unitatem & multiplicitatem actuum humanorum duplicis esse generis, aliam specificam, aliam numericam; actus enim humani aliquando distinguuntur specie, ut furtum, & ebrietas; aliquando solo numero, ut duo furta, qui sunt actus ejusdem speciei, sed numero distincti.

Nota 2. actus humanos dupliciter spectari posse, scilicet physicè, & moraliter; ita ut nonnunquam plures actus physicè numero distincti, moraliter reputentur unus actus. His præmissis,

R. 1. Unitas, vel diversitas specifica actuum humanorum sumitur ab unitate, vel diversitate objecti formalis; quia objectum formale, seu motivum ex dictis dat speciem & formam actui. Hinc peccata non differunt specie, etiamsi pugnent contra distincta præcepta, quibus eadem virtus præcipitur: secus si diversa; quia in priori hypothesi est idem objectum formale: in posteriori verò diversum. Sic fornicatio, v. gr. in Sacerdote & Diacono, est ejusdem speciei; quia est contra eandem virtutem Religionis, quamvis gravior sit in Sacerdote propter circumstantiam Sacerdotii notabiliter aggravantem, in Confessione Sacramentali exprimendam; Sacerdotium enim, utpote sacratius, majorem requirit munditiem, quàm Diaconatus. In Sacerdote verò & Laico fornicatio differt specie, quia in illo castitatem lædit simul & Religionem, in isto verò castitatem duntaxat.

R. 2. Actus humani physicè spectati, multiplicantur numero pro mutatione objecti & circumstan-


cumstantiarum: sic in illo sunt duo actus physicè distincti, qui post inflictum semel vulnus, aliud iterum eidem infligit: si verò moraliter spectentur actus, plures physicè reputantur unus moraliter; & ideò non numerandi in Confessione, si ex natura sua, vel ex communi hominum consuetudine ordinentur ad eundem actum principalem; & absque ulla fere mora. Statuit quis v. g. percutere inimicum, ensem accipit, iter aggreditur, & dum pergit ad locum, sæpius iterat propositum occidendi, tandemque exequitur; hi omnes actus censentur moraliter unus actus. Idem dicendum de adulterio, in quo satis intelliguntur actus, qui præcedunt tanquam dispositiones.

Dixi 1. *si ex natura sua, vel ex communi hominum consuetudine ordinentur*, &c. quia si actus insolitus, & contra specialem virtutem pugnans, ad alium præcipuè intentum disponeret, in Sacramentali Confessione esset exponendus; ut si quis in allato exemplo homicidii ensem furatus esset ad occidendum, peccatum illud furti moraliter esset ab aliis distinctum, tum numero, ut patet, tum specie; quia est contra aliam virtutem, nec solet adhiberi ejusmodi actus ad homicidium patrandum.

Dixi 2. *ad eundem actum præcipuè intentum*; nam si sint duo actus principales, qui ad se invicem non ordinentur, v. gr. si in eadem pugna occidantur duo homines, duæ habeantur copulæ cum eadem, & eodem tempore, erunt duo numero actus, etiam moraliter; ac proinde exprimendi in Confessione. Idem dicendum de eo, qui sæviret in cadaver hominis mox à se occisi, teneturque hunc actum declarare, cùm sit alterius speciei,

ciei, pertineatque ad crudelitatem, nec ſoleat intelligi in homicidio.

Dixi 3. *& abſque ulla ferè mora fiunt;* quia ſi tam longum temporis intervallum intercedat, ut actus illi cenſeri non poſſint moraliter conjuncti, multiplicantur numero, & in Confeſſione ſunt numerandi. Ita ſanctus Thomas 1. 2. quæſt. 20. artic. 4. ubi ſic habet: *Cum aliquis vult aliquid facere, bono fine vel malo, & tunc quidem non facit, poſtmodum vult & facit, duplicatur actus voluntatis: & ſic fit duplex bonum, vel duplex malum.* Hinc qui per plures dies meditatur homicidium, furtum, adulterium, plura numero peccata etiam moraliter committit, nec facit Confeſſionem integram, ſi dicat ſe reum eſſe unius homicidii, furti, adulterii; ſed inſuper exprimere debet, quoties voluerit homicidium, furtum, adulterium perpetrare.



Tracta-



Tractatus DE VITIIS ET PECCATIS.

CAPUT PRIMUM.

De varia Acceptione Vitii & Peccati.

Q. I. *Quotuplici modo vitium & peccatum sumuntur?* R. Duplici, 1. latè pro quolibet defectu sive naturæ, sive artis. 2. strictè pro morali rationis defectu. Priores defectus dicuntur vitia & peccata secundùm quid, v. g. vitia & peccata naturæ, aut artefacti: posteriores simpliciter vocantur vitia & peccata. Et ratio est; quia, cùm natura, aut artifex deficit, peccat

peccat solùm contra finem particularem; nec effectus utriusque, licèt vitiosus, repugnat Legi æternæ, reducique potest ad Deum ultimum rerum omnium finem: contra verò defectus moralis adversatur Legi æternæ, nec potest ad Deum referri.

Ergo peccatum seu vitium strictè sumptum, est deordinatio voluntaria naturæ rationalis in iis, quæ spectant mores.

Q. 2. *Vitium & peccatum suntne unum & idem?*

R. Aliquando promiscuè accipiuntur: propriè tamen differunt.

Q. 3. *In quo differunt?*

R. Differunt sicut actus & habitus. Peccatum quippe est actus moraliter malus: vitium verò est habitus, seu dispositio per se inclinans ad actum moraliter malum.

Ergo peccatum est quid pejus vitio; quia malè agere pejus est, quàm dispositum esse ad malè agendum. Primum punitur, non secundum.

Dices: ab habitu homo denominatur simpliciter bonus aut malus, non verò ab actu; mendax v. g. non dicitur, qui semel mentitur, sed qui dispositus est ad mentiendum: ergo vitium pejus est peccato.

Nego conseq. ideo enim quis ab habitu, non ab actu dicitur bonus vel malus; quia habitus est permanens, actus verò transiens. Unde qui semel mentitus est, si habitum mentiendi non contraxit, præsumi debet non velle mentiri; fortè enim consilium mutavit. Sed si per impossibile quis continuò mentiretur, aut Deum diligeret nullo contracto habitu, potiori jure dicendus es-

ſet malus aut bonus, quàm ſi retinens habitum mentiendi, aut Deum diligendi, ab omni actu mendacii vel dilectionis abſtineret.

Ergo vitium & virtus ſunt duo contraria: quia virtus eſt habitus inclinans ad actus bonos; vitium verò eſt habitus inclinans ad actus malos.

Dices: illi habitus non ſunt contrarii, qui ſe ab eodem ſubjecto non expellunt: atqui virtutes, quæ in juſtificatione infunduntur, non expellunt à pœnitente vitia, quæ per malam conſuetudinem contraxerat, cùm juſtificatus eandem experiatur difficultatem circa proſecutionem boni, & fugam mali: Ergo vitium non eſt contrarium virtutibus ſaltem infuſis.

Diſtinguo majorem, qui ſe non expellunt in gradu intenſo, Concedo: in gradu remiſſo, Nego majorem. Nam calor remiſſus non expellit frigus remiſſum.

Porrò in juſtificatione remittuntur, ac debilitantur pravæ diſpoſitiones, quæ præceſſerant. *Qui habuit habitum intemperantiæ*, inquit ſanctus Thomas quæſt. 1. de virt. art. 10. ad 16. *cùm conteritur, non remanet in virtute temperantiæ infuſæ habitus intemperantiæ in ratione habitus, ſed in via corruptionis.* Quemadmodum enim, recedente anima, cadit corpus, continuæque ſubjacet corruptioni, donec in pulverem reſolvatur: ſic habitus vitioſi, cùm per contritionem deſinunt eſſe voluntarii, lethale accipiunt vulnus, inquit ſanctus Doctor; quia voluntate jam contra ipſos renitente, ſenſim minuuntur, donec prorſus deſinant.

Ergo vitium eſt contra naturam: tum quia adverſatur & opponitur virtuti, quæ eſt naturæ ratio-

rationalis perfectio: tum quia pugnat contra rationis ordinem. *Omne vitium*, inquit S. Augustinus Lib. 3. de libero arbitrio cap. 14. *eo ipso, quo vitium est, contra naturam est. Si enim naturæ non nocet, nec vitium est . . . nullius ergo rei rectè vituperatur vitium, nisi cujus natura laudatur.*

Ergo natura est admodum in iis corrupta, qui nedum peccato repugnent, quin potiùs non lætantur, nisi malè fecerint.

Dices 1. Ea peccata duntaxat dicuntur contra naturam, quæ sunt enormia, ut sodomia, bestialitas: Ergo.

Distinguo antecedens; contra naturam genericam, Concedo: contra naturam specificam, Nego antecedens. Itaque quodlibet vitium & peccatum est contra naturam rationalem, licèt non semper pugnet contra universalem animalium naturam, juxta illud sancti Augustini, *vitium est hominis, quod est natura pecoris.* Sed enormes illæ luxuriæ species simpliciter dicuntur peccata contra naturam; quia non solùm adversantur speciei hominis, sed etiam animalium generi.

Dices 2. quæ sunt contra naturam admodum rara sunt, ut monstra: atqui vitium & peccatum in pluribus reperiuntur: ergo non sunt contra naturam.

Distinguo majorem. Si natura sit integra, Concedo: si sit corrupta, Nego majorem. Morbus enim est contra naturam, attamen, grassante peste, in pluribus reperitur. Porro *homo, cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis:* Psalm. 148.

CAPUT II.

De Definitione Peccati.

Q. 1. *Quid est peccatum?*

R. Ex dictis est deordinatio voluntaria naturæ rationalis in iis, quæ spectant mores.

Definitur autem à S. Augustino Lib. 22. contra Faustum cap. 27. dictum vel factum, vel concupitum contra Legem æternam. Hæc definitio probatur à S. Thoma 1. 2. qu. 71. art. 6. & obtinuit in Scholis.

Dices 1. Neque peccatum originale est factum, sed congenitum: neque peccatum omissionis, quo omittitur actus præceptus; sed est negatio actus debiti: neque peccatum habituale; habitus enim opponitur actui. Ergo hæc definitio non convenit omni peccato.

Respondeo ad singula.

Ad primum. Peccatum originale dici potest factum voluntarium voluntate primi parentis, quæ non solùm erat voluntas privatæ personæ, sed etiam communis omnium hominum, tanquam membrorum, quorum Adamus constitutus erat caput. Ita sanctus Augustinus Lib. 1. Retract. cap. 11. ubi sic habet: *Illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurdè vocatur etiam voluntarium; quia ex prima hominis voluntate contractum, & factum est quodammodo hæreditarium.*

Ad secundum respondet S. Thomas qu. 76. art. 2. ad primum, ex communi hominum usu in istis nominibus, *factum*, *dictum*, *concupitum*, intelliguntur negationes oppositæ. Hinc dicimus de

de aliquo, quòd malè faciat: dum omittit officium, non respondet interroganti, & non amat quæ ipsum decent.

Ad tertium. Peccatum habituale est moraliter concupitum seu volitum, quatenus est macula remanens ex actu voluntario, & non retractata, ut mox dicetur.

Dices 2. Peccata, quæ sunt contra Leges humanas, sive Ecclesiasticas, sive Civiles, non sunt contra Legem æternam. Ergo.

Nego antecedens. Lex quippe æterna, sicut & recta ratio, jubet ut filii obediant parentibus, subditi superioribus, servi dominis suis. Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo . . . Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Ephes. 6. *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes . . . . facientes voluntatem Dei ex animo.*

Ergo falsa est hæc propositio quorundam Theologorum Moralium & sæpius damnata, *Leges humanæ non obligant in conscientia.* Cùm enim emanent à Lege æterna, transgressio illarum verè est Dei offensa, sive mortalis, sive venialis secundùm materiæ gravitatem, aut levitatem, ut infrà explicabitur.

Ergo obligatio est sub peccato, solvendi & Ministris Ecclesiæ debita stipendia, & Principibus tributa per legem taxata; omnes enim in suo ordine Ministri Dei sunt, ad hoc ipsum missi & servientes, ut subditi quietam & tranquillam vitam agant in omni pietate & castitate, 1. ad Timoth. 2. Unde meritò proscripta est hæc propositio, 1. à Facultate Parisiensi, deinde à Clero Gallicano:

Subditi possunt justa tributa non solvere. Pugnat enim contra illud Apostoli Rom. cap. 13. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.*

Nec dicas plura esse edicta, quæ transgressores non obligant, nisi ad pœnam, præsertim quando subditos nimis onerant. Namque 1. omnis vera lex sub peccato obligat, cùm sit regula actionum humanarum, & sit contra rectam rationem non obedire Superiori præcipienti. *Subditi estote*, ait Apostolus Rom. 13. *non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* 2. Subditi judicare non debent onera esse nimis gravia, quandoquidem ipsis perspectum non est, quæ & quanta sit Reipublicæ necessitas, quibus indigeat impensis, ut communi saluti sufficienter provideat, amoveatque pericula imminentia.

Dices 3. Peccatum veniale veram habet peccati rationem: atqui ex S. Thoma peccatum non est contra Legem, sed præter Legem: Ergo.

Distinguo minorem. Non est contra Legem simpliciter & absolutè, Concedo: non est contra Legem secundùm quid, Nego minorem. Nam idem S. Doctor scribit qu. 74. art. 10. ad primum, peccatum veniale esse contra rationes æternas. Itaque sicut servus tum absolutè & simpliciter non agit contra præceptum domini, cùm injunctum opus, v. g. peregrinationem suscipit & perficit, quamvis non ea, qua par esset, diligentia, & celeritate; sic fidelis Deo præcipienti, v. g. *falsum testimonium non dices*, absolutè obtemperat, dum cavet omne mendacium contrarium fini legis, qui est charitas, licèt non ita cautus sit, ut minima quæque mendacia non subrepant. *Peccatum veniale*,

niale, inquit S. Thomas qu. 7. de malo art. 1. ad primum, *etsi in aliquo recedat ab ordine Legis, non tamen ipsam corrumpit, quia non corrumpit dilectionem, quæ est plenitudo Legis.*

CAPUT III.

De Macula Peccati.

Q. 1. *Peccatum inducitne maculam?*

R. Inducit, probaturque ex Scriptura, Isaiæ 4. *Si abluerit Deus sordes filiorum suorum.* Tit. 1. *Inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia.* Jac. 1. *Abjicientes omnem immunditiam.*

Q. 2. *Per quos actus inducitur illa macula?*

Respondet S. Thomas q. 86. art. 1 ad secundum, non induci præcisè per cognitionem, sed per amorem rerum inferiorum; quia proprium est intellectus per cognitionem assimilare sibi objecta, & eorum materialitatem, & imperfectionem quodammodo eliquare & expurgare, adeo ut ex objectis materialibus & obscænis, sola veritas in intellectu refulgeat; unde eis non inficitur, sed perficitur. Pertinet v. g. ad perfectionem intellectus divini, quòd illi nuda & aperta sint abscondita tenebrarum, de quibus ipsi peccatores erubescunt. Amor verò est motus voluntatis ad res ipsas, ut in se sunt, illisque animam conglutinat, ac proinde, si turpes sint, commaculat. Quemadmodum enim vestis tum maculari dicitur, cùm perdit suum nitorem: perdit autem per contactum alicujus impuri, putà luti; sic anima amittit suam pulchritudinem adhærendo creaturæ, quod fit per amorem.

Dixi, animam non maculari præcisè per cognitionem; quia occasionaliter per eam aliquandò fœdatur. Nam attentio ad turpia inflammat libidinem; ad superflua causat teporem & negligentiam; ad injuriam acceptam provocat iram & vindictam. Hinc inter peccata numerantur cogitationes morosæ, sic dictæ, propter moram, quæ in iis trahitur, ex qua exurgit delectatio in appetitu sensitivo.

Q. 3. *Quid est peccati macula?*

R. Primò, non est habitus relictus ex præcedenti actu culpabili: tum quia unico actu producitur macula, non verò habitus: tum quia habitus malus ex parte remanet in homine justificato, in quo nulla est peccati macula.

Secundò, non est reatus, seu obligatio ad pœnam: tum quia reatus ille est posterior macula, ideo enim peccator est reus pœnæ, quia est macula peccati inquinatus: tum quia reatus ille est à Deo, utpote justitiæ consentaneus, quod de macula dici nequit: tum quia sæpè remanet reatus pœnæ temporalis, post deletam maculam peccati.

Tertiò, non est actus malus præteritus, alioquin sequeretur hominem esse peccatorem extrinseca tantùm denominatione, petita ab actu culpabili præterito, ac proinde remissionem peccati fieri per extrinsecam Dei condonationem, absque renovatione interiori, quod hæreticum esse diximus, ubi de gratia habituali.

Quartò, non est sola privatio gratiæ præcisè sumpta: tum quia privatio gratiæ ut sic non habet rationem culpæ, sed pœnæ à Deo justissimè inflictæ: tum quia una & eadem est privatio gra-

tiæ

tiæ in omnibus peccatoribus, diversæ verò peccatorum maculæ pro diversitate peccatorum.

Q. 4. *Quid est ergo peccati macula?*

R. Est privatio gratiæ, non præcisè ut diximus sed cum relatione & ordine ad actum malum præteritum, qui quamdiu non fuerit sufficienter retractatus, moraliter remanet, & privatio gratiæ censetur voluntaria conversio habitualis ad creaturam, quin & habitualis aversio à Deo, si actus fuerit lethaliter malus. Namque propter actum præteritum non retractatum voluntas habitualiter adhæret objecto illicitè amato, privaturque vel gratia sanctificante, & habitu charitatis, si actus fuit lethaliter malus; vel ejus fervore, si venialiter duntaxat. Unde S. Thomas 3. part. q. 87. art. 2. ad tertium, concludit ad abluendam maculam peccati mortalis requiri infusionem gratiæ sanctificantis: ad tollendam verò maculam peccati venialis, sufficere motum charitatis.

Ergo omnia peccata non sunt æqualia, ut soli Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani, inquit S. Augustinus Ep. 167. aliàs 29. Namque peccans convertitur ad objecta magis vel minus turpia, quibus plus minusve maculatur.

Stoicis tamen adstipulatus est Jovinianus contra sensum, non solùm generis humani, sed & Scripturæ, ut Matth. 7. ubi peccata comparantur, alia festucæ, alia trabi, & Joan. 19. Christus ad Pilatum ait: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.*

Dices: peccatum est privatio rectitudinis: atqui privatio non suscipit magis & minus; mors v. g. non est major in uno, quàm in alio.

Respondet sanctus Thomas distinguendo majorem, privatio totalis, ut mors, non suscipit magis & minus, Concedit: privatio partialis, quæ aliquid de forma opposita relinquit, ut ægritudo, negat maj. Nam ægritudo, quæ est inchoata privatio sanitatis, potest esse major aut minor. Porrò peccatum ita est recessus ab ordine rationis, ut non tollat totum illum ordinem; alioquin si per peccatum nihil remaneret rationis, peccatum seipsum destrueret, nec esset peccatum, juxta illud Aristotelis Lib. 4. Eth. capite 50. *malum si sit integrum, destruit seipsum.*

Breviùs responderi posset, peccata ratione aversionis à Deo & privationis gratiæ sanctificantis, quæ est mors animæ, esse paria; sed ratione conversionis ad creaturam, esse inæqualia; quia malitia actus repetitur ex objecto.

Q. 5. *Quotuplex est peccati macula?*

R. Triplex. Cùm enim macula sit privatio nitoris animæ, totuplex distingui debet peccati macula, quotuplex est animæ nitor; atqui nitor ille triplex est. Primus refulget ex lumine naturali rationem dirigente: Secundus ex lumine supernaturali fidei & gratiæ. Tertius, ex actibus elicitis charitatis, & virtutum infusarum, quibus interior gratiæ nitor exteriùs splendescit. Ergo ex peccato generatim sumpto, nascitur triplex animæ macula. Prima consistit in privatione rectitudinis & conformitatis ad rectam rationem, rectitudo quippe illa pulchritudo est & naturalis animæ decor. Secunda in privatione gratiæ sanctificantis, quam inducit peccatum mortale, ratione cujus maculæ homo denominatur, & verè est malus, peccator, & inimicus Dei. Tertia, quam

quam inducit peccatum veniale, consistit in privatione fervoris, qui est decor & pulchritudo in homine relucens, ex actibus charitatis & aliarum virtutum; juxta illud Matth. 5. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis.*

Ergo macula unius peccati mortalis tolli non potest sine alia, quia homo non potest esse simul privatus & ornatus gratia sanctificante. Secus de macula peccati venialis; quia absolutè quis potest fervere circa unum objectum, & non circa aliud.

Dices: justi in Scriptura dicuntur mundi & immaculati, ut Psal. 118. & Joan. 15. cùm tamen non sint absque peccato veniali. Ergo peccatum veniale non inducit maculam.

Distinguo antecedens. Justi sunt mundi & immaculati simpliciter propter nitorem gratiæ sanctificantis, & omnium virtutum ornamenta, quæ illam sequuntur, Concedo: sunt mundi & immaculati perfectè, Nego antecedens; Nam ex sancto Leone, *de pulvere mundano etiam religiosa corda sordescunt*, & ab illis levioribus sordibus, quas sanctus Thomas vocat maculas secundùm quid, per pœnitentiam quotidianam abluuntur.

CAPUT IV.

De Divisione Peccati.

Q. 1. *Quotuplex est peccatum?*

R. Duplex. Originale, quod in Adamo contrahitur, & personale, quod propria voluntate committitur.

Q. 2.

Q. 2. *Quotuplex est peccatum personale?*

R. Multiplex.

Primò, aliud est actuale, & est ipsemet actus inordinatus & inhonestus: aliud habituale, quod est macula ex actu inordinato consequens.

Ergo peccatum habituale aliter sumitur à Philosophis, aliter à Theologis. Apud Philosophos quippe peccatum habituale est habitus vitiosus ex actibus malis sæpius repetitis productus. Apud Theologos verò peccatum habituale est macula in anima remanens vel ex uno actu malo non retractato.

Secundò, peccatum aliud dicitur commissionis, aliud omissionis. Commissionis est contra præceptum negativum, quo prohibetur malum, v. g. mendacium. Omissionis est contra præceptum affirmativum; quo præcipitur actus bonus, estque omissio actus præcepti, v. g. non audire Sacrum die festo, non jejunare tempore Quadragesimæ. *Duobus modis esse constat peccatum*, inquit S Augast. Lib. de Perfectione Justitiæ cap. 3. *si aut fiant illa, quæ prohibentur, aut illa non fiant, quæ jubentur.*

Q. 3. *Utrum ex illis peccatis est gravius?*

R. Peccatum commissionis cæteris paribus est gravius; quia in eo major est recessus ab ordine rationis. Sic pejus est odisse Deum, quàm non amare, in illum blasphemare, quàm illum non laudare.

Dixi, *cæteris paribus*; nam pejus est omittere Sacrum die festo, quàm ad momentum voluntariè mente distrahi tempore Sacri.

Tertiò, aliud est peccatum simpliciter dictum; aliud peccatum in Spiritum Sanctum, quod teste

ipsa

ipsa Veritate Matth. 12. *non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

Q. 4. *Quid est peccatum in Spiritum Sanctum?*

R. Est peccatum ex malitia procedens, quo repelluntur impugnanturve spiritualia gratiæ dona, quæ cùm sint effectus amoris Dei erga homines, appropriantur Spiritui Sancto, utpote qui sit ratione processionis suæ amor Patris & Filii.

Q. 5. *Quot sunt peccata in Spiritum Sanctum?*

R. Sex numerantur, nempe desperatio, præsumptio, impœnitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitæ, & invidentia fraternæ gratiæ.

Q. 6. *Quomodo peccata in Spiritum Sanctum dicuntur irremissibilia, cùm ex S. Augustino in Psal.* 100. omnipotenti Medico nullus insanabilis languor occurrat, *& ex definitione Ecclesiæ contra Novatianos, omne peccatum per Sacramentum Pœnitentiæ deleri possit?*

Respondet S. Thomas hìc art. 3. peccatum in Spiritum Sanctum ita dici irremissibile, quomodo morbus corporalis per se sanabilis, tum curari non potest, cùm phreneticus non admittit salubria remedia. Nam ex sancto Augustino Lib. 1. de Sermone Domini in monte, qui sic peccat, humilitatem deprecandi non subit, nec spe veniæ, nec timore pœnæ movetur ad pœnitentiam, sed vel de se præsumit, vel desperatione dejicitur: non acquiescit sanis consiliis, sed obstinato animo veritati resistit, aut detrahit: non accenditur aliorum exemplis, sed eorum gratiæ invidet. Porrò si ne minima quidem peccata absque pœnitentia remitti queunt, quantò minùs graviora?

Quartò, alia sunt peccata capitalia, alia quæ ex illis nascuntur.

Capi-

Capitalia ſeptem numerantur à S. Gregorio Lib. 31. Moral. cap. 31. ſcil. inanis gloria, invidia, avaritia, ira, luxuria, gula, & acedia: de quibus plura nobis hìc dicenda eſſent ſcitu maximè neceſſaria ad curandos animi morbos tum proprios, tum alienos, niſi fuſè de illìs egiſſemus in praxi Sacramenti Pœnitentiæ gallicè edita Pariſiis apud *Spiritum Billiot.*

Quintò. Peccata alia dicuntur ſpiritalia, alia carnalia: illa perficiuntur in delectatione ſpiritali, ut ſuperbia, invidia: hæc in carnali, ut gula, luxuria. In latiori tamen ſignificatione nonnunquam omnia ferè peccata dicuntur opera carnalia, ut Gal. 5. quia ex carne ſaltem occaſionaliter oriuntur.

Sextò. Alia ſunt ignorantiæ, alia infirmitatis, alia malitiæ, de quibus diximus ubi de voluntario.

Septimò. Peccatum dividitur in peccatum cordis, oris, & operis, quæ diviſio non eſt peccati in ſpecies, ſed in diverſos gradus ejuſdem ſpeciei. Peccatum enim incipit in corde, deinde foras prodit per vocem, denique ipſo opere conſummatur.

Octavò. Celebris & præcipua eſt peccati diviſio in mortale & veniale, de quibus ſeparatim tractandum eſt.

CAPUT V.

De Peccato mortali & veniali.

Q. I. *Eſtne legitima peccati diviſio in mortale & veniale?*

Negant

Negant Lutherani & Calvinistæ, contenduntque omnia peccata esse mortalia ex sua natura; sed in prædestinatis gravissima quæque dici venialia; quia ipsis non imputantur propter eorum fiduciam in Deum; in reprobis verò minima etiam peccata esse mortalia.

Joannes Gerson, celeberrimus Academiæ Parisiensis Cancellarius, decimo quinto sæculo contra communem Theologorum sententiam, docuit Libro de Vita spirituali, lect. 1. peccata venialia ex natura sua mereri damnationem æternam, tribuendamque misericordiæ Dei, quòd non ita severè puniantur.

Michael Bajus Lovaniensis Theologus 16. sæculo plures edidit propositiones, inter quas hæc fuit vigesima cum cæteris damnata à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Itaque circa propositam quæstionem de solo peccato veniali controversia est, utrùm scil. detur; nam concors est omnium sententia dari peccatum mortale.

R. De fide est, dari peccata natura sua venialia.

Probatur 1. ex Scriptura, Matth. 7. quædam peccata in se spectata, & sine ordine ad subjectum in quo reperiuntur, sive sit ex prædestinatis, sive non, comparantur, alia festucæ, utpotè levia; alia trabi, utpote gravia. Deinde Adam, David, sanctus Petrus erant fideles & prædestinati: nihilominus quædam eorum peccata in Scripturis reputantur mortalia, non venialia. Adamo dicitur Genes. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, quod de morte etiam animæ intelligunt

sanctus

ſanctus Ambroſius Libro de Paradiſo cap. 9. & S. Auguſtin. Lib. 13. de Civit. cap. 12. Mortale quoque fuiſſe peccatum Davidis, docet idem ſanctus Auguſtinus in Pſalmum quinquageſimum, ubi ſic illum deſcribit deprecantem, *de meo tam lethali vulnere deſperarem, niſi tantum Medicum reperirem:* & de peccato S. Petri ait Tract. 66. in Joannem, *mortuus eſt negando, & revixit plorando.*

Probatur 2. ex Traditione. Concilium Africanum in ſua Epiſtola aſſerit multos eſſe fideles, qui poſt ſuam converſionem ad Deum vivunt toto vitæ ſuæ tempore ſine crimine, neque tamen ſunt ſine quotidianis & levibus offenſionibus. Patres Tridentini Seſſ. 6. cap. 11. ſic docent: *Licèt in hac mortali vita quantumvis ſancti & juſti in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti.* Sanctus Auguſtinus Serm. 351. aliàs 50. ex Lib. 50. Homiliarum hæc ſcribit: *Quamvis ſingula non lethali vulnere ferire ſentiantur, tamen omnia ſimul congregata velut ſcabies noſtrum decus ita exterminant, ut ab illius ſponſi ſpecioſi forma præ filiis hominum caſtiſſimis amplexibus ſeparent, niſi medicamento quotidianæ pœnitentiæ reſecentur. Quod ſi falſum eſt, unde quotidie tundimus pectora, quod nos quoque antiſtites ad altare aſſiſtentes cum omnibus facimus? unde etiam orantes dicimus quod in vita iſta oportet, ut dicamus:* Dimitte nobis debita noſtra. *Non enim ea dimitti precamur, quæ in Baptiſmo dimiſſa ſunt: pro quibus etiam ſacrificia eleemoſynarum, jejuniorum, & ipſarum orationum ac ſupplicationum quiſquis pro ſuis viribus offerre non ceſſat:* Eadem docent S. Cyprianus Sermone de Eleemoſyna, S. Ambroſius Lib. 2. de Pœn. c. 10. S. Gregorius Lib. 21. Moral. cap. 9.

cap. 9. S. Bernardus Serm. 1. in Cœna Domini, & Lib. de Præcept. & Diſp. cap. 11.

Dices 1. Matth. 5. Chriſtus ſic pronuntiat: *Si quis ſolverit unum de mandatis iſtis minimis*, *minimus vocabitur in regno cœlorum*, id eſt nullus, interprete S. Thoma: ergo omnia peccata ſunt mortalia.

Nego conſeq. Tum quia eo loci non dicitur ſimpliciter, *qui ſolverit*, ſed additur: *& docuerit ſic homines:* grave autem peccatum eſt Verbum Dei adulterare, & corrumpere etiam in minimis: tum quia minima mandata hìc dicuntur comparatè ad graviora, & ad Scribarum mentem, apud quos grave erat adulterium, amicorum odium: leve verò concupiſcentia uxoris alienæ, & odium inimicorum, quamvis reverà ſint peccata lethalia.

Dices 2. Grave peccatum eſt, non diligere Deum ex toto corde: atqui omnis peccans, etiam mendacio officioſo non diligit Deum ex toto corde: *Quæ* enim *vitioſa cogitatio obrepet in hominis animo*, inquit Calvinus, *ſi totus Dei amore occupetur?* Ergo nullus leviter peccare poteſt.

Diſtinguo maj. Cum S. Auguſtino: grave eſt peccatum non diligere Deum ex toto corde, præponendo, aut æquando ipſi aliud quidpiam, Conc. Non diligere actu continuo & intenſiſſimo, Nego maj. Primus modus diligendi Deum ex toto corde eſt proprius juſtorum in terris peregrinantium. Secundus Beatorum. Hic excludit omne peccatum etiam veniale: ſed eſt impoſſibilis in hoc vitæ ſtatu, & ideò non præcipitur. Proponitur tamen tamquam finis & ſcopus, ad quem peregrinantes tendere debent quotidie proficiendo, & quotidianos defectus minuendo: chari-

tas enim naſcitur ut creſcat; creſcit donec perficiatur.

Dices 3. S. Baſilius in regulis brevioribus docet nulla peccata exiſtimanda eſſe minuta, nec differentiam minorum & majorum peccatorum reperiri in Evangelio: Ergo.

Reſpondeo 1. Dubium eſt quibuſdam, an opus illud ſit S. Baſilii. 2. Auctor, ſive S. Baſilius, ſive quivis alius, vult duntaxat peccatum veniale non eſſe contemnendum, tanquam aliquid leve; Probatque ex Scriptura, quæ indiſcriminatim deterret à quolibet peccato tanquam à malo præ cæteris temporalibus fugiendo. In novo quoque Teſtamento ſic Fides peccatorum leviorum & venialium ſtabilitur, ut ſimul ab iis committendis lectores vehementer deterreantur: *De Verbo otioſo*, inquit Chriſtus, Matth. 12. *rationem reddent in die judicii. Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio*, Matth. 5. *Væ vobis qui ridetis*, Luc. 6. *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem,* Matth. 6. *Habeo adverſus te pauca .... pœnitentiam age: ſi quominus, veniam tibi citò*, Apocal. 2. Hunc ſcribendi modum de peccatis venialibus ſic tenuerunt ſancti Patres in ſcriptis ſuis, ut ex iis lectores reddantur timidiores, nedum audaciores ad illa committenda, quod imprimis obſervare debent Theologi morales, ubi definiunt peccatum aliquod eſſe leve & veniale.

Enimverò non ſine magno animarum periculo hæc legerentur. Peccata levia in quolibet numero non excludunt ab amicitia Dei, nec à regno cœlorum; facilè eorum obtinetur remiſſio; non neceſſariò in confeſſione ſacramentali ſunt decla-

declaranda; abſolutè non reddunt ſacrilegam Sacramentorum perceptionem, aut adminiſtrationem; charitatem non extinguunt, ſed fervorem & devotionem duntaxat impediunt. Levia autem peccata ſunt ſuperbia, ambitio, vanitas, avaritia, voluptas, modò in iis finis ultimus non conſtituatur. Hæc quidem veriſſima ſunt: ſed deſtruunt potiùs, quàm ædificant, niſi ulteriùs progrediatur Libri auctor, ſparſimque doceat exemplo ſanctorum Patrum, imò & ipſiuſmet Chriſti Domini, quàm grave ſit malum, quamque timendum, Deum etiam in minutiſſimis offendere; quàm horrendæ pœnæ maneant eos, qui iſta leviora negligunt, & in quanto verſetur periculo eorum ſalus, hoc quippe ſcribendi modo mens lectoris illuſtratur, & voluntas ad proficiendum accenditur.

Dices 4. Minima opera bona juſti merentur vitam æternam: ergo & minima peccata ſupplicium æternum.

Nego conſeq. 1. Quia Deus ultra condignum remunerare poteſt, utpotè infinitè miſericors, punire verò non poteſt, cùm juſtitiæ ejus repugnet. 2. Sicut minimum opus bonum vitam æternam per ſe non meretur, ſed propter charitatem, ex qua proficiſcitur; ſic peccatum ex objecto leve, non eſt dignum pœna æterna, niſi ex Dei contemptu procedat.

Dices 5. Peccatum veniale infinitam Dei majeſtatem offendit: ergo eſt malitiæ infinitæ, ac proinde æterna pœna dignum.

Diſtinguo anteced. Offendit ſecundùm quid, & in re leviſſima; Concedo: Offendit ſimpliciter, & in re gravi, Nego anteced. Neque enim

 neceſſe

necesse est quamlibet offensam tantam habere malitiam, quanta est dignitas in persona quæ læditur, ut videre est in aulico, qui propter leve aliquod dictum aut factum Regi minùs acceptum, non dicitur reus læsæ majestatis.

Instabis: Malum culpæ etiam levissimæ, majus est malo pœnæ gravissimo, aliàs licitum esset aliquando peccare leviter, verbi gratia mentiri, quando necessarium videretur ad vitandum grave malum temporale: Ergo peccatum veniale justè puniri potest pœna gravissima, scilicet damnatione æterna.

Nego conseq. Quamvis enim malum culpæ sit superioris ordinis respectu cujuscunque mali pœnæ etiam infinitæ, inde tamen rectè non concluditur nullam pœnam esse justam vindictam peccati etiam levissimi, quemadmodum non sequitur argentum vel aurum, in qualibet quantitate appendatur, non posse esse justum pretium animalis, putà oviculæ, ex eo quòd minutissimum animal perfectius sit quovis corpore inanimato. In his itaque servanda est aliqua proportio secundùm justitiæ Leges, ita ut pro culpa leviori decernatur pœna levior; sicut pro animali ignobiliori statuitur minus pretium.

Instabis iterum: quamdiu peccatum veniale non est remissum, tamdiu puniri potest: remitti autem non potest sine gratia: ergo quòd non semper puniatur, misericordiæ divinæ est tribuendum.

Distinguo conseq. Misericordiæ divinæ est tribuendum, quòd gratiam justo concedat ad satisfaciendum pro venialibus, Concedo: Quòd justum in æternum non puniat, Nego conseq.

Neque

Neque enim aulico Regi acceptiſſimo perpetua debetur pœna propter leviorem offenſam, ex eo quòd veniam ſperare non poſſit, niſi ex indulgentia Principis.

CAPUT VI.

De Peccati mortalis differentia à veniali.

Q. 1. *In quo differt peccatum mortale à veniali?*

R. In eo quòd homo per peccatum mortale ſimpliciter avertitur à Deo tanquam à fine ultimo, & conſequenter ſuum finem ultimum conſtituit ſaltem implicitè in creatura: per peccatum autem veniale non avertitur ſimpliciter à Deo, neque ſuum ultimum finem in creatura conſtituit: paratus quippe eſt illa, quæ inordinatè diligit, & in quibus venialiter peccat, potiùs dimittere, quàm à Deo ſeparari.

Peccatum itaque mortale in duobus eſſentialiter conſiſtit, nempe in averſione à Deo, & converſione ad creaturam tanquam ad ultimum finem; peccatum verò veniale in ſola converſione ad creaturam, ſalvo ordine ad Deum, ut ad ultimum finem.

Probatur. Illud cenſetur eſſentiale, quod primum intelligitur in re qualibet, & ex quo cætera fluunt: atqui averſio à Deo, & converſio ad creaturam tanquam ultimum finem, primo loco intelligitur in peccato mortali, & ex illa veluti ex radice cætera fluunt: Ergo.

Minor probatur. Sex potiſſimum ſunt propria peccati mortalis. 1. Solvit amicitiam cum Deo, deſtruitque charitatem, & omnes virtutes

morales infusas. 2. Inducit mortem animæ. 3. Infert peccanti malum aliquo modo infinitum. 4. Est malum natura sua irreparabile. 5. Est offensa Dei infinita. 6. Peccatorem constituit reum pœnæ æternæ. Atqui hæc omnia veluti naturaliter fluunt ex aversione à Deo: Ergo.

Primò, aversio à Deo solvit Dei amicitiam, destruitque charitatem. Quid est enim charitas, nisi unio & conjunctio cum Deo, à quo aversio illa separat? Deinde charitas cuncta ordinat ad Deum: ex aversione autem sequitur amor sui, per quem peccator omnia ad se convertit: *Unde hæc aversio*, inquit sanctus Augustinus Libro 3. de libero arbitrio cap. 24. *nisi dum ille, cui bonum est Deus, sibi ipse vult esse bonum suum, sicut sibi est Deus.* Hinc avaritia vocatur ab Apostolo Gal. 5. Idolorum servitus; & Philip. 3. Venter dicitur carnalium Deus. In Commentario quoque in Psalmum 80. inter opera sancti Hieronymi scribit Auctor: *Quæcunque vitia habemus, & quæcunque peccata, tot recentes habemus Deos . . . . . . unusquisque enim quod cupit & veneratur, hoc illi Deus.* Porrò cùm virtutes morales infusæ charitati innitantur tanquam ejus proprietates, sublato per peccatum mortale earum fundamento, ipsas consequenter ruere necesse est.

Secundò, aversio à Deo inducit animæ mortem, à qua peccatum grave dicitur mortale: *Sicut enim expirat corpus*, inquit sanctus Augustinus, Serm. 61. aliàs 5. de Verbis Domini: *cùm animam emittit; ita expirat anima, cum Deum amittit. Deus amissus, mors animæ; anima emissa, mors corporis.* Levia verò peccata non sunt mortalia, sed venialia; quia non avertunt peccatorem à Deo, nec

nec destruunt charitatem: *Si charitas excludatur*, ait S. Thomas, qu. 7. de malo art. 1. *est peccatum mortale: si autem sit talis defectus rectitudinis, qui charitatem non excludat, est peccatum veniale.*

Tertiò, illa aversio, quatenus hominem privat Deo, infert illi malum quodammodo infinitum; privatio quippe tantum æstimatur malum, quantum est oppositum bonum. Infamia v. gr. pejor est paupertate, quia melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ: mors plus est timenda, quàm cæcitas, quia vita, cujus mors est privatio, est quid longè meliùs visu, cui opposita est cæcitas. Deus autem est bonum infinitum, à quo per aversionem separatur peccator: ergo propter aversionem à Deo, peccatum mortale infert homini malum infinitum, quod de peccato veniali dici nequit.

Si autem quæras, quod homini detrimentum sequatur ex peccato veniali, facilis erit responsio. Cùm enim peccatum veniale sit conversio ad bonum commutabile, inordinatusque affectus ad creaturam, salvo semper ordine ad Deum, ut ultimum finem, opponitur gratiæ actuali, quæ est motio supernaturalis in Deum. Ergo peccatum veniale privat hominem actuali motione charitatis, quæ non est bonum infinitum, licèt sic superioris ordinis, plusque timenda sit ejus jactura, quàm cujuscunque rei naturalis.

Quartò ex aversione à Deo sequitur inordinatio per se irreparabilis; quia destruxit principium vitæ spiritualis, nempe charitatem & ordinem ad ultimum finem. Ita S. Thomas 1. 2. qu. 72. art. 5. ubi sic habet: *Deordinatio mortis, quæ est per remotionem principii vitæ, est irreparabilis se-*

çundùm naturam, inordinatio autem ægritudinis reparari potest propter id, quo salvatur principium vitæ. Similiter est in his quæ pertinent ad animam; nam in speculativis, qui errat circa principia, impersuasibilis est; qui autem errat salvatis principiis, per ipsa principia revocari potest. Et similiter in operativis, qui peccando avertitur ab ultimo fine quantùm est ex natura peccati, habet lapsum irreparabilem; & ideò dicitur peccare mortaliter, æternaliter puniendus: qui verò peccat citra aversionem à Deo, ex ipsa ratione peccati reparabiliter deordinatur; quia salvatur principium; & ideò dicitur peccare venialiter, quia scilicet non ita peccat, ut mereatur interminabilem pœnam. Hactenus sanctus Thomas. Idipsum repetit 3. part. qu. 88. art. 1.

Quintò ex aversione à Deo nascitur infinita Dei offensa; quia per illam peccator aufert à Deo (saltem quoad affectum) rationem ultimi finis, ut eam vilissimæ creaturæ afferat: *Proprium Dei est*, inquit sanctus Thomas lect. 3. in cap. 3. Epist. ad Philipp. *ut sit primum principium & finis ultimus. Unde qui pro fine habet aliud, illud est Deus suus.* Similia habet in cap. 5. ad Ephes. his verbis: *Idololatria est, quando honor soli Deo debitus impenditur creaturæ; Deo autem duplex honor debetur, scilicet, ut in eo finem nostrum constituamus, & ut in eo fiduciam nostram finaliter ponamus: ergo qui hoc in creaturis ponit, reus est idololatriæ. Hoc autem facit avarus* (idem dicito de aliis peccatoribus) *qui finem in re creata ponit, & totam fiduciam.* Porrò Rex non potest majori affici injuria, quàm cùm à regiæ majestatis dignitate ad vilis mancipii conditionem deprimitur.

Sextò, cùm ex aversione à Deo nascatur offensa infinita, ex eadem etiam sequitur reatus

pœnæ

pœnæ infinitæ; quia ſecundùm juſtitiæ Leges pœna reſpondet offenſæ.

Dices 1. Peccans mortaliter non ſemper præfert creaturam Deo, ut patet in S. Paulo adhuc infideli, qui ex inordinato zelo Dei Eccleſiam perſequebatur: *Per zelum Legis*, inquit S. Petrus Chryſolog. Serm. 157. *impugnabat Legem, & in Deum, Dei amore peccabat.*

Nego antecedens, & ejus confirmationem. Nam zelus ille & ignorantia vincibilis oriuntur ex inordinato amore, ſaltem ſui ipſius, propter quem peccans negligit inquirere ea, quæ ſcire tenetur.

Inſtabis: finis ultimus eſt ille, ad quem omnia referuntur, nec ipſe ad aliud refertur: atqui peccans mortaliter non refert omnia ad creaturam propter quam peccat; fur v. gr. non ordinat omnia ad pecuniam, quam ſubripit.

Nego minor. Qui enim peccat mortaliter, omnia refert ad bonum privatum: Deum etiam, cùm videtur illum appetere, appetit ſibi ipſi: *Pravus*, inquit Ariſtoteles 9. Eth. cap. 8. *ſui gratia cuncta agit, tantò magis, quantò pravior.* Et ſanctus Thomas in 2. diſt. 42. qu. 1. art. 2. ſic ſcribit: *Finis ultimus in amore commutabilium bonorum eſt ipſe homo, propter quem alia quærit: & ideò ſi radix peccati accipiatur ex parte ipſius peccantis, erit una: ſi autem ſumatur ex parte eorum, quæ propter ſe peccans quærit, erunt plures.*

Urgebis: Peccator eſt capax amicitiæ: atqui amor amicitiæ non procedit ex appetitu boni privati, aliàs eſſet amor concupiſcentiæ: ergo peccans non refert omnia ad ſeipſum.

Diſtinguo minorem; Amor amicitiæ propriè dictæ, qualis eſt in homine juſto, Conc. Impropriè dictæ, qualis eſt in peccatore, Nego minor. *Charitas*, inquit Apoſtolus, 1. Cor. 13. . . . . . *non quærit quæ ſua ſunt.* Cùm enim ſit quædam participatio naturæ divinæ, ſemper inclinat juſtum in bonum Dei: inordinatus verò amor ſui, qui charitati opponitur, quique in peccatore dominatur, omnia ordinat ad bonum privatum. Unde amicitia, niſi ex amore Dei procedat, bonum amici ultimatè refert ad privatum appetentis commodum, *amicabilia ad alios, ex his quæ ſunt ad ſeipſum profecta eſſe videntur*, 9. Ethic. cap. 4.

Inſtabis iterùm: Sequeretur eum qui peccat venialiter ex deliberata voluntate conſtituere ſuum ultimum finem in creatura. Nam omnis actio humana ex motione alicujus finis ultimi procedit: atqui actio, quæ fit ex deliberata voluntate, eſt humana: ergo eſt propter aliquem ultimum finem. Porrò ille ultimus finis non poteſt eſſe Deus; cùm peccatum veniale non ſit referibile ad Deum: ergo eſt bonum privatum.

Diſtinguo ſequel. Sequeretur conſtituere ſecundùm quid ultimum finem in creatura, & in bono privato, Concedo: Conſtituere abſolutè, & ſimpliciter, Nego. Verum quidem eſt quòd quicunque venialiter peccat inordinatè ſe diligit, refertque ad ſeipſum quidquid utilitatis apprehendit in objecto. Sed inordinatus ille amor ſui non procedit uſque ad contemptum Dei, quemadmodum in eo qui peccat mortaliter; quia non excludit charitatem, per quam homo ſeipſum ulteriùs ordinat ad Deum. Ita S. Thomas in primum diſt. 1. quæſt. 3. art. unico ad quartum.

Dices 2.

Dices 2. Actus charitatis tantum Deo tribuit, quantum peccatum mortale detrahit; ſicut enim per peccatum mortale tollitur à Deo ratio ultimi finis, & aſſeritur viliſſimæ creaturæ; ita per actum charitatis ſupremus ille honos Deo confertur, & creaturæ denegatur. Atqui actus charitatis non eſt infinitus niſi extrinſecè: Ergo peccatum mortale eſt offenſa Dei extrinſecè tantùm infinita.

Nego primam propoſitionem, & quidquid ex ea concluditur. Qui enim Regem in throno ſedentem veneratur, non eſt comparandus ei, qui illum inde deturbaret. Et ratio eſt, quia honor eſt in honorante: injuria verò in perſona læſa; hoc eſt, tantum honorat quis, quantum ſubjicit alteri; & contrà, tantùm lædit perſonam, quantum illam deprimit. Per peccatum autem mortale Deus infinitè deprimitur, quatenus viliſſimæ creaturæ poſtponitur: per charitatem verò vix quidquam Deo ſubjicitur, cùm creaturæ omnes comparatæ Deo ſint tanquam nihilum: *Quicumque*, ait ſanctus Thomas, quæſt. 28. de Verit. artic. 2. *rem aliquam digniorem digniori poſtponit, injuriam ei facit, & tantò ampliùs, quantò res illa eſt dignior. Quicumque autem in re temporali finem ſibi conſtituit, quod facit omnis mortaliter peccans, ex hoc ipſo quantum ad affectum ſuum poſtponit Creatorem creaturæ, diligens plus creaturam quam Creatorem: finis enim eſt, qui maximè diligitur. Cùm ergo Deus in infinitum creaturam excedat, erit peccatum contra Deum infinita offenſa ex parte dignitatis ejus, cui peccatum injuria fit, dum ipſe contemnitur.*

Confirmatur reſponſio. Honor quem Chriſtus Deo Patri exhibuit, eſt infinitus ſimpliciter; quia

quia habet pro ſubjecto perſonam ſimpliciter infinitam, honor enim eſt in honorante, qui ſe ſubjicit. Ergo peccatum mortale eſt ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ Dei, quia ſubjectatur in perſona infinita; injuria enim eſt in perſona læſa, quæ deprimitur.

Q. 2. *Malitia peccati mortalis, & malitia peccati venialis differuntne eſſentialiter?*

R. Differunt: Quia malitia quæ opponitur fini ultimo, & deſtruit charitatem, differt ſpecie, & eſſentialiter ab illa, cui iſta non competunt: atqui ſola peccati mortalis malitia eſt oppoſita fini ultimo, & deſtructiva charitatis habitualis: Ergo.

Dices: Illa peccata eſſentialiter non differunt, quorum objecta ſunt ejuſdem ſpeciei: atqui objecta peccati mortalis, & venialis ſunt ejuſdem ſpeciei: nec differunt niſi ſecundùm majus & minus: Ergo.

Minor probatur. Motus indeliberatus odii circa Deum, eſt peccatum veniale; deliberatus verò mortale: atqui illi duo motus habent idem objectum, nempe Deum. Item objecta furti levis & gravioris non differunt niſi ſecundùm magis & minùs: Ergo.

Diſtinguo maj. Objecta formalia, Conc. Materialia, Nego maj. Nam eadem pecunia poteſt eſſe objectum materiale vanitatis, avaritiæ, & injuſtitiæ, quæ ſunt peccata ſpecie diſtincta propter diverſa objecta formalia.

Diſtinguo ſimiliter minor. Peccata venialia & mortalia habent ſæpiſſimè objecta ejuſdem ſpeciei materialia, Conc. Formalia, Nego minor. Si quis v. gr. die Jovis ſcienter produceret cœnam carnibus inſtructam ultra mediam noctem,

circa

circa unum & idem objectum materiale peccaret venialiter ante mediam noctem, in hypothesi quòd edisset cum levi intemperantia, & mortaliter post mediam noctem, quia tunc adveniret nova transgressio Legis, novaque deordinatio in voluntate. Idem advertetur in odio Dei indeliberato, si comparetur cum deliberato, & in furto levi cum gravi collato; voluptas quippe in deliberato motu odii, & in levi furto, non vult separari à Deo, neque constituere suum ultimum finem in creatura, ad quod mutato consilio se determinat in odio deliberato, & in furto gravi.

Instabis: Idem est specie actus charitatis in via & in patria, licèt mutetur cognitio Dei: nam obscuritati Fidei succedit claritas visionis beatificæ. Ergo major aut minor advertentia difformitatis, quæ est in objecto, non efficit actum specie distinctum.

Quidquid sit de antecedente, distinguo consequens: major vel minor advertentia non efficit actum specie distinctum, si eadem difformitas ubique deprehendatur, Conc. Si alia, Nego conseq. Cùm igitur Beati, quando erant in via, crediderint & amaverint quæcumque vident in Deo, non desunt Theologi, qui doceant amorem Dei in via & in patria esse ejusdem speciei. Sic duo superbiæ motus circa idem objectum materiale & formale sufficienter cognitum, non differunt nisi accidentaliter, licèt unus procedat ex clariori cognitione, alter verò ex obscuriori: quia in utroque eadem turpitudo apprehenditur, licèt diversimodè: sèd si per cognitionem perfectiorem alia detegeretur turpitudo, actus inde consequens esset alterius speciei propter diversum objectum formale.

Ergo

Ergo fieri nequit, ut unum numero peccatum veniale evadat mortale, & contra; quia peccatum mortale & veniale essentialiter differunt, habentque objecta formalia specie distincta. Ergo delectatio venerea, quæ est venialis ante sufficientem advertentiam, mortalis post, licèt in sensualitate, sive in appetitu concupiscibili perseveret idem numero motus, in voluntate tamen rationali est duplex specie actus; vult quippe post sufficientem advertentiam quod ante noluit, nimirum separari à Deo, & constituere suum ultimum finem in creatura.

Dices: ex sancto Augustino Tractatu 12. in Joan. *Plura minuta peccata, si negligantur, occidunt: quemadmodum minuta grana arenæ, si multa sint, premunt, atque opprimunt, & aqua paulatim per sentinam intrando, si non exhauriatur, mergit navim.* Ergo plura peccata venialia mortalia evadunt.

Distinguo antecedens: Occidunt dispositive, quemadmodum levis febris; si non curetur, tandem extinguit calorem naturalem, & mortem affert, Concedo; Occidunt per se formaliter, Nego antecedens.

Q. 3. *Quibus signis discerni potest peccatum mortale à veniali?*

R. 1. Ad peccatum mortale duo requiruntur. Primum, ut sit materia gravis. Secundum, ut sit sufficiens advertentia & deliberatio, unde si alterutrum desit, non erit nisi peccatum veniale. Quare mendacium jocosum, & furtum unius assis, licèt ex deliberata voluntate procedant, sunt peccata duntaxat venialia propter levitatem materiæ: contra verò delectatio turpis, quamvis sit

ſit materia gravis, ſi tamen deſit ſufficiens advertentia, aut libertas venialis cenſetur.

R. 2. Cum S. Auguſtino Lib. Enchir. cap. 77. & ſeqq. aliquando in praxi difficile eſt determinare, an, & quale ſit peccatum: *Quæ ſint autem levia*, inquit, *& quæ gravia peccata, non humano, ſed divino ſunt penſanda judicio . . . . putari poſſet non eſſe peccatum miſceri conjugi non filiorum procreandorum cauſa, quod bonum eſt nuptiale, ſed carnalis etiam voluptatis; ut adulterii ſive cujuſquam alterius immunditiæ mortiferum malum devitet infirmitas. Quis autem jam eſſe peccatum neget, cùm dare veniam facientibus Apoſtolica auctoritas fateatur . . . . ſunt autem quædam, quæ leviſſima putarentur, niſi in Scripturis demonſtrarentur opinione graviora? Quis enim dicentem fratri ſuo, fatue, reum gehennæ putaret, niſi Veritas diceret? aut quis æſtimaret quàm magnum peccatum ſit dies obſervare, ſicut obſervant qui certis diebus, ſive menſibus, ſive annis volunt, vel nolunt aliquid incboare, eo quòd ſecundùm vanas doctrinas hominum fauſta vel infauſta exiſtiment tempora, niſi hujus mali magnitudinem ex timore Apoſtoli penſaremus, qui talibus ait, timeo ne fortè ſine cauſa laboraverim in vobis? Hinc accidit quòd peccata, cùm in conſuetudinem venerint, aut parva, aut nulla eſſe creduntur. Væ peccatis hominum, quæ ſola inuſitata exhorreſcimus*, &c.

Itaque ad ponderandam peccatorum gravitatem, imprimis conſulenda S. Scriptura, præſertimque novum Teſtamentum, ubi Chriſtus Legem naturalem explicuit, vindicavitque à falſis interpretationibus hominum. Attendenda verba, quibus ibidem res aliqua prohibetur, an ſub gravi pœna; ex gravitate enim pœnæ colligitur gravitas culpæ.

Cùm

Cùm autem omnia, quæ ſervanda & vitanda ſunt, expreſſè non contineantur in Scriptura Sacra, conſulenda eſt etiam Traditio Eccleſiæ, videndum quid ſancti Patres & Theologi communiter circa difficultatem propoſitam ſenſerint, quemadmodum præſcribit Concilium Trident. Seſſ. 4. *Ad coercenda*, inquit, *petulantia ingenia . . . . nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus Fidei & morum . . . . Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens . . . interpretari audeat.*

CAPUT VII.

De Peccato originali.

Verſamur in materia accuratiùs pertractanda; cùm in mente ſancti Auguſtini notitia peccati originalis, & Fides redemptionis humanæ per Chriſtum ſint duo veluti cardines, circa quos vertitur Chriſtiana Religio: *Vide*, inquit ſanctus Doctor, Epiſtola 157. aliàs 89. *quemadmodum* commendat (Apoſtolus) *unum & unum, id eſt, Adam & Chriſtum: illum ad condemnationem, hunc ad juſtificationem, cùm tantò poſt Adam Chriſtus venerit in carne; ut ſciamus etiam antiquos juſtos, quicumque eſſe potuerunt, nonniſi per eandem fidem fuiſſe liberatos, per quam liberamur & nos, ſcilicet: Incarnationis Chriſti, quæ illis prænuntiabatur.* Enimverò an medicum admittet, qui ſe ſanum exiſtimat, aut redemptorem agnoſcet, qui neſcit ſe fuiſſe captivum? Ut ergo ſciamus, quæ, & quanta nobis attulerit Chriſtus, priùs noſcamus oportet quid in Adam amiſerimus.

Hæc autem circa peccatum originale nobis inveſtiganda ſunt. 1. Utrùm reverà exiſtat. 2. Quid ſit, & in quo conſiſtat. 3. Quomodo traducatur in Adæ poſteros. 4. Utrùm ita neceſſariò in omnes tranſmittatur, ut nullus excipi poſſit. 5. Quæ ſint illius pœnæ, tum in præſenti vita, tum in futura.

§. I.

Utrùm exiſtat peccatum originale?

Negarunt Pelagiani, docueruntque 1. Adamum peccando ſibi ſoli nocuiſſe, morbos, mortem, & concupiſcentiam non eſſe effectus peccati illius, ſed naturales naturæ humanæ defectus. Poſteà tamen argumentis Catholicorum coacti ſunt confiteri mortem corporis ex Adamo trahi, non verò peccatum. Priorem Pelagianorum errorem XVI. ſæculo amplexi ſunt Anabaptiſtæ, & Sociniani; poſteriorem Zwingliani: contra utrumque

Reſpondeo: De fide eſt, per Adæ prævaricationem omnes homines naſci peccato, morti, & aliis miſeriis obnoxios. Ita enim definiit Concilium Tridentinum contra Anabaptiſtas & Zwinglianos Seſſ. 5. Can. 2. his verbis: *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe . . . aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod eſt mors animæ; anathema ſit.*

Probatur 1. ex Scriptura, Pſal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*, in quem locum ſic ſcribit ſanctus Auguſtinus Enarrat. in Pſal. *quid eſt,*

quòd se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam? Job 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es?* Quem locum sic vertunt septuaginta Interpretes: *Nemo mundus à sorde, cujus est unius diei vita super terram.* Agitur hìc de sordibus, quas solus Deus mundare potest; atqui sordes pannorum infantilium emundare possunt homines: ergo textus ille non potest intelligi ad mentem Socinianorum de sordibus corporeis, sed intelligendus est de peccato, & ita interpretati sunt Patres antiquissimi, ut sanctus Clemens Alexandrinus Lib. 3. Strom. Origenes Hom. 12. in Levitic. sanctus Augustinus in Psalmum 50. Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit; in quo omnes peccaverunt.*

Nec dicant Pelagiani & Sociniani Adamum transmisisse peccatum, non propagine, sed imitatione, quatenus suo exemplo posteros ad peccatum induxit; nam, ut argumentatur S. Augustinus Lib. 3. de Peccat. mer. c. 9. si Apostolus peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc mundum, non propagine, sed imitatione intraverit, ejus principem, non Adam, sed Diabolum diceret, de quo scriptum est, *ab initio Diabolus peccat.* Deinde mors intravit per peccatum; cùm ergo ipsa in parvulos desæviat, sequitur peccatum in eos fuisse transmissum non imitatione, sed propagine.

Denique, ex Apostolo, peccatum Adæ derivatur ad parvulos, sicut justitia Christi ad regeneratos; atqui justitia Christi non per solam imitationem, sed per veram in illo regenerationem commu-

communicatur fidelibus, ut constat vel ex solo exemplo parvulorum, qui in Christo regenerantur, etiamsi illum imitari non possint.

Probatur 2. ex omnibus Conciliis, quæ in Oriente, in Occidente & Africa contra Pelagianos celebrata, errorem, quem impugnamus, proscripserunt: *Ubique diffusus Christi exercitus*, inquit sanctus Augustinus Lib. 3. contra Julian. cap. 1. *debellavit apud Carthaginem Cœlestium, quando ipse non eram, & rursus Constantinopoli longè à regionibus Africanis.* Adde & Diospoli in Palæstina, ubi sequentes Pelagii propositiones anathemate sunt percussæ. Prima, *quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit.* Secunda, *quòd infantes nuper nati in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Tertia, *quòd neque per mortem, vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur.* Quarta, *quòd infantes, etsi non baptizentur, habeant vitam æternam.* Denique Concilium Arausicanum in Gallia sic habet Can. 2. *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, & non ejus propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna est peccati, non autem & peccatum, quod est mors animæ per unum hominem in omne genus hominum transisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti*, per unum hominem, *&c.*

Probatur 3. ex Patribus, S. Irenæus, Lib. 3. cap. 20. *Quemadmodum*, inquit, *per inobedientiam unius hominis . . . . . peccatores facti sunt multi, & amiserunt vitam; ita oportuit & per obedientiam unius hominis . . . . justificari multos, & percipere salutem.*

Origenes Hom. 14. in Lucam sic habet: *Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum? vel quo tempore peccaverunt? aut quando potest ulla lavacri in parvulis ratio subsistere, nisi juxta*

illum ſenſum, de quo paulò antè diximus, nemo mundus à ſorde, nec ſi unius diei, &c. & Lib. 4. contra Celſum, *in Adamo omnes moriuntur, & damnati ſunt in ſimilitudinem prævaricationis Adami, nec tam de uno quopiam, quàm de toto humano genere Scriptura divina loquitur.*

Sanctus Cyprianus Epiſt. 59. *Quanto magis,* inquit, *prohiberi non debet infans* (à baptiſmate) *qui recens natus nihil peccavit, niſi quòd ſecundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit. Qui ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo faciliùs accedit, quòd illi remittuntur non propria, ſed aliena peccata.* Similia habet ſanctus Firmilianus Epiſtola, quæ eſt 75. inter Epiſtolas ſancti Cypriani.

S. Auguſtinus Lib. 3. de Peccatorum meritis cap. 6. aſſerit hanc eſſe antiquam & univerſálem Eccleſiæ Traditionem, peccatum & mortem ab Adamo in ejus poſteros propagine tranſmitti: *Non aliud,* inquit, *de peccato originali, ex quo Chriſti Eccleſia conſtituta eſt, divinarum Scripturarum Tractatores ſcripſerunt, non aliud à majoribus acceperunt, non aliud poſteris tradiderunt.*

Dices 1. Ezechielis 18. habetur: *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris ſui:* Ergo.

Nego conſequ. Nam ex dicendis, peccatum originale non eſt peccatum Adami, ſed cuique ineſt proprium. Unde S. Auguſtinus Lib. 3. de pec. mer. cap. 8. Pelagianis eundem textum objicientibus, ſic reſpondet: *Imputat non jam aliena, ſed propria: carnali generatione jam eorum ſunt, quibus nondum ſpirituali regeneratione dimiſſa ſunt.* Et Lib. 6. contra

tra Julianum cap. 12. *Aliena ſunt proprietate actionis, & noſtra ſunt contagione propagationis.*

Dices 2. *Ubi non eſt lex*, inquit Apoſtolus, Rom. 4. v. 5. *nec prævaricatio*; atqui infantes non acceperunt legem: Ergo nulla in eis prævaricatio, nec proinde peccatum.

Diſtinguo min. Non acceperunt legem in ſua conceptione & nativitate, Conc. Non acceperunt legem in primo parente, in quo continebantur, & in quo audierunt, *in quocumque die comederis, morte morieris.* Nego minor.

Diſtinguo ſimiliter conſeq. nulla in eis prævaricatio, nec proinde peccatum, per propriam voluntatem, Conc. Per voluntatem Adami, quæ & ipſorum fuit, Nego conſeq. Ita S. Auguſtin. c. 7. lib. 3. de pec. mer. *Nec illud*, inquit, *liquidè dici poteſt, quòd peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit, cùm Scriptura dicat, in quo omnes peccaverunt. Nec ſic dicuntur iſta aliena peccata, tanquam omninò ad parvulos non pertineant: ſiquidem in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa inſita vi, qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt; ſed dicuntur aliena, quia nondum ipſi agebant vitas proprias; ſed quidquid erat in futura propagine, vita unius hominis continebat.*

Dices 3. Rom. 5. *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*: Ergo mortem duntaxat, non peccatum ex Adamo trahimus.

Diſtinguo anteced. Qui non peccaverunt propria voluntate, ſive, ut loquitur Apoſtolus, in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, Concedo: Qui non peccaverunt ſimpliciter, & voluntate Adami, Nego antecedens. Mors enim, quæ regnavit uſque ad Moyſen, eſt pœna juſta: atqui non eſſet

justa, nisi supponeretur peccatum. Unde Apostolus expressè dicit, *usque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur*, id est, non agnoscebatur; per Legem enim cognitio peccati. Ita S. Augustinus Lib. 6. contra Julianum cap. 4.

Instabis 1. Apostolus ibidem subdit: *Si unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei .... in plures abundavit:* Ex quibus sic argumentari licet: Plures sunt, ex Apostolo, qui in Christo justificantur, quàm qui in Adamo peccaverunt; atqui plures illi in Christo justificati paucissimi sunt respectu Infidelium, & eorum, qui sine Baptismo decedunt: ergo paucissimi admodum sunt, ad quos peccatum Adami transmittitur.

R. 1. In Græco non habetur, *plures*, sed *multos*, πολλὲς. 2. Termini illi, *multi*, *plures*, *omnes*, promiscuè hìc usurpantur ab Apostolo, ut legenti patebit; ait enim, *in omnes homines mors pertransiit: in quo* (Adamo) *omnes peccaverunt*. Item, *si unius delicto multi mortui sunt, per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ:* & paucis interjectis: *per unius obedientiam justi constituentur multi. Cùm dictum est*, inquit sanctus Augustinus, Lib. 6. contra Julianum cap. 24. *per unum in omnes transisse peccatum; & posteà, per unius inobedientiam peccatores constitutos multos, ipsi sunt multi, qui & omnes.* Nec singulare est Apostolo voces illas promiscuè usurpare; nam, ut ibidem observat sanctus Doctor, Deus sic illas usurpavit, Genes. 22. ubi dictum est Abrahæ: *in semine tuo benedicentur omnes gentes, & patrem multarum gentium posui te.* Hìc quippe *easdem omnes, multas*, inquit S. Doctor, *& easdem multas omnes esse monstratum est.* Quanquam dici potest cum Estio per vocem *plures*, Apostolum non attendere

tendere ad multitudinem eorum, qui Christi gratiæ participes fiunt, sed ad copiam gratiæ, quæ superabundavit, adeò ut plus nobis restituerit Christus, quàm in Adamo perdiderimus, scilicet donum perseverantiæ, auxilia efficacia; hæc enim non fuerunt in statu innocentiæ.

Instabis 2. 1. Cor. 15. v. 22. Apostolus hanc comparationem Adamum inter & Christum instituit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur:* atqui non omnes in Christo vivificabuntur: ergo neque in Adamo omnes moriuntur.

R. In hoc stare comparationem Apostoli: sicut quotquot ex Adamo generantur, ii reatum peccati & mortis contrahunt; ita quotquot in Christo regenerantur, ii justitiam & vitam supernaturalem percipiunt; & si perseverent, felicitatem æternam: & è converso sicut qui ex Adamo via ordinaria non nascitur (quemadmodum Christus) in Adamo non moritur; ita qui in Christo non renascitur, spiritualiter non vivificabitur.

Dices 4. Ex Apostolo 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum:* atqui parvuli, subsumebant Pelagiani, nihil mali in corpore gesserunt: ergo nullam pœnam referent.

R. 1. Retorquendo argumentum contra Adversarios, parvuli, qui decedunt sive ante, sive post Baptismum, nihil boni in proprio corpore gesserunt: ergo nullum præmium recipient, nec regno cœlorum, nec vita æterna donabuntur: quod est longè absurdissimum, etiam in sententia Adversariorum.

R. 2. cum S. Aug. Lib. 6. contra Julianum cap. 10. locum illum intelligendum de adultis tantùm, ut patet ex contextu capitis, *propria corporis sui dixit, quòd ad unumquemque in seipso jam viventem pertineat.*

Dices 5. Veteres, præsertim Græci, disertè negarunt peccatum originale; sic enim scribit sanctus Gregorius Nyssenus Oratione de infantibus, qui præmatura morte abripiuntur, *nec ab initio quidem* (parvulus) *prorsus in animum morbum admisit.* Sanctus Chrysostomus Homilia ad Neophytos, *infantes*, inquit, *baptizamus, cùm non sint coinquinati peccato, ut eis detur, vel addatur sanctitas.* Et Theodoretus Lib. 5. Hæreticarum Fabularum cap. 18. *quorsum infantes baptizamus, qui peccatum nondum gustarunt?* Ergo.

Distinguo antecedens; Infantes peccatum in animum non admiserunt, non gustarunt; peccatum, inquam, actuale, & personale, Concedo: peccatum originale, Nego antecedens. Ita sanctus Augustinus Lib. 1. contra Julianum verba sancti Chrysostomi objicientem cap. 6. *Peccata dixit parvulos non habere, sed propria. Unde illos innocentes meritò nuncupamus, secundùm id, quod ait Apostolus nondum natos nihil egisse boni sive mali: non secundùm id, quod ait, per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.*

Probatur solutionem esse ad mentem laudatorum Patrum.

Ac primò quidem sancti Gregorii Nysseni, qui in Psalmos cap. 16. sic loquitur: *Sordes hominis peccatum est, quod una cum humana orditur natura, quoniam in peccatis concepit me mater mea.*

Secundò; S. Chrysostomi plura testimonia profert S. Augustinus cit. cap. 6. quibus disertè adstruit

adſtruit peccatum originale; ſic enim ſcribit ſanctus Chryſoſtomus ad Olympiam: *Quando Adam peccavit, illud grande peccatum omne genus humanum in commune damnavit*, Hom. 10. in Epiſt. ad Romanos. *Manifeſtum*, inquit, *quoniam non ipſum peccatum, quod ex legis tranſgreſſione, ſed illud peccatum, quod ex Adæ inobedientia, hoc erat quod omnia contaminavit.* Et infrà, *ut cùm tibi dixerit Judæus:* Quomodo unius virtute Chriſti mundus ſalvatus eſt? *poſſis eis dicere, quemadmodum uno inobediente Adam mundus damnatus eſt .... nam alium pro alio damnari, non valde videtur habere rationem; alium autem pro alio ſalvari, & decentius magis & rationabilius apparet. Si igitur illud factum eſt, multò magis hoc.* Quin ex ipſamet Homilia ad Neophytos, quam Julianus opponebat, ſanctus Auguſtinus eruit validiſſimum argumentum pro peccato originali; ait enim ſanctus Chryſoſtomus, *venit ſemel Chriſtus, invenit noſtrum chirographum paternum, quod ſcripſit Adam. Ille induxit initium debiti, nos fœnus auximus poſterioribus peccatis.* Quæ verba ſanctus Auguſtinus contra Julianum ſic contorquet: *nunquid contentus fuit dicere*, paternum chirographum, *niſi adderet*, noſtrum, *ut ſciremus antequam fœnus peccatis noſtris poſterioribus augeremus, jam illius chirographi paterni ad nos debitum paternum pertinere?*

Tertiò, de mente etiam Theodoreti conſtat: tum quia ſcripſit poſt profligatam ubique Pelagianorum hæreſim, & maximè in Concilio Epheſino generali, quod ignorare non potuit: tum quia in caput 5. Ep. ad Rom. hæc habet: *Dicit itaque divinus Apoſtolus, quòd cùm Adam peccaviſſet, & mortalis propter peccatum factus fuiſſet, utrumque ad genus pervenit. Ad omnes enim homines mors pervaſit, quatenus*

nus omnes peccaverunt. Non enim propter primi parentis peccatum, ſed propter ſuum (quia ex Tridentino eſt unicuique proprium) *unuſquiſque mortis decretum ſuſcepit.* Etiam infantes, quamvis voluntate propria non peccaverint.

Inſtabis: Sanctus Chryſoſtomus agnoſcit quidem omnes homines in Adamo incurriſſe mortis reatum, & damnationem; ſed conſtanter negat in ipſo conſtitutos eſſe peccatores; ait enim Hom. 17. in Epiſt. ad Corinth. *Quid ergo faciam ego? propter illum pereo? Certè non propter illum. Neque enim tu manſiſti non peccans: ſed ſi non idem peccatum, alterum certè admiſiſti. Alioqui autem neque à ſupplicio* (mortis) *accepiſti damnum, ſed lucrum.* Et Homil. 39. in eandem Epiſtolam, expendens illud, *ſicut in Adam omnes moriuntur*, ſic habet, *omneſne, dic quæſo, mortui ſunt in Adam morte peccati? Quomodo ergo Noe juſtus in generatione ſua? quomodo alii omnes? . . . . Nam ſi hoc quidem dictum eſt de corpore, ſtat quod dicitur: ſin autem de juſtitia & peccato, nequaquam.* Ergo.

Nego antecedens; In laudatis enim textibus vult duntaxat S. Doctor peccatum Adami, & poſterorum ejus non eſſe irreparabile, quemadmodum peccatum Angelorum: mortem quidem, quæ inde influxit, eſſe ineluctabilem; ſed non ita peccatum, cùm Noe, Abraham & plures alii in Scripturis juſti prædicentur.

Urgebis, atqui ſanctus Chryſoſtomus disertè aſſerit homines reatum mortis duntaxat contraxiſſe: nullatenùs verò peccati; Hom. quippe 10. in Ep. ad Romanos ad illa verba capitis 5. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi*, quæſtionem movet, & ſolvit his verbis:

bis: *videtur quæstionem non pusillam habere quod dictum est; sed si quis accuratè attenderit, & hoc quoque perfacilè solvetur. Quænam igitur quæstio fuerit? dicere videlicet multos ob unius inobedientiam peccatores extitisse. Illo enim peccante, ac mortali effecto, & qui ex eo orti sint, eos tales esse, nihil absurdum. At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse, id verò quam (obsecro) congruentiam & consequentiam habeat? invenietur enim sic nec pœnas quidem debere qui talis fuerit, si quidem non ex seipso peccator extiterit.* En difficultas proposita, sequitur responsio. *Quid igitur hoc loco, verbum hoc* peccatores, *significat? Mihi videtur tantundem significare, quantum illud, supplicio obnoxii ac mortis rei.*

Nego subsumptum; quæ enim opponuntur, astruunt Doctrinam Catholicam, nedum destruant. Concedit quippe sanctus Doctor, nec mortis pœnam debere, qui peccator non extiterit, & inde concludit nos in Adamo factos esse peccatores & mortales, vocemque illam, *peccatores*, in mente Apostoli tantundem significare, id est, æquè patere ac *mortales, ut cùm tibi Judæus dixerit, quo pacto uno rectè agente Christo, universus orbis salvus factus est, possis illi respondere, quo pacto uno inobediente Adam universus orbis condemnatus est? quanquam nihil simile inter se habeant peccatum & gratia, mors & vita.* Quibus posterioribus verbis sanctus Chrysostomus supponit peccatum & mortem conjungi in Adæ posteris, sicut gratiam & vitam in filiis Dei adoptivis; unde pergit in eadem Homilia, *nam & supplicio liberati sumus, & vitiositatem omnem deposuimus, & de integro regenerati sumus, & resurreximus sepulto vetere homine, & redempti sumus, & sanctificati.*

Dices

Dices 6. Tertullianus Lib. de Bapt. c. 18. probans Baptiſmum in parvulis differendum, donec adoleverint, ſic ſcribit: *quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* Ergo.

Nego conſeq. Nam ex ſancto Auguſtino ſupra laudato, *peccata dixit parvulos non habere, ſed propria. Unde illos innocentes meritò nuncupamus, ſecundùm id, quod ait Apoſtolus, nondum natos nihil egiſſe boni ſive mali.*

Dices 7. S. Clemens Alexandrinus Lib. 3. Stromatum, apertè negat peccatum originale; ſic enim habet poſt medium: *Dicant ergo nobis ubi fornicatus eſt infans natus? vel quando ſub Adæ cecidit execrationem, qui nihil eſt operatus? ..... Et quando dixit David, in peccatis conceptus ſum*, &c. *dicit quidem propheticè matrem Evam, ſed Eva fuit mater viventium, & ſi in peccatis fuit conceptus, ſed non ipſe in peccato, neque verò ipſe peccatum .... non accuſat eum, qui dixit: Creſcite & multiplicamini, ſed primas impulſiones* (concupiſcentiæ) *& motus ex generatione, per quos Deum non agnoſcimus, dicit impietates.*

R. 1. Locum illum eſſe adeo difficilem, ut multis Theologis videatur in eo contineri objectionem Caſſiani, contra quem pugnat S. Clemens, non ipſam S. Doctoris ſententiam; ſed contrarium ſuadet libri contextus. 2. ut benignè interpretemur S. Doctorem plura movent. 1. ſingularis ejus eruditio. 2. ex Schola ejus prodiit Origenes, peccati originalis eximius aſſertor, ut conſtat ex laudatis ſuprà ejus textibus. 3. Nullus hactenus accuſavit S. Doctorem de peccato originali malè ſenſiſſe, nec Pelagiani illum in ſuum patrocinium appellarunt, ut colligitur ex ſcriptis S. Auguſtini. 4. Ex ſcopo mens ejus eſt elucidanda.

danda. Insectatur quidem Cassianum, qui sicut Marcionitæ, & postea Manichæi, duo rerum principia statuebat, alterum spiritualium, & quidem bonum: alterum corporalium, & ipsum malum. Contra insurgit S. Clemens, probatque non accusandum, sed laudandum eum, qui dixit: *Crescite & multiplicamini*, matrimonium non esse fornicationem, ut contendebat Adversarius; nec generationem esse malam, alioqui non corpus duntaxat, sed & anima ipsa esset peccatum, quod posterius negabat Cassianus; non enim generatur solùm corpus, sed totus homo constans ex corpore & anima: accusandas solummodò primas impulsiones & motus ex generatione, id est, concupiscentiam, quam S. Thomas, & plures Theologi peccatum originale asserunt, non tamen eo sensu, eoque hæretico, quo Pseudo-Reformati, ut infra ostendemus: illas autem impulsiones non esse ipsam hominis substantiam, sed accessiones ad hominis substantiam, quemadmodum ex S. Basilio loquitur S. Augustinus cit. Lib. 1. contra Julianum. Detorquet quidem textus, quibus astruitur peccatum originale, scilicet *nullus est à sorde mundus*, Job. 14. *In iniquitatibus conceptus sum*, Psal. 50. *Execranda dies, in qua natus sum*, Jerem. 20. ut novum & acrius bellum declinet; quis enim nesciat Catholicos peccati originalis defensores à Pelagianis traduci solitos, quasi cum Marcionitis & Manichæis duo rerum principia inveherent? Fatendum tamen est quòd ex ejusmodi argumentandi ratione videatur posse inferri peccatum originale non existere; sed illationem hanc non debuit præcavere S. Clemens, ut qui ea ætate scriberet, qua nondum exorti erant

erant hæretici, qui deinceps fidem peccati originalis labefactarunt, *disputans in Catholica Ecclesia*, inquit S. August. Lib. 16. contra Julianum cap. 6. *non se aliter intelligi arbitrabatur*, *tali quæstione nullius pulsabatur*, *vobis* (Pelagianis) *nondum litigantibus*, *securius loquebatur*.

Instabis: ille directè & perspicuè negat peccatum originale, qui negat infantem, qui nihil operatus est cecidisse sub execrationem Adæ: atqui S. Clemens disertis verbis id negat, *quando*, inquit, *sub Adæ cecidit execrationem*, *qui nihil operatus est?* Ergo.

Distinguo maj. qui negat ad mentem Catholicorum, Concedo, qui negat ad mentem Adversarii, Nego maj.

Distinguo similiter minorem, S. Clemens negat infantem cecidisse sub prævaricationem Adæ, quasi substantia ejus secundùm corpus sit mala, Concedo: quasi vitiositas non accesserit ejus substantiæ, Nego minorem; accusat enim *primas impulsiones & motus ex generatione*, quæ secundùm reatum peccati in Baptismo delentur, quamvis secundùm quod in eis est materiale, in baptizatis remaneant, ut docent SS. Augustinus & Thomas; & colligitur ex ipso sancto Clemente, qui eodem Lib. 3. Stromatum, dicit nos per Baptismum regenerari, *cùm hæc sit*, inquit, *alia satio in creatione*. Et Lib. 4. *non tales esse vult*, *quales etiam genuit ex matrice aquæ*: atqui generatio supponit mortem peccati.

Instabis iterùm, quæ fuerit mens S. Clementis conjicere licet ex suis Discipulis: Atqui Origenes ab ipso edoctus, non agnovit peccatum originale, ut patet ex ejus Commentario in Epist. ad

Roma-

Romanos, in quo illud Apoſtoli, *peccatum in hunc mundum intravit*, ſic interpretatur, ut velit per mundum intelligendos homines terrenos, qui exemplo & in ſimilitudinem Adæ, propria voluntate Legem tranſgrediuntur. Enim verò quomodo Origenes peccatum originale agnoſcere potuiſſet, cùm docuerit animas deliquiſſe, priuſquam infunderentur in corpora tanquam in carceres? Unde ſanctus Hieronymus Lib. 3. contra Pelagianos, qui auctoritate Origenis gloriabantur, ſic ſcribit: *Tranſite ad Amaſium veſtrum, qui præterita in cœlis, & antiqua delicta ſolvi dicit in Baptiſmo.*

Nego minorem; Origenes quippe in illo Commentario verba Apoſtoli pro more allegoricè exponit: allegoria autem non deſtruit ſenſum litteralem, quem luculenter confirmavit locis ſupra laudatis. Unde in ejus ſententia priora animarum delicta, & peccatum originale ſimul in Baptiſmo delentur.

Dices 8. cum Juliano apud S. Auguſtinum Lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. 28. non peccat iſte, qui naſcitur, non peccat iſte, qui genuit, non peccat ille, qui condidit: per quas igitur rimas inter tot præſidia peccatum fingitur ingreſſum?

Confirmatur 1. Damnantur nuptiæ, ſi aliquid habere credantur, unde filii damnabiles generantur. 2. Non omnia peccata dimittuntur in Baptiſmo, ſi in baptizatis conjugibus remanet malum, ex quo generentur mali; non enim poſſunt parentes quod non habent in liberos transfundere. 3. Non peccat, qui non poteſt aliud eſſe quàm creatus eſt; *Nemo namque*, inquit Ariſtoteles

les Lib. 3. Eth. c. 5. *exprobrabit cuiquam si sit aut natura aut ægritudine, aut vulnere cæcus, quòd si ebrietate, aut aliquo flagitio captus sit oculis, omnes utique carpent, ac increpabunt: vitia igitur corporis ea quidem, quæ in nostra sunt potestate, reprehenduntur; ea verò quæ non sunt, non increpantur.*

Respondet S Augustinus cit. cap. 28. *quid quærit latentem rimam, cùm habeat apertissimam januam?* per unum hominem, *ait Apostolus;* per unius debitum, *ait Apostolus;* per inobedientiam unius hominis, *ait Apostolus. Quid quærit amplius? quid quærit apertius? quid quærit inculcatius?* Itaque per voluntatem, qua peccavit Adamus à Deo constitutus caput generis humani, peccatum in ejus posteros transiit. *Omnes homines*, inquit S. Thomas 1. 2. q. 81. art. 1. *qui nascuntur ex Adam possunt considerari ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam à primo parente accipiunt . . . sic igitur multi homines ex Adam derivati, sunt tanquam multa membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, putà manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ, quæ primò movet membrum. Unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundùm se, ut divisa à corpore, sed imputatur ei, in quantùm est aliquid hominis, quod movetur à primo principio . . . hominis. Sic igitur inordinatio, quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum. Unde peccatum, quod sic à primo parente in posteros derivatur, dicitur originale. Sicut peccatum, quod ab anima derivatur ad membra corporis, dicitur actuale. Et*

sicut

ſicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non eſt peccatum illius membri, niſi in quantùm illud membrum eſt aliquid ipſius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum: ita peccatum originale, non eſt peccatum hujus perſonæ, niſi in quantùm hæc perſona recipit naturam à primo parente; unde & vocatur peccatum naturæ, ſecundùm illud Epheſ. 2. Eramus natura filii iræ.

Non peccat igitur parvulus dum naſcitur, ſed peccatum contrahit, quod in Adamo commiſit; nam ex S. Aug. Lib. 2. de Nupt. cap. 5. *per unius illius voluntatem malam omnes peccaverunt, quando omnes ille unus fuerunt.* Hinc Apoſtolus Rom. 5. non dicit de Adamo, *in quo omnes peccant*, ſed *in quo omnes peccaverunt*, moxque ſubdit, *peccatores conſtituuntur multi*, nempe per generationem, in qua contrahitur macula peccati originalis, à qua actu denominantur peccatores.

Ergo præceptum non comedendi de ligno ſcientiæ boni & mali datum fuit Adamo, non ut ſingulari duntaxat homini, ſed ut capiti totius generis humani; ita ut ipſo obediente, ejus poſteri cenſerentur obedientes, & ipſo tranſgrediente, tranſgredientes. Utrùm autem interceſſerit pactum propriè dictum inter Deum & Adamum, diſputant Theologi. Alii affirmant, alii, ut nobis videtur, veriſimilius negant, contendentes ſatis fuiſſe, Deum decreto ſuo abſoluto (quod pactum utcunque dici poteſt) juſtitiam originalem, tanquam donum totius naturæ humanæ in Adamo repoſuiſſe ea conditione, ut voluntas ipſius habenda eſſet pro voluntate poſterorum: quantùm ad obſervationem & tranſgreſſionem præcepti, ex quo pendebat conſervatio & amiſſio juſtitiæ ori-

ginalis. Hanc Dei ordinationem colligunt ex Scripturis. Sanctus Hieronymus ex cap. 6. Osee, *ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum*; & S. Augustinus Lib. 16. de Civit. Dei cap. 19. & Lib. 2. de Nupt. cap. 11. ex illo Genes. 17. *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima hujus de populo Dei; quia Testamentum meum dissipavit.* In quæ verba sic scribit sanctus Doctor, *tunc dissipavit Testamentum Dei, non hoc de imperata circumcisione, sed illud de ligni probibitione.* Hinc sanctus Basilius Hom. de Jejunio, ait; (quasi nos ipsi in Adamo comederimus) *quoniam non jejunavimus, exulamus à Paradiso.*

Neque verò illud Dei decretum iniquum videri debet, ex eo præsertim, quòd posterorum non fuerit expectatus consensus. 1. Quia Deus magis habet in sua potestate voluntates hominum; quàm ipsi suas. Si ergo Respublica inconsultis pupillis, statuit voluntatem tutoris pro voluntate pupillorum; ita ut quidquid ille egerit, ab illis actum censeatur; quantò magis Deus utpote supremus Dominus, id poterit? 2. quia sicut nos suo præcepto obligavit in Adamo, ita etiam nos in ipso donis suis exaltavit; illa quippe ad posteros erant transmittenda, si Adamus ea conservasset, quod facilè poterat, nulla tentatione pulsus, nulla difficultate præpeditus, præceptum erat servatu facile, & transgressio illius peccatum immane; verisimile enim est pactum, seu Dei decretum ipsi innotuisse, tum ut præcepti gravitatem agnoscens, nihil negligeret in re tanti momenti, tum ut transgressio ejus esset voluntaria, quatenus obnoxios reddebat posteros.

Neque etiam ſequitur damnandas eſſe nuptias aut peccare parentes, dum generant; quia nec actus conjugalis, nec ipſi parentes ſunt vera cauſa peccati originalis, ſed tantùm conditio, ſine qua non traduceretur peccatum originale: *ſicut creanti Deo*, inquit ſanctus Auguſtinus Lib. 3. contra Julianum cap. 24. *non imputatur, quòd rationales naturæ à bono deficiunt, ſed quòd bonum ſunt, ſic parentibus gignentibus, & malo concupiſcentiæ benè utentibus non imputandum eſt, quòd cum eo malo filii naſcuntur, ſed quòd bonum ſunt.*

Ad id verò, quod objiciebat Julianus, parentes à labe peccati originalis per Baptiſmum purgatos, non poſſe transfundere in liberos peccatum quod non habent; reſpondet ſanctus Auguſtinus, triticum licèt à paleis purgatum, generare tamen aliud triticum paleis involutum, & ſemen oleæ producere oleaſtrum, ſeu oleam ſylveſtrem. Ideo autem parentes baptizati communicant peccatum, quod non habent; quia non ſunt illius origo, ſed inſtrumenta, ac veluti canales, per quos peccatum à primo parente tranſmittitur.

Inſtabis: licèt Deus ſit omnipotens, & ſupremus omnium Dominus, non poteſt facere quod repugnat: atqui repugnat actionem ab alio elicitam ſine meo conſenſu, quin & invincibiliter me ignorante, ex diſpoſitione Dei ita eſſe in me voluntariam, ut ex ea ſim vel laudandus & præmio donandus, ſi bona ſit; vel vituperandus, & damnandus, ſi mala. 1. Quia voluntarium definitur id, quod fit à principio interno cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio. Hinc actio alterius, quam non approbo, non eſt voluntaria reſpectu

mei, quia eſt à principio mihi extraneo. Similiter quod facio per ignorantiam invincibilem, non eſt in me voluntarium, multò minus quod fit ab alio me prorſùs ignorante. 2. Quid abſurdius, magiſque repugnans fingi poſſit, quàm me ideò vituperandum, & damnandum eſſe propter blaſphemiam hominis apud Indos conſtituti; quia Deus pro ſuo ſupremo dominio in omnium voluntates, meam in illo homine repoſuit, me non conſentiente & ignorante? 3. quia per veterem Adam peccatores conſtituti ſunt multi, ſicut per novum Adam juſti conſtituuntur multi: atqui fideles non ita juſtificantur in Chriſto, ut per ullum ejus opus bonum fiant laude digni, mereanturque vitam æternam; parvuli enim recens baptizati illam non conſequuntur, tanquam præmium aut mercedem, ſed tanquam hæreditatem: Ergo.

R. 1. Si nulla eſſet difficultas in explicando peccato originali, traductio ejus non eſſet myſterium, nec fide indigeremus ad aliud credendum.

Hìc ergo, ſicut in aliis myſteriis, agnoſcenda eſt imbecillitas ingenii humani, exclamandumque cum Apoſtolo Rom. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini; aut quis Conſiliarius ejus fuit?* Nimirum ut rationem reddat eorum omnium, quæ infinita ſua ſapientia profert de Theſauris ſuis. Verùm cùm Theologi ſit reſpondere argumentis, quæ contra Religionis noſtræ myſteria ab infidelibus proponuntur, oſtendereque ea non eſſe contra, ſed ſolum ſupra rationem;

R. 2. Argumenta in objectione collecta, concludere

cludere duntaxat pro peccato perſonali, non pro peccato naturæ, quale eſt peccatum originale. Equidem ad peccatum perſonale requiritur uſus & libertas propriæ voluntatis: ſed ad peccatum naturæ, ſufficit voluntas naturæ, ſeu capitis, in quo erat natura. Ita S. Thomas in 2. diſt. 30. q. 2. art. 2. ubi ſic ſcribit: *Oportet, quòd ſecundùm hoc, quod aliquid rationem culpæ habet, ſecundùm hoc ratio voluntarii reperiatur. Sicut autem eſt quoddam bonum, quod reſpicit naturam, & quoddam quod reſpicit perſonam; ita etiam eſt quædam culpa naturæ, & quædam perſonæ. Unde ad culpam perſonæ requiritur voluntas perſonæ, ſicut patet in culpa actuali, quæ per actum perſonæ committitur: ad culpam verò naturæ, non requiritur, niſi voluntas in natura illa.* Juxta quam doctrinam

R. 3. In forma ad objectionem, diſtinguendo minorem, repugnat actionem ab alio elicitam ſine meo conſenſu eſſe in me voluntariam voluntate perſonali, Concedo: voluntate naturæ, Nego minorem; quid enim repugnat naturam in capite peccatricem, ideoque vituperabilem ſpoliari donis ſupernaturalibus, vulnerari in naturalibus, quatenus nempe propter peccatum originale appetitus ſenſitivus, & inferiores potentiæ ſinuntur acriùs impetere rationem, quàm ſi homo in puris naturalibus conditus fuiſſet? Quòd ſi cui durum nimis videatur, propter hujuſmodi peccatum naturæ homines æterno igne cruciandos, reſponſio in promptu eſt, quòd tale obſequium fides à nobis non exigat, liceatque unicuique credere cum pluribus Catholicis, parvulos propter peccatum originale privandos duntaxat æterna beatitudine; ſed de pœnis peccati originalis poſtea.

§. II.

Quid sit peccatum originale; & in quo formaliter consistat?

Respondeo cum sancto Augustino Lib. de Moribus Ecclesiæ cap. 22. *Hoc peccato antiquo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Hinc nascitur opinionum diversitas circa essentiam peccati originalis; nam ex Tertulliano, varietas opinionum venit ex ignorantia veritatis.

Ac 1. ex Heterodoxis Matthias Illyricus Lutheranus docuit peccatum originale esse quandam substantiam malam à Diabolo productam, ita ut homo per peccatum originale fuerit substantialiter mutatus. Cæteri verò Lutherani & Calvinistæ sentiunt peccatum originale esse formaliter ipsam concupiscentiam, seu naturæ humanæ corruptionem, & quandam pravitatem in omnes animæ partes diffusam. Ita Calvinus Lib. 2 Institut. capite 1. *Videtur ergo*, inquit, *peccatum originale hæreditaria naturæ nostræ pravitas, & corruptio in omnes animæ partes diffusa, quæ primum facit reos iræ Dei, tum etiam opera in nobis profert, quæ Scriptura vocat opera carnis, atque id est propriè, quòd à Paulo sæpiùs peccatum nominatur.*

Dixi, *formaliter*, ut innuerem, concupiscentiam in mente Novatorum habere veram rationem peccati, cùm contra Catholici constanter propugnent eam non dici peccatum, nisi metaphoricè, vel ad summum materialiter, ut nonnulli contendunt.

Atque ex hoc falso principio Adversarii deducunt peccatum originale per Baptismum non deleri,

deleri, ſed tegi duntaxat in prædeſtinatis; cùm in iis concupiſcentia remaneat, ac in illorum ſententia, bona etiam juſtorum opera inficiat, ut diximus Tractatu de Gratia.

Ut autem pateat, in quo ſitus ſit Novatorum error,

Nota, duplicem diſtingui concupiſcentiam, actualem ſcilicet, & habitualem. Actualis ſunt actus inordinati, & indeliberati, qui contra rationem & Legem Dei exurgunt: habitualis verò eſt naturalis propenſio in bonum privatum.

Rurſus concupiſcentia habitualis tripliciter ſumi poteſt. 1. Pro propenſione ad bonum ſenſibile, quatenus eſt conveniens naturæ rationali; voluntas enim eſt inclinatio in bonum totius ſuppoſiti, quod cùm ſit ſenſibile & rationale, naturaliter propendet in bonum honeſtum & ſenſibile; *In tantum concupiſcere eſt homini naturale*, inquit ſanctus Thomas 1. 2. quæſt. 82. art. 3. ad 1. *in quantum eſt ſecundùm rationis ordinem: concupiſcentia autem quæ tranſcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam, & talis eſt concupiſcentia originalis peccati.* 2. Strictius pro qualibet inordinatione virium animæ, & hoc ſenſu concupiſcentia diffunditur in omnes animæ potentias, voluntatem ſcilicet, intellectum, & appetitum ſenſitivum. 3. Strictiſſimè pro inordinatione membrorum corporis, vel ipſius animæ, qua vitioſè propenſa eſt ad voluptates carnis, quæ ex tactu percipiuntur.

Porrò in mente Adverſariorum, neque concupiſcentia actualis, neque habitualis primo modo ſumpta, eſt formaliter peccatum originale. Non quidem actualis, quia eſt aliquid conſequens ad peccatum originale, & eſt verus ejus effectus.

Neque habitualis primo modo ſpectata; quia ut ſic eſt homini naturalis competebatque Adamo in ſtatu innocentiæ: ergo concupiſcentia ſecundo & tertio modo duntaxat eſt formaliter peccatum originale, juxta Novatorum doctrinam.

Catholici exploſa Hæreticorum impietate, in varias abeunt ſententias circa formalem peccati originalis rationem.

Prima, eſt eorum, qui reponunt peccatum originale in morbida quadam qualitate, quæ ex carne per peccatum infecta derivatur in animam. Ita Henricus à Gandavo quodlib. 2. quæſt. 11. & Gregorius Ariminenſis in 2 diſt. 20. qu. 2. art. 1.

Secunda, eſt Alberti Pighii in Controverſia de peccato originali & Catharini in Opuſculo de peccato originali, diſput. 6. qui definiunt peccatum originale eſſe denominationem extrinſecam petitam ab actuali prævaricatione Adami, in quo omnes eramus, adeo ut peccatum originale non ſit unicuique proprium.

Tertia, eſt plurium Theologorum, & maximè Thomiſtarum, qui docent peccatum originale materialiter eſſe concupiſcentiam habitualem ſecundo & tertio modo ſpectatam, formaliter verò defectum juſtitiæ originalis. Et in hanc ſententiam inclinare videtur S. Thomas 1. 2. q. 82. art. 3. ubi ſic habet: *Oppoſitorum oppoſitæ ſunt cauſæ: eſt igitur attendenda cauſa originalis peccati ex cauſa originalis juſtitiæ, quæ ei opponitur: tota autem ordinatio originalis juſtitiæ ex hoc eſt, quòd voluntas hominis erat Deo ſubjecta, quæ quidem ſubjectio primò & principaliter erat per voluntatem, cujus eſt movere omnes alias partes in finem. Unde ex averſione voluntatis à Deo conſecuta eſt inordinatio in omnibus aliis animæ viribus.*

bus. Sic ergo privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur, est formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animæ se habet in peccato originali, sicut quiddam materiale . . . . quæ quidem inordinatio communi nomine potest dici concupiscentia.

Quarta Sententia in Scholis admodum communis; statuit peccatum originale materialiter esse privationem justitiæ originalis inadæquatè sumptæ, hoc est, gratiæ sanctificantis, formaliter verò esse ipsummet peccatum actuale, quod in Adamo commisimus, quodque moraliter in unoquoque permanet, tanquam vera macula, donec Baptismo, vel perfecta conversione ad Deum fuerit abstersa; namque, inquiunt illi Theologi; peccatum originale est in posteris Adam per modum habitus; ergo de eo idem sentiendum, quod de peccato habituali: atqui ex dictis peccatum habituale est privatio gratiæ sanctificantis propter actum malum, qui præcessit; homicidium, inquit sanctus Augustinus, transit actu, sed manet reatu, hoc est, licèt percussio injusta præterita sit, præsens tamen est illius macula, à qua percussor denominatur homicida & peccator; nec deleri potest nisi per infusionem gratiæ sanctificantis: ergo similiter peccatum originale, cùm sit habituale, est privatio gratiæ sanctificantis propter actualem prævaricationem, cujus rea est posteritas Adami, in quo omnes unus homo erant, quæque in non renatis moraliter manet. Pressiùs dici potest in hac sententia peccatum originale esse privationem justitiæ originalis quatenus est habitualis aversio à Deo propter prævaricationem, quæ præcessit in Adamo.

Dixi, *privationem justitiæ originalis inadæquatè sumptæ;* tria enim complectitur justitia originalis. Primum, est perfecta subjectio voluntatis ad Deum per gratiam sanctificantem. Secundum, integra subordinatio virium inferiorum ad rationem. Tertium, obedientia corporis ad animam, per quam corpus incorruptibile animam non gravabat, nec ullis molestiis premebat. Primum autem est causa secundi & tertii, ut docet S. Augustinus in Psalm. 143. *Agnosce ordinem*, inquit, *quære pacem; tu Deo, tibi caro. Quid justius? quid pulchrius? tu majori, minor tibi: servi tu ei, qui fecit te, ut tibi serviat, quod factum est propter te .... si autem contemnis tu servire Deo, nunquam efficies, ut tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris à servo.* Et S. Thomas opusculo 2. cap. 192. *Quia*, inquit, *tam ordinata integritas tota causabatur ex subjectione humanæ voluntatis ad Deum, consequens fuit, ut subducta humana voluntate à subjectione divina, deperiret illa perfecta subjectio inferiorum virium ad rationem, & corporis ad animam; unde consecutum est, ut homo sentiret in inferiori appetitu sensibili concupiscentiæ, & iræ, & cæterarum passionum inordinatos motus, non secundùm ordinem rationis, sed magis repugnantes, & eam plerumque obnubilantes, & quasi perturbantes. Consecutum est etiam, ut in corpore sentiretur corruptionis defectus, ac per hoc homo incurreret necessitatem moriendi quasi anima jam non valente corpus in perpetuum continere.*

Si privatio justitiæ originalis spectetur tertio modo, nullus dixerit eam esse formaliter peccatum originale; cùm Christus habuerit corpus mortale, & doloribus obnoxium: si secundo modo, soli Hæretici asserunt eam esse formaliter peccatum originale. Restat ergo, ut

ut in hac quarta ſententia privatio jûſtitiæ originalis primo modo duntaxat ſit ratio formalis peccati originalis.

§. III.

Expenduntur ſententiæ Hæreticorum circa rationem formalem peccati originalis.

Q. I. *Utrùm peccatum originale ſit ſubſtantia mala à Diabolo producta, ut concedit Illyricus?*

R. Minimè 1. quia Joan. 1. *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil:* ergo nulla eſt ſubſtantia, niſi ſit à Deo, atqui peccatum non eſt à Deo: ergo peccatum originale non eſt ſubſtantia. Hinc ſanctus Auguſtinus Concione 1. in Pſal. 68. *Quia per iniquitatem*, inquit, *homo lapſus eſt à ſubſtantia, in qua factus eſt: (iniquitas quippe ipſa non eſt ſubſtantia; non enim iniquitas eſt natura, quam formavit Deus: ſed iniquitas eſt perverſitas, quam fecit homo) venit Filius Dei ad limum profundi, & non eſt ſubſtantia: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: Naturæ omnes per ipſum factæ ſunt, iniquitas per ipſum facta non eſt; quia iniquitas facta non eſt.* 2. Quia illa impia ſententia olim damnata eſt in Manichæis, qui, teſte S. Auguſt. volebant malum eſſe aliquam ſubſtantiam naturæ noſtræ admixtam: 3. quia inde ſequeretur peccatum originale non auferri per Baptiſmum, cùm in illo nulla auferatur forma ſubſtantialis.

Dices 1. Sunt actus eſſentialiter mali & peccata formaliter, ut blaſphemia, qui ſecundùm eſſe materiale & phyſicum ſunt à Deo, ſecundùm verò moralem inordinationem à mala voluntate: ergo à pari abſque injuria Creatoris, poteſt

poteſt dari aliqua ſubſtantia eſſentialiter mala, producta à Deo quidem, ſi ſpectetur ejus entitas phyſica, quia ut ſic creatura eſt: à voluntate verò mala ſive Dæmonis, ſive primi parentis, ſi ratio habeatur inordinationis moralis, quæ in ipſa ineſt.

R. 1. Retorquendo argumentum contra Illyricum: omnis actus inordinatus ſecundùm entitatem, & phyſicè ſpectatus, eſt bonus: ergo & omnis ſubſtantia: ergo nulla eſt natura ſubſtantialiter mala, nec proinde peccatum formaliter.

R. 2. Inordinatio conſequens naturam humanam origine vitiatam, eſt ipſamet concupiſcentia, quæ, quatenus rationi & legi repugnans eſt mala, ſed ut ſic non eſt ſubſtantia, ſed defectus, nec poteſt dici peccatum originale, niſi materialiter; quia manet in renatis, in quibus deleta eſt macula peccati originalis.

Inſtabis: ex præcedentibus actibus malis generatur habitus erroris & vitii; quidni & ſubſtantia mala?

R. 1. Quæſtio eſt inter Philoſophos, an habitus mali ſint qualitates realiter diſtinctæ? Plures negant, contenduntque eſſe meras modificationes. 2. Si ſint qualitates realiter diſtinctæ, certè non ſunt peccata formaliter, ſed propenſiones duntaxat ad peccatum, utpote quæ aliquandiu remaneant in homine à peccatis juſtificato. Quòd autem ſunt habitus vitioſi, idipſum eſt habitualis inordinatio concupiſcentiæ.

Dices 2. Peccatum originale dicitur radix omnium peccatorum; corpus peccati, *vetus homo noſter*, inquit Apoſtolus Rom. 6. *ſimul crucifixus eſt*; *ut*

ut destruatur corpus peccati: atqui radix & corpus denotant substantiam: Ergo.

Nego minorem; namque 1. cupiditas, quæ sanè substantia non est, dicitur ab Apostolo 1. Tim. 6. *radix omnium malorum:* 2. corpus peccati propriè est collectio plurium peccatorum, quæ destruitur per gratiæ adjectionem, non per substantiæ interitum, ut loquitur Tertullianus Lib. de Resurrectione Carnis c. 47. *uti evacuetur corpus delinquentiæ per emendationem vitæ, non per interitum substantiæ.*

Dices 3. Quod est Divinæ Legi contrarium, illud est peccatum propriè dictum: atqui natura humana per peccatum originale vitiata, est Legi contraria: Ergo.

Distinguo minorem, Est contraria propter peccatum ipsi inhærens, Concedo: est contraria per seipsam & propriam substantiam, Nego minorem.

Dices 4. Natura humana creata fuit imago Dei: atqui peccatum originale destruxit imaginem Dei.

Distinguo minorem, destruxit imaginem Dei accidentalem, quæ consistit in donis supernaturalibus, Concedo: imaginem substantialem, quæ consistit in anima rationali, quæ spiritalis est, intellectu & voluntate prædita, sicut & ipse Deus; Nego minorem.

Q. 2. *Peccatum originale estne formaliter ipsa concupiscentia?*

R. De fide est, non esse concupiscentiam; ita enim definiit Concilium Tridentinum, Sess. 5. Can. 5. *Si quis, per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati*

cati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari; anathema sit . . . . manere autem in Baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit; quæ cùm ad agonem relicta sit nocere non consentientibus, sed utiliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus non valet . . . . hanc concupiscentiam quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

Probatur 1. ex Scriptura, Rom. 8. *nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Et cap. 6. *Qui mortui sumus peccato, quomodo vivemus in illo?* 1. Joan. 1. *Sanguis ejus emundat nos ab omni peccato.*

Nec dicant adversarii, nihil esse damnationis in renatis, quia peccatum, quod in ipsis inest, per justitiam Christi tegitur, nec imputatur.

Nam Apostolus Coloss. 3. dicit, nos exuere veterem hominem, & induere novum, *expoliantes vos*, inquit, *veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum.*

Deinde c. 6. v. 2. & 4. Epist. ad Rom. confert renovationem, quæ fit in Baptismo cum resurrectione Christi: *Mortui sumus peccato*, inquit, *ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus:* atqui Christus resurgens corruptionem carnis & mortalitatem non texit per indumentum gloriæ, sed prorsus deposuit. Ergo pariter in mente Apostoli ita Christum in Baptismo induimus, ut omnem prorsus peccati

maculam exuamus. Plura vide in tractatu de Gratia cap. 4. §. 1.

Probatur 2. ex S. Aug. Lib. 1. de nupt. & concup. cap. 23. ubi sic habet: *Nam ipsa quidem concupiscentia jam non est peccatum in generatis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atque ut ea perpetrent à regina mente membra non dantur: ut si non fit, quod scriptum est,* non concupiscas, *fiat saltem quod alibi legitur,* post concupiscentias tuas non eas. *Sed quia modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod & peccatum factum est, & peccatum (si vicerit) facit, reatus ejus valet in regenerato: quem reatum Christi gratia per remissionem omnium peccatorum in regenerato (si ad mala opera ei quodammodo jubenti non obediat) valere non sinit. Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, cùm jam in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, & manus, vocatur scriptura; quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum (si vincit) facit sicut vocatur frigus pigrum, non quòd à pigris fiat, sed quòd pigros faciat.* Quæ verba adeo clara sunt, ut Calvinus non possit ea obscurare, faterique cogatur Lib. 3. Institut. capit. 3. §. 10. Augustinum in hac parte sibi esse contrarium.

Dices 1. concupiscentia est peccatum, ex Apostolo Rom. 7. *Jam non ego,* inquit, *operor illud, sed quod habitat in me peccatum,* id est, concupiscentia. Ergo.

Distinguo antecedens; est peccatum metaphoricè, Concedo: est peccatum verè & propriè, Nego anteced. Ita S. Augustinus, & Patres Tridentini supra laudati.

Dices 2.

Dices 2. Sanctus Augustinus Lib. de Nupt. & Concup. capite 26. dicit concupiscentiam in renatis jam non esse peccatum: ergo supponit fuisse peccatum in non renatis. *In eis ergo*, inquit, *qui regenerantur in Christo, cùm remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hujus licèt adhuc manentis concupiscentiæ remittatur, ut in peccatum (sicut dixi) non imputetur.* Tum eam conferens cum peccato habituali adulterii subdit, *manet, si non remittatur, sed quomodo manet, si præteritum sit, nec ampliùs fiat, nisi quia præteriit actus, manet reatus?* Ergo secundùm sanctum Augustinum concupiscentia propriè peccatum est; non actuale: ergo habituale & originale; & Lib. 5. contra Julianum cap. 3. scribit, *sicut cæcitas cordis & peccatum est, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur: & causa peccati, cùm aliquid mali cordis errore committitur: Ita carnis concupiscentia, adversùs quam bonus spiritus concupiscit, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: pœna peccati est; quia reddita est meritis inobedientis: & causa peccati defectione consentientis, vel contagione nascentis*; ergo concupiscentia peccatum est, non solùm quia est à peccato & pœna peccati præcedentis, & causa subsequentium, sed verè & propriè ipsamet est peccatum.

Confirmatur: ex sancto Augustino, concupiscentia non est à Patre, odio habetur à Deo: atqui omnia sunt à Patre, præter peccatum propriè dictum, nihilque odit Deus eorum, quæ fecit: ergo concupiscentia propriè est peccatum.

R. 1. Reatus concupiscentiæ, qui tollitur per Baptismum, est inordinatio, & habitualis aversio à Deo,

Deo, in qua dicemus §. ſequenti, conſiſtere formaliter peccatum originale. Tollitur autem hæc averſio per gratiam ſanctificantem, qua voluntas eſt habitualiter converſa ad Deum, eique ſubdita: ita ut cæteri defectus, qui remanent poſt Baptiſmum ſub nomine concupiſcentiæ, jam cenſeantur involuntarii, & contra inclinationem voluntatis per gratiam renovatæ. Unde

R. 2. Diſtinguendo: in renatis concupiſcentia eſt peccatum metaphoricè tantùm; quia eſt involuntaria ſi ei non conſentiatur: eſt pœna peccati, quod in Adamo præceſſit: & cauſa peccati, cùm extorquet conſenſum, Concedo: eſt peccatum formaliter, Nego. Hæc omnia patent ex laudato cap. 23. Lib. de concup. ut agnoſcit ipſe Calvinus.

Ad confirmationem reſpondeo, concupiſcentia quatenus ſpectatur, ut ſimplex inclinatio ad bonum ſenſibile, eſt à Deo & ab eo diligitur, ut ſic enim eſt bonum quoddam naturale, & conſentaneum creaturæ rationali, ut præcedenti §. diximus. Sed quatenus deficit, & eſt inordinata propenſio in bonum ſenſibile, non eſt à Deo, nec ab eo diligitur; eſt enim defectus, qui refundi non debet in auctorem, ſicut nec rubigo ferri in artificem; quia ejuſmodi defectus non oriuntur ex aliqua culpa opificis, ſed ex ipſamet natura defectibili. Unde ex eodem ſancto Auguſtino Lib. 1. Retractationum cap. 9. *Quamvis ignorantia, & difficultas eſſent primordia naturalia, nec ſic culpandus Deus, ſed laudandus eſſet.*

Inſtabis: Deus non poteſt eſſe auctor habitus vitioſi, putà intemperantiæ, quia inclinat ad malum: ergo nec concupiſcentiæ.

Nego conſeq. & paritatem. In eo differt habitus vitioſus à concupiſcentia, quòd ille per ſe inclinet ad malum: intemperantia, v. gr. eſt formaliter inclinatio ad ſumendum cibum & potum contra rationis ordinem, quod eſt per ſe malum, cùm ex dictis Tractatu præcedenti, malitia ſit ipſa difformitas contraria naturæ rationali. At concupiſcentia per ſe inclinat duntaxat ad bonum ſenſibile quod eſt conveniens naturæ ſenſitivæ, quæ cùm in homine ſit etiam rationalis, debet regi à ratione, tanquam inferior à ſuperiore.

Confirmatur reſponſio: Nullus poteſt benè uti habitu vitioſo, quia per ſe malus eſt, & contrarius rationi: at concupiſcentia benè utuntur ſancti conjuges, ex ſancto Auguſtino Lib. 2. de nupt. & concup. cap. 21. ergo per ſe mala non eſt, ſed per accidens, quatenus impedit rationis officium; ſed ad id per ſe non tendit, ſicut habitus vitioſi.

§. IV.

Expenduntur ſententiæ Catholicorum circa formalem rationem peccati originalis.

Q. I. *Peccatum originale eſtne qualitas morbida?*

R. Eſt fictitia illa qualitas, & prorſus impoſſibilis; vel enim naturaliter produceretur ex actuali Adæ peccato, vel ſupernaturaliter: neutrum dici poteſt: non primum; quid enim habuit ſpeciale prævaricatio Adami, quod non habeant cæteræ prævaricationes? atqui aliæ prævaricationes, putà homicidia, adulteria, non producunt qualitatem morbidam in corpore peccantis, quæ tranſeat ad ejus poſteros: ergo neque

que prævaricatio Adami. Non ſecundum; quia ſi ſupernaturaliter à Deo produceretur, Deus eſſet auctor peccati, quod impium eſt dicere: Ergo.

Q. 2. *Peccatum originale conſiſtitne formaliter in denominatione extrinſeca, petita à peccato actuali Adami?*

R. Non conſiſtit: Probaturque 1. ex Scriptura, Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors:* atqui peccatum actuale Adami, cùm fuerit actus immanens non intravit in mundum: ergo præter peccatum actuale Adami, datur aliquid intrinſecum ad poſteros ejus tranſiens. Deinde Apoſtolus ibidem docet, peccatum, ſicut mortem, in omnes tranſiiſſe: ergo ſicut mors eſt in unoquoque, ita & peccatum; neque enim quis poteſt magis dici peccator peccato alterius, quàm mortalis alterius mortalitate. Denique Apoſtolus eo loci comparat peccatum, quod trahimus ex Adamo, cum juſtitia, quam haurimus ex Chriſto: atqui illa juſtitia non eſt formaliter ipſa Chriſti juſtitia, à qua intrinſecè juſti denominantur; ſed eſt juſtitia intrinſecè inhærens, ergo peccatum originale non eſt actuale Adami peccatum, à quo parvuli formaliter denominantur peccatores.

Probatur 1. ex Concilio Tridentino, Seſſ. 5. Can. 3. in quo ſic definit: *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum eſt, propagatione, non imitatione tranſfuſum omnibus ineſt, unicuique proprium . . . . per aliud remedium aſſerit tolli, quàm per meritum mediatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti . . . . . anathema ſit.* Hinc ſententia Pighii & Catharini, quam hìc impugnamus, communiter rejicitur, ut erronea, & in fide periculoſa, quin & à quibuſdam, ut à Suarez,

rez, habetur tanquam hæretica. Sed benignè explicatur à Bellarmino hoc ſenſu, quòd ita docuerint illi auctores, peccatum originale eſſe denominationem extrinſecam petitam à peccato actuali Adami, ut non negaverint inde conſecutam maculam habitualem; quæ in unoquoque ineſt, niſi renaſcatur in Chriſto.

Q. 3. *Concupiſcentia eſtne propriè peccati originalis quiddam materiale?*

R. Minimè, tum quia concupiſcentia, in omnium ſententia eſt pœna peccati originalis: atqui omnis pœna præſupponit peccatum, & eſt quid ad illud conſequens: tum quia concupiſcentia, ex Concilio Tridentino, manet in renatis, nec per Baptiſmum tollitur: atqui ex eodem Concilio per Baptiſmum tollitur omne quod habet rationem peccati: ergo concupiſcentia non propriè eſt eſſentialis ejus materia.

Dices: Hæc reſponſio apertè pugnat contra manifeſtam doctrinam ſancti Auguſtini & ſancti Thomæ. De mente ſancti Thomæ conſtat ex articulo tertio ſupra laudato, cap. 7. §. 2. in quo ex profeſſo ſtatuit concupiſcentiam eſſe materiale peccati originalis: *Privatio*, inquit, *originalis juſtitiæ, per quam voluntas ſubdebatur, eſt formale in peccato originali, omnis autem alia inordinatio virium animæ ſe habet in peccato originali ſicut quiddam materiale . . . quæ quidem inordinatio communi nomine poteſt dici concupiſcentia.*

Quòd autem hæc ſit ipſiſſima ſancti Auguſtini doctrina, probant omnes Libri, quos, pro ſtabiliendo dogmate de peccato originali, ſcripſit contra Pelagianos, ex quibus duos textus duntaxat proferemus.

Pri-

Primus petitur ex Lib. 5. contra Jul. cap. 3. in quo sic habet: *Concupiscentia carnis & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, & causa peccati est defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Similia habet Lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 25. *Ad hæc,* inquit, *respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen, donec sanetur omnis infirmitas:* Ergo.

Distinguo anteced. Concupiscentia in peccato originali est quiddam materiale impropriè, Concedo: Propriè, Nego anteced. Ait enim S. Thomas, quòd concupiscentia in peccato originali se habeat sicut quiddam materiale; quæ vox, *sicut*, denotat non esse ejus materiam essentialem, nec includi in conceptu formali peccati originalis: dicitur autem concupiscentia esse velut quiddam materiale peccati originalis; quia illud comitatur, & cum eo conjungitur in renatis, in quibus propterea à S. Augustino vocatur peccatum, non quòd ipsa præcisè sic peccatum, cùm maneat in renatis, in quibus nullum est peccatum propriè dictum. Unde sic argumentari licet: ex sancto Augustino, reatus peccati per Baptismum ita solvitur, ut concupiscentia ipsa secundùm se spectata maneat: atqui concupiscentia, quæ manet in mente ejusdem sancti Doctoris, non est peccatum, sed quoddam peccati consectarium, nempe pœna & effectus peccati: ergo concupiscentia secundùm se spectata non est materia essentialis peccati originalis: repugnat enim idem respectu ejusdem esse causam & effectum, pecca-

tum & pœnam; cùm hæc ſint correlativa, quæ inter ſe opponuntur.

Q. 4. *In quo igitur conſiſtit formalis ratio peccati originalis?*

R. In habituali averſione à Deo, quæ intelligitur in privatione juſtitiæ originalis primo modo ſpectatæ, hoc eſt, in privatione gratiæ ſanctificantis, propter actualem prævaricationem Adæ, in quo omnes eramus, ita ut ipſa privatio gratiæ ſanctificantis ſit materiale peccati, & averſio à Deo, quam Sanctus Auguſtinus vocat reatum peccati ſeu culpæ, ſit ipſum formale peccatum originale.

Probatur 1. ex refutatione aliarum opinionum.

Probatur 2. ex S. Anſelmo, qui Lib. de conceptu Virginis cap. 26. accuratiùs inquirit formalem rationem peccati originalis, cùm S. Auguſtinus ſollicitus fuerit duntaxat ejus exiſtentiam ſtatuere contra Pelagianos. Sic autem habet S. Anſelmus: *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus, niſi ipſam, quam ſupra poſui factam per inobedientiam Adæ, juſtitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes Filii ſunt iræ.* In eodem quoque ſenſu accipienda ſunt verba S. Thomæ cit. art. 3. *Privatio originalis juſtitiæ per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſt formale originalis peccati.*

Probatur 3. Duplici ratione. Prima, peccatum originale non eſt actuale, ſed habituale, cùm permaneat in parvulis donec regenerentur: atqui peccatum habituale, ex dictis eſt privatio gratiæ ſanctificantis cum relatione ad aliquem actum malum præcedentem, ratione cujus eſt voluntarium: Ergo ſecunda in eo conſiſtit eſſentia peccati originalis, à

quo

quo tanquam à radice, fluunt cætera, quæ ad peccatum originale pertinent: atqui ex privatione gratiæ sanctificantis, seu justitiæ originalis primo modo sumptæ, sequuntur aliæ omnes inordinationes ex peccato Adami in nos per generationem transfusæ: Ergo.

Minor probatur ex S. Thoma 1. 2. quæst. 85. art. 3. in quo probat quatuor esse vulnera naturæ inflicta per peccatum originale; nempe infirmitatem, ignorantiam, malitiam, & concupiscentiam: *Sunt*, inquit, *quatuor potentiæ animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum; scilicet ratio, in qua est prudentia: voluntas, in qua est justitia: irascibilis, in qua est fortitudo: concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ: in quantum verò voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiæ: in quantum verò irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis: in quantùm verò concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ. Sic igitur ista quatuor sunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis:* atqui quatuor illa vulnera procedunt ex privatione justitiæ originalis, quatenus subdebat mentem Deo, seu, quod idem est, ex aversione à Deo, quemadmodum docet sanctus Augustinus Serm. 30. aliàs 12. de Verbis Apostoli: *Ipse*, inquit, *quando hominem creavit, utrumque fecit, utrumque conjunxit, carnem animæ subdidit, animam sibi: si semper illa staret sub domino suo, semper & ista obediret dominæ suæ. Noli ergo mirari, si ea quæ deseruit superiorem pœnam, patitur per inferiorem.* Ergo ratio formalis peccati originalis consistit in habituali aversione à Deo.

Dices: Privatio justitiæ originalis seu gratiæ sanctificantis, est effectus & pœna peccati: ergo non est ipsum peccatum.

Distinguo anteced. Est effectus & pœna peccati actualis, quod in Adamo præcessit, Concedo: Peccati originalis, Nego anteced. Est enim ipsummet peccatum originale, quemadmodum in adultis peccatum habituale est ipsamet privatio gratiæ sanctificantis propter actum malum, qui præcessit.

Instabis: Privatio gratiæ sanctificantis est à Deo subtrahente influxum, quo conservabatur justitia originalis: atqui peccatum non est à Deo: ergo privatio justitiæ originalis non potest dici peccatum originale.

Distinguo major. Privatio gratiæ sanctificantis est à Deo physicè, Concedo: Moraliter, tanquam à causa particulari determinante secundam, Nego major. Quemadmodum enim actus malus, v. gr. homicidium materialiter & physicè spectatus, est à Deo tanquam à causa universali concurrente cum causa secunda; nec propterea Deus potest dici auctor peccati; quia defectus est refundendus in creaturam, tanquam in causam moralem, quæ voluntariè & liberè se determinavit ad actum illum: ita privatio, seu subtractio gratiæ sanctificantis materialiter & physicè est à Deo, quatenus est cessatio divini influxus conservantis supernaturalem illum habitum, sed quatenus est voluntaria aversio, seu separatio à Deo, est à deficiente voluntate sive propria, si peccatum sit personale; sive capitis, si originale. Porrò in hac aversione consistit formale peccati habitualis & originalis; est enim turpe, vituperabile

bile & damnabile, quòd voluntas deficiat à Lege æterna, & ab ultimo ſuo fine avertatur. Cenſetur autem voluntas permanere in illa averſione, quamdiu actus malus præcedens non eſt retractatus: *Adulterium*, inquiebat ſupra S Auguſtinus, *præteriit actu, remanet reatu.*

Ergo peccatum originale eſt mortale: quia eſt habitualis averſio à Deo: ſicut enim recedente anima moritur corpus, ita Deo deſerente moritur anima, non quidem amittendo vitam naturalem, ſic enim eſt immortalis; ſed ſupernaturalem, quæ conſiſtit in unione cum Deo.

Ergo peccatum originale inducit pœnam damni, hoc eſt, privationem æternæ beatitudinis, quæ eſt hæreditas paterna: hæreditas enim non pertinet niſi ad Filios. Porrò gratia ſanctificans eſt adoptio, qua formaliter privat peccatum originale. Hinc ab Apoſtolo dicimur naſci Filii iræ.

Ergo peccatum originale minus eſt peccato habituali perſonali; quia minus habet voluntarii, cùm non ſit voluntarium niſi voluntate Adami. Utrùm autem ſit gravius peccato veniali, quæſtio eſt, ad quam Bellarminus cum nonnullis aliis reſpondet, Libro 4. de amiſſione gratiæ cap. 10. peccatum veniale gravius eſſe in ratione voluntarii, minus verò in ratione mali, quia peccatum originale eſt privatio gratiæ ſanctificantis, & conſequenter æternæ felicitatis. Sed cum peccata iſta ſint diverſi generis, vix inter ſe comparari poſſunt.

Hinc naſcitur alia quæſtio, utrùm peccatum actuale & originale conveniant univocè. Alii probabiliùs affirmant; quia utrique convenit de-

finitio peccati in genere, utrumque enim eſt privatio rectitudinis, quæ ſecundùm rectam rationem deberet ineſſe: ex eo autem, quòd unum ſit voluntarium voluntate propria; alterum voluntate capitis, ſolùm concluditur illa peccata differre ſpecie.

§. V.

Quomodo traducatur peccatum originale?

Reſpondet S. Auguſtinus Lib. 5. contra Julianum cap. 3. *Hic libentiùs diſco, quàm dico; nec audeo docere quod neſcio.* Additque Epiſt. 167. aliàs 29. ideò Scripturam hìc obſcuriùs loqui, quàm cùm agitur de exiſtentia peccati originalis; quia prius non eſt ita ad ſalutem neceſſarium, ac poſterius: *Eleganter autem*, inquit, *dictum eſſe narratur, quod huic rei ſatis aptè convenit. Cùm quidam ruiſſet in puteum . . . . acceſſit alius, & eo viſo, admirans ait: Quomodo huc cecidiſti? At ille: Obſecro, inquit, cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim quæras. Ita quoque fatemur, & Fide Catholica tenemus, de reatu peccati, tanquam de puteo, etiam parvuli infantis animam Chriſti gratia liberandam; ſatis eſt ei, quod modò quomodo ſalva fiat novimus; etiamſi nunquam quomodo in malum illud devenerit, noverimus.* Nihilominus ad propoſitam quæſtionem cum communi Schola

R. Traducitur peccatum originale per generationem & ſeminalem propagationem. Ita ſanctus Thomas 1. 2. qu. 81. art. 4. *Peccatum originale*, inquit, *à primo parente traducitur in poſteros, in quantum moventur ab ipſo per generationem, ſicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale. Non autem eſt*

motio

motio ad generationem, nisi per virtutem activam in generatione. Unde illi soli peccatum originale contrahunt, qui ab Adam descendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adam derivatam, quod est secundùm seminalem rationem ab eo descendere; nam ratio seminalis nihil aliud est, quàm vis activa in generatione. Si autem aliquis formaretur virtute divina ex carne humana, manifestum est quòd vis activa non derivaretur ab Adam; unde non contraheret peccatum originale; sicut nec actus manus pertineret ad peccatum humanum, si manus non moveretur à voluntate hominis, sed ab aliquo extrinseco. Hinc si Eva ex costa Adæ post ejus peccatum formata fuisset, peccato originali non fuisset inquinata; quia non extitisset in Adam secundùm seminalem rationem.

Confirmatur responsio 1. ex cap. 14. Job. ubi vir sanctus sic loquitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* 2. Ex Concilio Tridentino, Sess. 6. cap. 1. *Sicut*, inquit, *reverà homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cùm ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur; propriam injustitiam contrahant.*

Nec dicas, per semen intelligi posse carnem, aut sanguinem, juxta illud Apostoli, Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem:* Hæc enim Concili verba, *cùm ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur*, non sinunt aliud intelligi per semen, quàm seminalem rationem. Christus quippe factus ex semine David & Adam secundùm carnem, dici nequit conceptus sive per Davidem, sive per Adam.

Dices: Sola anima est subjectum peccati; semen autem, utpotè corporeum, non attingit animam

nimam, quæ, cùm ſit ſpiritalis, non producitur generatione, ſed à Deo immediatè creatur.

R. Etſi anima non traducatur ex carne, nihilominus vi generationis producitur natura humana, veréque dicitur homo generare hominem, quatenus virtute ſeminis eas diſpoſitiones in materiam inducit, quas infallibiliter anima conſequitur. Porrò natura humana, quæ ſic producitur, infecta eſt in Adamo, communicaturque cum peccato. Nec aliud vult S. Auguſtinus, cap. 4. Lib. 5. contra Julianum, ubi dicit: *Alterum in altero* (hoc eſt animo in corpore) *tanquam in vaſe vitiato corrumpitur, ubi occulta juſtitia divinæ Legis includitur.* Senſus enim eſt animam non pollui, quatenus creatur à Deo, ſed quatenus conjungitur cum carne ex Adamo tracta; tunc enim efficitur pars hominis, qui in Adamo peccavit: conjungitur autem anima virtute ſeminis diſponentis corpus ad animam rationalem.

Nec propterea fingas cum Gregorio Ariminenſi qualitatem quandam morbidam ex ſibilo venenoſo ſerpentis derivatam, propter quam Adamus peccator generet peccatorum, ſicut in ſemine leproſi eſt quædam realis corruptio, propter quam generat leproſum: tum quia ſerpens non eſt allocutus Adamum, ſed Evam: tum quia phyſica illa qualitas per tot ſæcula permanſiſſet ſine ſpeciali Dei concurſu, ad quem nefas eſt recurrere; Deus enim nec auctor nec fautor eſt peccati. Corruptio igitur, & infectio eſt in ſemine moralis quidam defectus, quemadmodum ſi ſtatus innocentiæ permanſiſſet, virtus tranſmittendi juſtitiam originalem fuiſſet quiddam morale in ſemine.

Inſtabis:

Inſtabis: Concupiſcentia, ſeu ardor libidinis, eſt cauſa propagationis peccati originalis, atqui concupiſcentia non eſt quid morale, ſed phyſicum.

Major probatur ex S. Auguſtino: ſic enim habet Lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 9. *Ille, in quo omnes moriuntur . . . . . occulta tabe carnalis concupiſcentiæ ſuæ tabificavit in ſe omnes de ſua ſtirpe venientes.* Et Lib. 1. de Nupt. cap. 24. *Ex hac concupiſcentia carnis quæcumque naſcitur proles originali eſt obligata peccato.* Atque inde includit Lib. 5. contra Julianum cap. 9. Conceptionem Chriſti Domini fuiſſe ſine peccato; quia nullus fuit motus concupiſcentiæ: *Quod attinet*, inquit, *ad peccati originalis in omnes homines tranſitum, quoniam per concupiſcentiam carnis tranſit, tranſire in eam carnem non potuit, quam non per illam Virgo concepit.*

Nego major. 1. Quia homo in puris naturalibus conditus non generaret ſine ardore libidinis, & motu concupiſcentiæ, neque tamen peccatum tranſmitteret: contra verò qui ex poſteris Adæ ſingulari Dei privilegio Filios abſque ſenſu libidinis procrearet, nihilominus peccatum tranſfunderet: ergo libido, ſeu concupiſcentia, tanquam morbida qualitas generantium, non eſt vera, & actualis cauſa peccati originalis. 2. Quia ideò parvuli præciſè contrahunt peccatum, quia naſcuntur ex Adamò, in quo omnes peccaverunt, & natura humana vitiata eſt. Signum autem hujuſce vitii eſt concupiſcentia, ſine qua ne ſanctiſſimi quidem conjuges generare ſolent.

Unde ſanctus Auguſtinus ex uno alterum certò concludit ſuppoſito hocce rerum ſtatu. Cùm ergo conceptio Chriſti Domini fuerit ſine ullo

conc*u*

concupiſcentiæ motu, S. Doctor colligit fuiſſe quoque ſine peccato.

Vera itaque & propria ratio, cur Chriſtus Dominus non peccaverit in Adamo, nec ab eo peccatum in ſua conceptione traxerit, ea eſt, quòd in Adamo fuerit materialiter duntaxat; quemadmodum ipſe Adamus fuit in limo, ex quo formatus eſt, & Eva in coſta Adami, ex quo educta eſt. Ita S. Anſelmus Lib. de Conceptu Virginis cap. 23. in quo ſic habet: *In illa* (Maria) *nec voluntas creaturæ prolem ſeminavit, nec natura germinavit, ſed Spiritus Sanctus, & virtus Altiſſimi de Virgine muliere virum mirabiliter procreavit. Valdè itaque diverſo modo Chriſtus erat in Adam, quando peccavit, quàm erant alii, qui voluntario & naturali curſu procreantur. Iſtos quodammodo facit Adam, quos per acceptam poteſtatem humana voluntas ſeminando, & natura germinando procreavit. Iſtum verò nonniſi Deus fecit, quamvis de Adam; quia non per Adam, ſed per ſe velut de ſuo.*

Urgebis: idem ſanctus Anſelmus cap. 7. ejuſdem Libri de Conceptu Virginis, ait: *Non magis eſt in ſemine culpa, quàm in ſputo, vel ſanguine, ſi quis mala voluntate expuit, aut de ſanguine ſuo aliquid emittit. Non enim ſputum aut ſanguis, ſed mala voluntas arguitur:* Ergo peccatum originale non traducitur per viam ſeminalem.

Diſtinguo anteced. Non magis eſt culpa formaliter in ſemine, quàm in ſputo vel ſanguine, Concedo: Virtualiter, & inſtrumentaliter, Nego anteced.

Diſtinguo ſimiliter conſequens: Peccatum originale non traducitur per viam ſeminalem, tanquam per cauſam principem, Concedo: Tanquam

quam per inſtrumentum, per quod communicatur natura humana infecta ex mala voluntate primi parentis, in quo omnes eramus. Nego conſequens.

Duo itaque docet ſanctus Anſelmus, nempe peccatum traduci per aliquid corporeum vitaliter ſeminatum, & nihilominus corporeum illud non eſſe formaliter malum, nec peccatum in eo habere ſemen, ſed in voluntate: *Patet igitur*, inquit, *quomodo & in infantibus non ſtatim ab ipſa conceptione* (ſcilicet inchoata, & nondum perfecta) *non ſit peccatum, quia nondum eſt anima, ſeu voluntas; & vera ſint, quæ de Divina Scriptura oppoſui, quippe non eſt in illis* (nondum animatis) *peccatum; quia non habent* (ſine qua non ineſt peccatum) *voluntatem: & tamen dicitur ineſſe; quoniam in ſemine trahunt peccandi* (*cùm homines jam erunt*) *neceſſitatem.*

§ VI.

Utrùm peccatum primi parentis tranſeat ad omnes ſine exceptione homines, qui via ordinaria ex ipſo naſcuntur.

R. 1. Deus poteſt ſpeciali privilegio aliquem eximere ab hac communi lege; quia quamvis ſtatutum ſit omnibus ſemel mori, doceatque Apoſtolus Rom. 6. mortem ab Adamo in omnes homines pertranſiiſſe, liberum eſt tamen Deo, ſtante illa lege, quempiam à morte ſervare; quidni ſimiliter & à peccato? ſed difficultas eſt utrùm de facto aliquem tanto privilegio donaverit.

R. 2. Temerarium eſt id de aliquo aſſerere, niſi faveat, vel Scriptura, vel Traditio, & Eccleſiæ

clesiæ auctoritas; cùm enim Scriptura universaliter affirmet omnes in Adamo peccasse, Roman. cap. 5. non licet privato quemquam excipere, nisi Ecclesia cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum, ejusmodi exceptioni faveat, eamque tanquam piam propugnari permittat: *Ego*, inquit sanctus Bernardus Epist. 174. *quod ab illa* (Ecclesia) *accepi, securus & teneo, & trado: quod non, scrupulosius, fateor, admiserim.*

R. 3. Ecclesia hactenus non definivit, an excipienda sit beata Virgo, fueritque concepta sine peccato.

Probatur 1. auctoritate Gregorii XV. in Epist. ad Regem Hispaniæ, qui urgebat ejusmodi definitionem: *Cùm nondum*, inquit summus Pontifex, *æterna sapientia Ecclesiæ suæ tanti mysterii penetralia patefecerit, in Dei, Romanorumque Pontificum auctoritate debent fideles populi conquiescere.* 2. Sixtus IV. in sua Bulla, quæ incipit, *Grave nimis*, & confirmata est à Concilio Tridentino Sess. 5. liberam cuique facultatem reliquit tenendi partem affirmantem, vel negantem, prout, vel magis pium, vel magis probabile judicaverit. Idem docent Pius V. in Bulla edita anno 1570. Paulus V. anno 1616. & Gregorius XV. anno 1622.

Advertes autem circa prædictas Bullas & Constitutiones, quòd cùm dissensiones & discordiæ circa Conceptionem B. Mariæ Virginis Ecclesiam turbarent, graviaque scandala excitarent, Sixtus IV. primò prohibuit sub pœna excommunicationis, ne quis crimen hæreseos impingeret asserentibus immaculatam B. Virginis Conceptionem. Deinde Pius V. prohibuit sub pœna suspensionis, ne publicè, ubi promiscua virorum & mulierum multi-

multitudo convenire ſolet, ſententia negans Immaculatam Conceptionem propugnaretur: id tamen permiſit in publicis Academiæ Diſputationibus, ubi nulla ſubeſt ſcandali occaſio. Idipſum poſteà præſcripſit Paulus V. Sed cùm ex ejuſmodi Diſputationibus pax turbaretur, tandem Gregorius XV. prohibuit ſub ejuſdem pœnis, ne in Scholis & privatis Colloquiis quiſquam auderet aſſerere B. Virginem in peccato fuiſſe conceptam: *Niſi*, inquit, *aliquibus fuerit ſpecialiter indultum.* Cavent autem omnes illi Pontifices, ne quis ex prædictis Bullis & Conſtitutionibus colligat contrariam ſententiam ab iis eſſe damnatam, aut improbatam.

R. 4. Abſque ulla temeritatis nota licet tenere, beatam Dei Genitricem ex ſpeciali Dei privilegio ſine peccato originali fuiſſe conceptam.

Probatur. Eatenus illa opinio videri poſſet temeraria quatenus ſine fundamento B. Virginem exciperet à regula fidei, quam tradit Apoſtolus Rom. 5. ubi univerſaliter affirmat omnes in Adamo peccaſſe: atqui hæc exceptio non eſt ſine fundamento: ergo opinio, quæ aſſerit beatam Virginem ſine peccato originali fuiſſe conceptam, non eſt temeraria.

Minor probatur 1. ex Concilio Tridentino Seſſ. 5. ubi expreſſè excipit beatam Virginem ab illa generali regula. Poſtquam enim ex Apoſtolo definiit Can. 2. omnes in Adamo peccaſſe, iſta ſubjicit ad calcem Canonis 5. *Declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones felicis recordationis Sixti Pa-*

pæ IV. ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innovat.

Probatur 2. ex ſancto Auguſtino, qui Lib. de Natura & Gratia, cap. 36. ſic habet: *Excepta ſancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.*

Nec dicas, S. Auguſtinum agere duntaxat de peccato actuali. Namque 1. nullam vult habere quæſtionem de beata Virgine, ubi de peccatis agitur. Hæc autem exceptio eſt generalis. 2. Sanctus Doctor B. Virginem excipit propter honorem Domini: atqui honor Domini non minùs poſtulare videtur, ut Mater ejus fuerit immunis à peccato originali, quàm ab actuali etiam veniali. 3. In mente ſancti Auguſtini non minùs eſt univerſalis hæc peccandi formula: *Dimitte nobis debita noſtra*, quàm iſta fidei regula, *ecce in iniquitatibus conceptus ſum:* Atqui S. Auguſtinus non vult aſſerere illam precandi formulam B. Virgini fuiſſe præſcriptam: ergo in ejus mente fidei regula peccatum originale ſpectans, pati poteſt aliquam exceptionem. Denique idem S. Doctor ex peccato originali colligit illam impotentiam moralem, quæ ineſt in ſingulis, vitandi omnia & ſingula peccata venialia: ergo cùm concedat eam gratiam beatæ Virgini collatam, qua omni ex parte vinceret peccatum actuale, ſupponit ſimilem ei negatam non fuiſſe, qua vitaret peccatum originale: *Propterea*, inquit Lib. 5. contra Julianum cap. 9. *nullus eſt hominum præter ipſum* (Chriſtum) *qui peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu; quia nullus eſt homi-*

hominum præter ipsum, qui peccata non habuerit infantilis ætatis exortu. In priori comparationis membro non continetur beata Virgo, ut profitetur S. Augustinus cit. Lib. de Natura & Gratia. Ergo nec in posteriori.

Dices: De fide est, B. Virginem fuisse per Christum redemptam; ait enim Apostolus Roman. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ:* Atqui si beata Virgo non contraxit peccatum originale, non fuit per Christum redempta; quia, ut ait Zozimus Summus Pontifex, quem S. Augustinus laudat Epist. 191. aliàs 157. *nullus, nisi qui peccati servus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit ante captivus:* Christus enim non venit vocare justos, sed peccatores: Ergo. Ut solvatur hæc difficultas,

Nota tribus modis posse dici aliquem in Adamo peccasse; 1. Quatenus erat in lumbis Adæ secundùm rationem seminalem, quando transgressus est legem. 2. Quatenus in prima conceptione, priusquam anima rationalis infunderetur, vi generationis suæ fuit peccato obnoxius, utpotè via ordinaria seminatus. 3. Quatenus conceptione jam perfecta, accepit animam rationalem justitia originali nudatam, & à Deo aversam. His præsuppositis,

Distinguo minor. Si non contraxit neque primo, neque secundo modo, Concedo: Si non contraxit tertio modo, Nego minorem. Porrò beata Virgo primo & secundo modo peccavit in Adamo, sed à Christo Domino redempta est, quatenus anima ejus in primo suæ creationis instanti

fuit ornata gratia ſanctificante, & ita à peccati macula liberata, quam quidem actu & de facto non incurrit, ſed quam incurriſſet, niſi gratia Dei per merita Chriſti fuiſſet præventa. Redempta eſt igitur, *quemadmodum*, inquit S. Auguſtinus in Pſalm. 85. *ſi Medicus videat tibi imminentem ægritudinem fortè ex aliquo labore, & dicat, parce tibi, requieſce: rectè dicis Medico, liberaſti me ab ægritudine, non in qua jam eras, ſed in qua futurus eras. Neſcio quis habens cauſam moleſtam, mittendus erat in carcerem; venit alius, defendit eum. Gratias agens, quid dicit? Eruiſti animam meam de carcere. Suſpendendus erat debitor; ſolutum eſt pro eo, liberatus dicitur de ſuſpendio.* Similiter beata Virgo in Adamo contraxit debitum; voluntas ejus, ſicut cæterorum hominum, continebatur in voluntate Adami vi conceptionis ſuæ, quæ fuit per viam ſeminalem, contractura erat peccatum; ſed per Chriſti merita actu & de facto non contraxit; quia in primo inſtanti unionis animæ cum corpore jam organizato ſanctificata eſt. Hoc modo ſolve omnes textus, tum Scripturæ, tum SS. Patrum, in quibus definitur omnes in peccato conceptos, ſolo Chriſto Domino excepto; ſolus enim Chriſtus nec primo, nec ſecundo modo peccavit.

Non deſunt Theologi, qui doceant B. Virginem ne primo quidem aut ſecundo modo peccaviſſe, exiſtimantes legem ita datam fuiſſe primo parenti pro ſe, & poſteris ejus, ut ab illa exciperetur B. Virgo per merita Chriſti futura: ex quo ſequitur eam in conceptione nequidem habuiſſe debitum contrahendi peccati.

Verùm hæc ſententia, quæ pauciſſimorum eſt, ſtare non poteſt; quia ſi beata Virgo prædeſtina-

ta eſt ſancta ante prævifum Adæ peccatum, per Chriſtum non fuit redempta; cùm decretum Incarnationis præſupponat Adæ peccatum, quemadmodum probavimus Tractatu de Incarnatione. 2. Quia hæc ſententia nulla fulcitur auctoritate; quæ enim ex libera Dei voluntate pendent, ea non ex humana ratione, & quibuſdam convenientiis penſanda ſunt, & determinanda; ſed ex Eccleſiæ auctoritate, cujus eſt explanare, quæ à Deo revelata fuere, ſive in Scriptura, ſive in Traditione: *Periculoſè præſumimus*, inquit ſanctus Bernardus, Epiſt. 174. *quidquid ipſorum* (Patrum) *in talibus prudentia præterivit.* Enimverò periculoſum eſt ratione humana definire, quæ decora & inſignia Deus B. Virgini conferre debuerit, ut dignum Filii ſui habitaculum effici mereretur, quia ſi Deus altiori conſilio fortè ea non contulerit, quæ debita judicaverimus, jam invenimur Divinæ Sapientiæ cenſores, quaſi defecerit in ſuis conſiliis: ergo in iis ante omnia conſulenda eſt auctoritas, per quam Dei conſilia nobis innoteſcunt: atqui nihil extat in Scriptura aut in Traditione, unde fulciri poſſit illa opinio: Ergo. 3. Quia non modò huic opinioni non favet Patrum authoritas, quin ei omnes una voce contradicunt. S. Irenæus Lib. 5. *Plaga ſerpentis*, inquit, *omnes homines ſunt vulnerati, ſed per crucem Chriſti, qui ſolus ſine peccato venit in ſimilitudinem carnis peccati*, &c. S. Hilarius à S. Auguſtino laudatus Lib. 2. contra Julianum cap. 4. ait: *Omnis caro, excepta illa quæ ſine peccato venit in ſimilitudinem carnis peccati, ſub peccati origine, & ſub peccati lege nata eſt.* Sanctus Hieronymus Dialogo 2. contra Pelagian. *Abſque omni peccato eſſe*, inquit, *ſoli Chriſto competit, omniſque humana*

creatura peccato subjacet. S. Ambrosius in Isaiam: *Nemo sine peccato, nisi unus solus Deus. Servatum est igitur, ut ex viro & muliere, per illam corporum mixtionem nemo conceptus expers sit delicti: qui autem expers est delicti, expers est & ejusmodi conceptionis.* S. Augustinus in Psal. 34. sic de Christo scribit: *Inde carnem assumpsit de massa ipsa, quæ mortem meruerat ex peccato. Etenim, ut celeriùs dicam, Maria ex Adam mortua propter peccatum.* Et Lib. 2. de Peccat. mer. c. 24. *Solus ergo ille etiam homo factus, manens Deus; peccatum nullum habuit unquam, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati.* Et Lib. 5. de Nupt. cap. 12. docet carnem omnem, *quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati; quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.* S. Fulgentius Lib. de Incarnatione & Gratia cap. 6. *Caro quippe Mariæ*, inquit, *quæ in iniquitatibus fuerat concepta, caro fuit utique peccati, quæ Filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati.* Petrus Damiani, Opusc. 6. cap. 19. sic habet. Ex ipsa Carne Virginis, *quæ de peccato concepta est, caro* (Christi) *sine peccato prodiit.* Ergo ex constanti Patrum Traditione, Beata Virgo peccatum originale aliquo modo contraxit, si non actu, saltem debito. Quæstio jam superest, utrùm actu non contraxerit. Cui ut fiat satis,

R. 5. Beata Virgo peccatum originale actu non contraxit.

Probatur 1. Ex Concilio Basileensi, quod Sess. 36. de Conceptione Beatæ Virginis sic statuit anno 1439. *Doctrinam illam differentem gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam præveniente & operante Divini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa, sanctamque & immaculatam,*

tanquam

tanquam piam, & consonam Cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam, tenendam, & amplexandam definimus, & declaramus, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare, & docere.

Tria autem advertes circa hoc Decretum. Primum, Concilium non definiit doctrinam illam esse de fide, sed fidei consonam, & piam. Secundum, hæc definitio non habet auctoritatem Concilii Oecumenici; divisi enim erant tunc Episcopi, & magna eorum pars Florentiam convenerat ad Eugenium IV. Summum Pontificem, qui totis viribus Concilio Basileensi se opponebat, & aliud Florentiæ celebrabat, quod dicitur Florentinum Generale XVII. Tertium, definitio illa maximi est ponderis: tum quia in Basileensi Concilio aderant viri non pauci, eruditione conspicui: tum quia Academia Parisiensis statim amplexa est doctrinam ea definitione contentam, atque ad eam tenendam suos alumnos solemni juramento hactenus astrinxit: tum denique quia ejusmodi definitio nedum à Summis Pontificibus, & à subsequentibus Conciliis fuerit reprobata, quin solemniter confirmata. Unde

Probatur 2. Auctoritate Summorum Pontificum. Sixtus IV. Constitutionem emisit an. 1483. in qua prohibet sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis hæreseos damnet asserentes Conceptionem Beatæ Virginis fuisse immaculatam. Pius V. Paulus V. & Gregorius XV. in suis Bullis supra laudatis sententiæ oppositæ Patronis silentium imponunt, nostramque duntaxat publicè propugnari permittunt juxta Decretum Basileense. Alexander VI. approbavit, nemine reclaman-

clamante, Ordinem institutum in honorem Immaculatæ Conceptionis B. Virginis. Sed quod gravius est, Concilium Tridentinum Seff. 5. supra laudata sanxit observandas esse Constitutiones Sixti IV. quas & innovat.

Nec dicas, ascititiam esse ejusmodi declarationem, cùm non habeatur in editionibus sex primarum Sessionum excusis Lutetiæ ann. 1546. & 1551. Nam reperitur in editione, quæ Romæ facta est anno 1564. statim post absolutum Concilium, & ita ubique terrarum promulgatum est Concilium, nullis reclamantibus, etiam ex iis, qui Concilio interfuerant: quin & Calvinus hanc eandem declarationem, ut genuinum Concilii fœtum impugnat in suo Antidoto circa annum 1547.

Confirmatur. Ecclesia celebrat solemne Festum Conceptionis: Græca quidem ante mille annos, Latina verò ante quingentos. Quamvis enim dici possit Festum illud fuisse institutum in gratiarum actionem, quòd Deus per hujus Virginis Conceptionem viam paret ad promissa complenda: quo sensu conceptio Beati Joannis Baptistæ olim fuit festiva; maximè cùm Gregorius XV. in sua Constitutione caveat, ne in officio illius Festi voci Conceptionis quidquam addatur, quale posset esse nomen adjectivum, *immaculata*; negari tamen non potest, quin Festum illud maximè faveat sententiæ affirmanti. Quin S. Bernardus Epist. 174. scribit, ejusmodi festivitatem esse professionem publicam, B. Virginem sine peccato fuisse conceptam, quod privilegium illi adjudicat; unde totis viribus insurgit in Canonicos Lugdunenses, qui contra antiquum morem Festum illud instituerant, *cùm hæc*, inquit, *ita se habeant* (nempe solum

ſolum conceptum Chriſti, qui eſt de Spiritu Sancto, eſſe ſanctum) *quænam jam erit ratio feſtivæ Conceptionis? quo pacto, inquam, aut ſanctus aſſeretur conceptus, qui de Spiritu Sancto non eſt, ne dicam, de peccato eſt; aut Feſtus habebitur, qui minimè ſanctus eſt? libenter glorioſa hoc honore carebit, quo, vel peccatum honorari, vel falſa videtur induci ſanctitas.*

Mitto miracula, & revelationes, quæ circumferuntur in confirmationem immaculatæ Conceptionis; ad hæc enim reſpondet S. Bernardus laudata Epiſt. *Ipſe mihi facilè perſuadeo ſcriptis talibus non commoveri, quibus nec ratio ſuppeditari, nec certa invenitur favere auctoritas.*

Dices: Novitas doctrinæ eſt mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia levitatis, ex S. Bernardo ibidem: atqui ſententia de Immaculata Conceptione eſt nova in Eccleſia: Ergo.

Minor probatur teſtimonio ſancti Bernardi, qui in præfata Epiſtola ſic carpit Canonicos Lugdunenſes, quòd inducerent opinionem immaculatæ Conceptionis: *Numquid Patribus doctiores, aut devotiores ſumus? periculoſè præſumimus quidquid ipſorum in talibus prudentia præterivit. Non ita præcipitanter atque inconſultè paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum. Ante quidem apud aliquos errorem comperceram; ſed diſſimulabam, parcens devotioni, quæ de ſimplici corde, & amore Virginis veniebat. Verùm apud ſapientes, atque in famoſa nobilique Eccleſia & cujus ſpecialiter filius ſum, ſuperſtitione deprehenſa, neſcio an ſine gravi offenſa, etiam veſtri omnium diſſimulare potuerim.* Hactenus ſanctus Bernardus de iis, qui ipſum præceſſerant, & qui ſua ætate florebant, ut Rupertus, ſanctus Anſelmus, qui cum S. Bernardo ejuſdem fuerunt ſententiæ, ſicut qui eum

 ſubſe-

ſubſecuti ſunt Scholæ principes, Albertus Magnus, Alexander Alenſis, S. Thomas, & S. Bonaventura.

R. 1. Sanctum Bernardum non impugnare noſtram ſententiam tanquam perniciosam, & periculoſam in fide, ſed ſobriè, &, ut ita dicam, ſubdubitanter contra eam ſcribere: ſic enim Epiſtolam ſuam concludit: *Quæ autem dixi, abſque præjudicio ſanè dicta ſint ſaniùs ſapientis. Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati atque examini totum hoc, ſicut, & cætera, quæ ejuſmodi ſunt, univerſa reſervo; ipſius, ſi quid aliter ſapiat, paratus judicio emendare*: ex quibus vides, & quid ſentiret piiſſimus Pater, ſi viveret hoc tempore, quo Eccleſia Romana recipit doctrinam immaculatæ Conceptionis, & quo ſenſu novam dixerit, nimirum quia quæſtio nondum ejus ætate enucleata fuerat. Unde

R. 2. Diſtinguo majorem: novitas doctrinæ eſt nota temeritatis & falſitatis: ſi doctrina, quoad materiam ſit nova, & ab antiqua traditione prorſus aliena, Concedo: ſi ſit nova, quoad explicationem duntaxat, Nego majorem: alioquin omnes ferè definitiones & explicationes Eccleſiæ ſaperent novitatem; multa enim ſucceſſu temporis propter controverſias identidem naſcentes Eccleſia elucidat & definit credenda fide divina, quæ perſpicua non erant in Traditione.

Diſtinguo ſimiliter minorem, Sententia affirmans immaculatam Conceptionem, eſt nova quoad explicationem, hoc eſt, clariùs & expreſſiùs propoſita, Concedo: quoad materiam, Nego minorem. Itaque noſtra ſententia nititur Veterum traditione, nedum ab ea recedat ut ſimpliciter & abſolutè nova dicatur. Nam ex S. Auguſtino

Lib.

Lib. de Nat. & Grat. cap. 36. ſupra laudato Matri Dei plus gratiæ collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum: ex S. Ambroſio in Pſal. 118. integra fuit ab omni labe peccati: ex S. Hieronymo, ſeu quovis alio auctore in Pſal. 77. nunquam fuit in tenebris, ſed ſemper in luce; ex S. Sophronio in Ep ad Sergium; quæ lecta eſt in Concilio generali VI. ab omni contagione corporis & animæ liberata eſt. Quæ momenta licèt intelligi poſſint de peccato actuali, ex iis tamen eruitur immunitas à peccato originali; cùm conſtet tum ex Scriptura, tum ex Patribus, neminem ex iis, qui concepti ſunt in iniquitatibus, eſſe ſine peccato actuali. Nec deſunt ex Antiquis, qui Beatam Virginem expreſſè eximant à labe originali. Sedulius 5. ſæculo de ea cecinit Lib. 3. Paſchalis operis.

Et velut è ſpinis mollis roſa ſurgit acutis,
Nil, quod lædat habens.

S. Joannes Damaſcenus in Oratione 1. de Nativitate B. Mariæ Virginis ſic loquitur: *Natura gratiam antevertere auſa non eſt, ſed tantiſper expectavit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet . . . . o beatos Joachimi lumbos, è quibus immaculatum ſemen effluxit! o præclaram Annæ vulvam, in qua tacitis incrementis formatus fuit ſanctiſſimus fœtus! . . . o ſanctiſſima, quæ Principatus & Poteſtates fefelliſti, immaculata conſervata in Dei ſponſam!* Auctor cognomento Idiota, cap. 2. in contemplatione Beatæ Mariæ ſcripſit initio octavi ſæculi B. Virginem totam pulchram eſſe, non in parte, ſed in toto, & maculam peccati in ea non extitiſſe, ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis. In Libro de Operibus Cardina-

dinalibus inter opera S. Cypriani, Mater Dei dicitur à cæteris differre, *quia natura communicabat, non culpa.* Ad textus verò, in quibus antiqui Patres asserunt carnem Mariæ fuisse carnem peccati, solumque Christum non sustinuisse contagia humanæ originis, jam respondimus, inde erui duntaxat Beatam Virginem contraxisse debitum peccati originalis, & carnem ejus fuisse carnem peccati, quatenus nimirum non sine libidine formata est tanquam vas vitiatum quod ejus animam infecisset, nisi Deus eam prævenisset in benedictionibus, infundens gratiam simul & sanctitatem cum anima rationali. Atque hoc sensu S. Bernardum scripsisse ad Canonicos Lugdunenses, contendunt nonnulli, ut Bellarminus Lib. 4. de Amissione Gratiæ cap. 16. & Mabillonius in Notis ad S. Bernardi Epistolam; nempe piissimum Patrem, voluisse duntaxat Beatæ Virginis Conceptionem in suis primordiis, & ante infusionem animæ rationalis fuisse vitiatam; non verò in ipso termino, hoc est, in ipsa infusione animæ rationalis. Verùm, nec verba, nec scopus Epistolæ patiuntur benignam ejusmodi interpretationem. Non verba, ut legentibus satis patet: non etiam scopus. S. quippe Bernardus probare intendit contra Canonicos Lugdunenses Conceptionem Beatæ Virginis non esse veneratione aut ullo cultu dignam, ex eo quod non sit sancta; *quo pacto*, inquit, *sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu Sancto non est, ne dicam, de peccato est; aut festus habebitur, qui minimè sanctus est?* atqui ejusmodi ratio nullius esset ponderis in hypothesi, quòd anima non fuerit infusa sine gratia sanctificante; in promptu enim fuisset Canonicorum excusatio, se non celebrare immun-

immundam ſeminationem, in qua nondum erat B. Virgo, ſed ſanctificationem, à qua cœpit exiſtere.

Nec mirum, quòd S. Bernardùs, alioquin in laudes Beatæ Mariæ Virginis profuſus, hunc ei honorem non detulerit, ſicut & plerique Scholæ Principes, qui eum proximè ſecuti ſunt; traditio enim in hac parte adeò obſcurè fluit, ut ipſe Gregorius XV. Philippo III. Regi Hiſpaniarum urgenti Eccleſiæ definitionem ſcripſerit, æternam ſapientiam nondum Eccleſiæ ſuæ tanti Myſterii penetralia patefeciſſe, & cuilibet liberum eſſe ſentire ſub religioſo ſilentio quod veriſimilius judicaret.

Nihilominus noſtra ſententia ita obtinuit à quadringentis annis, hoc eſt, ab ineunte decimo quarto ſæculo, quo Scotus in tertium Sent. diſt. 3. q. 1. eam probabilem aſſeruit, ut anno 1385. Academia Pariſienſis hancce propoſitionem Joannis de Monteſono Dominicani, *eſt expreſſè contra fidem, Beatam Virginem Mariam, & Dei Genitricem non contraxiſſe peccatum originale*, ſua cenſura notaverit in hunc modum: *Hæc propoſitio revocanda eſt tanquam falſa, ſcandaloſa, præſumptuoſè aſſerta, & piarum aurium offenſiva.* Cùm autem anno ſequenti Guillelmus Ebroicenſis Epiſcopus, ex familia Dominicanorum propoſitionem Joannis de Monteſono propugnare auſus fuiſſet, agente eadem Academia, compulſus eſt revocare quæ dixerat contra ſacræ Facultatis cenſuram: quæ ulteriùs progreſſa anno 1497. ſtatuit, neminem deinceps ad gradum Doctoralem promovendum, niſi priùs Sacramento ſolemni ad tenendam hanc doctrinam ſe obſtrinxiſſet. Idipſum poſtea præſtiterunt

Acade-

Academiæ Colonienſis, & Moguntina in Germania: Salmanticenſis, Toletana, Complutenſis, & plures aliæ in Hiſpania. Quin & plures viri celebres ex familia Dominicanorum, ut Natalis Herværus Magiſter Generalis decimo quarto ſæculo, S. Vincentius Ferrerius Serm. 1. de Nativitate, Dominicus Soto, Ambroſius Catharinus, & plures alii eandem ſententiam amplexi ſunt: ſicque evaſit communis.

Dices: mors eſt pœna peccati originalis, dicente Apoſtolo Rom. 5. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors:* atqui Beata Virgo mortem ſubiit: ergo Beata Virgo incurrit pœnam peccati: atqui omnis pœna neceſſariò ſupponit peccatum: ergo Beata Virgo contraxit peccatum originale.

Diſtinguo majorem: mors eſt pœna peccati originalis, vel actu, vel quoad debitum contracti, Concedo: actu & de facto contracti, Nego majorem.

Porrò Beata Virgo ex dictis contraxit debitum peccati originalis.

Inſtabis: ſublata cauſa tollitur effectus: atqui peccatum originale eſt cauſa mortis: ergo ſublato peccato originali tollitur moriendi neceſſitas, ut quæ ſit peccati originalis effectus.

Diſtinguo minorem: cauſa mortis eſt peccatum originale; vel in actu, vel in debito, Concedo: in actu, Nego minorem. Quanquam illud axioma non eſt univerſaliter verum; ſunt enim effectus, qui cùm non indigeant continuo cauſæ influxu, permanent etiam ſublata cauſa, domus enim ſtat defuncto artifice; qui percuſſus & mutilatus eſt à latrone, ipſo morte mulctato, manet mutilus.

mutilus. Unde absurdum non est, quòd & parvulus deleto per Baptismum peccato originali, sit in naturalibus vulneratus, & B. Virgo licèt in Conceptione immaculata, sit morti obnoxia propter debitum peccati, quod in Adamo contraxerat.

Nec est cur Catholicus hìc timeat Hæreticorum dentem; cùm Zwinglius Lib. de Bapt. & Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini & Lib. 4. Instit. cap. 16. 24. & 25. doceant, filios fidelium esse Sanctos ante Baptismum, nec eis imputari peccatum originale; nam Beata Virgo orta est ex fidelibus & sanctissimis parentibus, ac proinde in Adversariorum principiis non contraxit in sua Conceptione labem peccati originalis. Verùm quàm falso nitantur principio, demonstramus Tractatu de Baptismo, ubi de ejus necessitate.

§. VII.

De Pœnis Peccati originalis.

Q. 1. *Quænam sunt pœnæ peccati originalis?* R. Aliæ spectant corpus, aliæ animam, aliæ mortalem hanc vitam, aliæ futuram.

Q. 2. *Quæ sunt pœnæ corporis in hac vita?*

R. Mors & aliæ miseriæ, ut morbi, &c. Est de fide, sic enim definiit Concilium Tridentinum Sess. 5. his verbis: *Si quis non confitetur primum hominem ..... incurrisse ...... per offensam prævaricationis mortem .... quam antea illi comminatus fuerat Deus .... anathema sit.* Præiverat Concilium Arausicanum II. Can. 2.

Proba-

Probatur 1. ex Scriptura Sap. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum, invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* De aliis miſeriis habetur Eccli. 40. *Jugum grave ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ.* Per jugum autem intelliguntur omnes ærumnæ, ut morbi, aeris intemperies, ſterilitas terræ, de quibus Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes . . . ſpinas & tribulos germinabit tibi.*

Probatur 2. ex S. Aug. Lib. de Peccat. merit. c. 2. *Si non peccaſſet Adam*, inquit, *non erat expoliandus corpore, ſed ſuperveſtiendus immortalitate & incorruptione.* Et Lib. 4. contra Julianum c. ult. *Quid igitur reſtat, niſi ut cauſa iſtorum malorum ſit aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut pœna primi veteriſque peccati? ſed quia nec injuſtus, nec impotens eſt Deus, reſtat quod non vis, ſed cogeris confiteri, quod grave jugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium, non fuiſſet, niſi delicti originalis meritum præceſſiſſet.*

Dices: habetur Gen. 2. Deum poſuiſſe hominem in Paradiſo, ut operaretur: ergo homo terram coluiſſet, etiamſi peccatum non præceſſiſſet.

Diſtinguo conſequens: Coluiſſet honeſta animi voluptate, & in oblectationem, Concedo: coluiſſet cum labore, & ex neceſſitate vitæ ſuſtentandæ, Nego conſequentiam.

Q. 3. *Quæ ſunt animæ pœnæ in hac vita?*

R. Cum Gloſſa, quæ Venerabili Bedæ tribuitur: homo ſpoliatus eſt gratuitis, & vulneratus in naturalibus, juxta parabolam, in qua Chriſtus

Luc.

Luc. 10. exhibet hominem, qui descendens à Jerusalem in Jericho incidit in latrones, qui spoliaverunt illum, & plagis impositis abierunt semivivo relicto.

Constat apud omnes Catholicos, sequiturque ex dictis, hominem per peccatum originale spoliatum fuisse supernaturalibus & gratuitis donis, quæ complectebatur justitia originalis, scilicèt gratia sanctificante, & omnibus virtutibus infusis, scientia, sapientia, fide, prudentia, charitate, quibus perficiebatur ejus intellectus & voluntas, obedientia partis inferioris ad superiorem, & membrorum corporis ad nutum voluntatis. Sed nonnulli negant contra communem Theologorum doctrinam, hominem fuisse vulneratum in naturalibus, contenduntque eum nasci in eo statu, in quo nasceretur, si conditus esset in puris naturalibus. Contra quos

Probatur nostræ responsionis secunda pars, 1. ex S. Augustino Lib. de Nat. & Grat. cap. 19. *Videte, quæso*, inquit, *quomodo nesciens*, (Pelagius) *nitatur evertere medicinalium eloquiorum voces saluberrimas, ego dixi: Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum, atque vitiatum?* Et Lib. 22. de Civit. Dei cap. 22. *Omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, hæc ipsa vita, si vita dicenda est, tot & tantis malis plena testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit? Quid amor ipse tot rerum vanarum, atque noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores?*

Quis ignorat cum quanta ignorantia veritatis, quæ etiam infantibus manifesta est, & cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ incipit in pueris apparere, homo veniat in hanc vitam, ita ut si dimittatur vivere ut velit, & facere quidquid velit, in hæc facinora & flagitia, quæ commemoravi, vel cuncta, vel multa perveniat? Quid est, quòd cum labore meminimus, sine labore obliviscimur? cum labore discimus, sine labore nescimus: cum labore strenui, sine labore inertes sumus. Nonne hinc apparet in quid velut pondere suo proclivis & prona sit vitiosa natura, & quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat?

Probatur 2. ex S. Thoma 1. 2. quæst. 85. art. 3. supra laudato, in quo probat quatuor vulnera per peccatum naturæ humanæ fuisse inflicta, nempe ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, infirmitatem in appetitu irascibili, & concupiscentiam in concupiscibili.

Dices: peccatum originale est privatio & defectus, atqui privatio non potest producere effectum positivum, quale est vulnus. Ergo

Distinguo minorem: privatio non potest producere effectum positivum positivè influendo, Concedo: negativè, & quatenus est subtractio boni necessarii, quam sequitur naturæ corruptio, quemadmodum subtractio alimentorum solvit laudabilem habitudinem corporis, & inducit mortem, Nego minorem; ita S. Augustinus Lib. de Nat. & Grat. cap. 2. *Nec existimemus*, inquit, *peccato naturam humanam non posse vitiari, sed divinis credentes Scripturis, peccato èam esse vitiatam, quomodo fieri id potuerit, inquiramus. Quoniam peccatum jam didicimus non esse substantiam, nonne attenditur, ut alia omittam, etiam non manducare, non esse substan-*

ſtantiam? à ſubſtantia quippe receditur, quoniam cibus ſubſtantia eſt. Sed abſtinere à cibo non eſt ſubſtantia, & tamen ſubſtantia corporis, ſi omnino abſtinetur à cibo, ita langueſcit, ita valetudinis inæqualitate corrumpitur . . . . . . ut ſi aliquo modo perduret in vita, vix poſſit ad eum cibum revocari, unde abſtinendo vitiata eſt. Sic non eſt ſubſtantia peccatum, ſed ſubſtantia eſt Deus, ſummaque ſubſtantia, & ſolus verus rationalis creaturæ cibus, à quo per inobedientiam recedendo, & per infirmitatem non valendo capere, quo debuit & gaudere, audis quemadmodum dicam, percuſſum eſt ſicut fœnum, & aruit cor meum, quoniam oblitus ſum comedere panem meum.

Inſtabis: atqui illud vitium naturæ eſt ipſamet ſpoliatio juſtitiæ originalis, & donorum ſupernaturalium: Ergo nulla ſolutio.

Probatur antecedens, 1. quia ſicut tenebræ nihil aliud ſunt, quàm privatio lucis; ita nec ignorantia aut mentis cæcitas aliud concipitur, quàm ſubtractio ſapientiæ & intelligentiæ. 2. Quia fingi non poteſt animam rationalem vulnerari ſive in ſua ſubſtantia, ſive in ſuis potentiis naturalibus: niſi quatenus intelligeretur deperdere aliquid pertinens ad ſuam integritatem, quemadmodum vulneratur tibia, ſi os frangatur: vel recipere qualitatem pravam poſitivè eam ad malum inclinantem, qualis poteſt eſſe habitus erroris, & vitii, vel denique amittere aliquam perfectionem extrinſecùs ei ſuperadditam: atqui anima rationalis 1. modo vulnerari nequit: ſubſtantia enim eſt ſpiritalis, ſimplex, nec compoſita ex partibus integrantibus, nec potentiæ ipſi congenitæ ſuſcipiunt majus aut minus. Unde auctor de divinis nominibus c. 4. ſcribit naturalia in Dæmonibus manere integra. Neque etiam 2.

quis enim esset auctor illius qualitatis pravæ, nisi Deus, qui intentator malorum est? Epist. Jacobi cap. 1. Restat ergo, ut dicamus animam vulneratam esse 3. modo, quatenus nudata est gratuitis donis.

Confirmatur. Homo sine peccato conditus in puris naturalibus, hoc ipso, quo careret omnibus donis gratuitis, pateretur tenebras ignorantiæ & inordinatos motus concupiscentiæ, gereretque corpus mortale, & doloribus obnoxium, nec propterea dicendus esset vulneratus in naturalibus donis, cùm haberet quidquid pertinet ad naturæ humanæ constitutionem.

Nego subsumptum, & ad singula quæ proferuntur in ejus confirmationem respondeo.

Ad primum, distinguo propositionem. Ignorantia & mentis cæcitas nihil aliud sunt quàm subtractio luminis, sapientiæ, & intelligentiæ, statui hominis consentaneæ, & necessariæ in ordine ad ultimum finem, ad quem institutus est, Concedo: minimè consentaneæ, nec pertinentis ad ejus statum, Nego propositionem. Non est enim ignorantia & cæcitas, sed mera nescientia, non cognoscere ea, quæ ad statum nostrum non pertinent. Porrò homo sine peccato in puris naturalibus conditus, non haberet quidem notitiam rerum supernaturalium, ut qui ad ea non esset ordinatus; sed eam intelligentiam haberet, unde seipsum posset excolere, in virtute proficere, & ultimum finem adipisci; repugnat enim sapientiæ divinæ, negare creaturæ innocenti media, sine quibus finem, ad quem illam ordinavit, consequi non posset. Deus igitur sicut Angelos instruxit speciebus, sine quibus nequidem objecta

natu-

naturalia cognoſcerent; ita provideret homini in ſtatu naturæ puræ conſtituto, nec concupiſcentia effrænis & impotens obnubilaret mentem, & ſenſum perverteret, ut contingit in ſtatu naturæ corruptæ, *in quo quidam tantæ ſunt fatuitatis*, inquit S. Auguſtinus Epiſt. 166. aliàs 28. *ut non multùm à pecoribus differant.*

Ad ſecundum, reſpondeo cum S. Thoma 1. 2. q. 85. art. 1. duplex eſſe bonum naturæ: primum, ſunt principia naturalia, ex quibus natura ipſa conſtituitur, & proprietates à principiis fluentes, nempe naturales animæ potentiæ. Secundum, eſt inclinatio ad virtutem, quæ dici poteſt bonum naturæ rationalis: quia naturaliter inclinat natura humana ad vivendum ſecundùm rationem, ac proinde ſecundùm virtutem; agere enim ex ratione idem planè eſt ac agere ex virtute. Porrò bonum prioris generis nec tollitur, nec minuitur per peccatum; unde & manet integrum in Dæmonibus. Bonum verò poſterioris generis, nempe inclinatio naturalis ad virtutem, minuitur per peccatum, quatenus Deus in pœnam ſinit cauſas ſecundas ſævire in filios iræ, ſolvere debitam iraſcibilis & concupiſcibilis temperiem, ex quo contingit nonnullos naſci cum indole adeò prava, ut ad bonum vix flecti queant.

Q. 4. *Bonum naturæ poteſtne totaliter auferri per peccatum?*

R. Non poteſt; quia ex S. Thoma qu. 85. art. 2. inclinatio ad virtutem convenit homini, quatenus eſt rationalis. Per peccatum autem non poteſt fieri quòd non ſit rationalis, alioquin non eſſet ampliùs homo, nec proinde capax peccati.

Q. 5. *Quænam eſt pœna peccati originalis in altera vita?*

R. De fide eſt, parvulos ſine Baptiſmo decedentes privari vita æterna, quæ conſiſtit in intuitiva Dei viſione; ita enim definiit Concilium Tridentinum Seſſ. 5. Can. 4. his verbis: *Si quis parvulos . . . . dicit . . . . nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam . . . . anathema ſit.* Præiverat Concilium Florentinum Seſſ. ult. ſtatuens, *illorum animas, qui cum actuali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.*

Probatur 1. ex Scriptura. Joan. 3. ait Chriſtus: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quod autem regnum Dei non ſit quid diſtinctum à vita æterna, quemadmodum fingebant Pelagiani, patet ex contextu ejuſdem capitis, ubi Chriſtus vocat æternam vitam quod priùs dixerat regnum Dei, *ut omnis,* inquit, *qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Rom. 5. *per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Quem locum expendens ſanctus Auguſtinus Lib. 2. de Peccat. meritis capit. 16. ſic ſcribit: *Poteſt rectè dici parvulos ſine Baptiſmo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitiſſima futuros; multùm autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apoſtolo, judicium ex uno delicto in condemnationem.*

Probatur 2. ex variis Conciliis, putà Dioſpolitano, Carthaginenſi, Milevitano, quorum meminit ſanctus Auguſtinus Lib. 2. de Origine Animæ capite 12. *Novellos,* inquit, *hæreticos Pelagianos juſtiſſimè Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apoſtolicæ*

licæ damnavit auctoritas, eò quòd ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis & salutis locum, etiam præter regnum cœlorum.

Q. 6. *Quid Pelagiani intelligebant per vitam æternam?*

R. 1. Pelagius mentem suam non explicuit, ex S. Augustino Lib. de Peccato originali cap. 21. ubi hæc Hæretici verba refert, *sine Baptismo parvuli morientes, quò non eant scio, quò eant nescio*, id est interprete S. Doctore, *non ire in regnum cœlorum, scio; quò verò eant, ideò se nescire dicebat aut dicit, quia dicere non audebat in mortem illos ire perpetuam.*

R. 2. Verisimilius est Pelagianos non intellexisse felicitatem supernaturalem (ut contendunt nonnulli) quæ consistit in clara Dei visione; sed quandam duntaxat naturalem. Probatur 1. quia Pelagiani agnoscebant parvulos non adoptari in filios Dei, nisi per Baptismum: ergo nec fruituros visione Dei intuitiva, quæ est paterna hæreditas, solis filiis promissa, *illo regenerationis lavacro adoptari ex filiis hominum in Dei filios non negatis, imò etiam prædicatis*, inquit S. Augustinus Lib. 1. contra duas Pelagianorum Epistolas, cap. 6. Deinde quia S. Augustinus Lib. de Hæresibus Hæresi 88. docet *Pelagianos parvulis non baptizatis promisisse vitam secundùm quid æternam*: ergo non eis promittebant visionem Dei intuitivam, quæ verè & simpliciter est vita æterna, *promittunt eis*, inquit, *extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam, & quandam beatam vitam suam.*

Q. 7. *Parvuli non baptizati fruunturne aliqua beatitudine naturali?*

Affirmarunt Catharinus & Pighius, quibus se adjunxit Cardinalis Sfondratus, contendentes il-

los parvulos post judicium generale habitaturos super faciem terræ, tanquam in Paradiso terrestri, plenos sapientia & virtutibus moralibus, identidemque fruituros consortio Angelorum; sed communiter rejicitur hæc sententia, utpote quæ accedat ad hæresim Pelagianorum. Quare

R. Fictitia est beatitudo illa naturalis.

Probatur ex S. Augustino Lib. I. de Origine Animæ cap. 9. ubi sic habet: *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem, regnumque cælorum quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet medium locum, hoc enim est hæresis Pelagiana.* Deinde communis est sententia Catholicorum, quam exposuit Concilium Florentinum supra laudatum, parvulos, ante Baptismum decedentes, mox in infernum deduci. Addit S. August. ex constanti traditione Ecclesiæ Lib. 6. contra Jul. cap. 8. eosdem manere sub potestate Diaboli, *hoc ergo*, inquit, *generi humano inflictum vulnus à Diabolo, quidquid per illud nascitur, cogit esse sub Diabolo.* Et Lib. 3. de Nupt. & Concup. c. 18. *Baptizandi parvuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab eis princeps mundi mittatur foras, à quo necesse est vasa iræ possideantur, cùm in Adam nascuntur, si in Christo non renascantur.*

Nec dicant patroni oppositæ sententiæ, post universale judicium parvulos super terram transferendos, quasi de statu miseriæ, ad statum cujusdam felicitatis naturalis. Nam præterquam quod hæc doctrina nulla auctoritate fulcitur, pugnat contra communem Catholicorum sensum; nempe eandem fore sententiam in judicio universali, quæ præcesserit in exitu, seu in judicio particulari; *post diem judicii*, inquit S. Anselmus de Conceptu Virginali capite 22. *nullus erit*

erit Angelus, aut homo, nisi aut in regno Dei, aut in inferno.

Adde quòd post universale judicium omnia elementa suum situm naturalem repetitura sint, sicque aqua, quæ initio mundi terram ambiebat, revertetur ad pristinum locum, à quo recesserat, jubente Deo, ut terra esset commoda habitatio hominum & animalium.

Dices: S. Augustinus Lib. 3. de liber. arbitr. c. 23. sic scribit: *Quis novit, quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonæ compensationis reservet Deus?* Ergo S. Augustinus agnovit possibilem esse medium locum inter regnum cœlorum & damnationem.

Distinguo consequens, in hypothesi Manichæorum, contra quos eo loci disputat, Concedo: in hypothesi Catholicorum, Nego consequentiam. Igitur Manichæi, ut jam monuimus, statuebant duo rerum principia, alterum bonum, alterum malum: ex pœnis autem, quas patiuntur parvuli, & ex præmatura eorum morte inferebant existentiam mali principii. S. verò Augustinus hac ratione eorum argumentationem diluit, nempe Deum optimum maximum propter ejusmodi pœnas temporales & transitorias remunerare posse parvulos in altera vita, ac proinde providentiam ejus in hac parte esse laudandam, nedum vituperandam. Sed nullatenus attingit quæstionem de peccato originali, quia nondum nata erat illa controversia. Ita seipsum explicat Epist. 166. olim 28. ad sanctum Hieronymum. *Nam & de Baptismo parvulorum,* inquit, *in eodem libro non quidem sufficienter, sed quantùm illi operi satis esse videbatur, utcunque respondi . . . non tamen de*

damnatione eorum parvulorum, qui ſine illo (Baptiſmo) *ex hac vita migrant, tunc aliquid dicendum putavi: quia non quod nunc agitur, agebatur.* Cúmque Semipelagiani eundem ipſum Librum contra ſanctum Auguſtinum poſtea urgerent, ſanctus Doctor Lib. de Dono Perſever. capite 12 ſic reſpondet: *Fruſtra itaque mihi de illius Libri mei vetuſtate præſcribitur* . . . . *ſi enim quando Libros de libero arbitrio Laicus cœpi, Presbyter explicavi, adhuc de damnatione infantium non renaſcentium liberatione dubitarem, nemo (ut opinor) eſſet tam injuſtus, atque invidus, qui me proficere probiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi eſſe judicaret.*

Q. 8. *Parvuli afficiunturne aliqua triſtitia, & animi dolore ex privatione viſionis beatificæ?*

Sanctus Thomas in 2. diſt. 83. quæſt. 2. art. 2. ſic denegat beatitudinem parvulis, qui ſine Baptiſmo deceſſerunt, ut velit eos eſſe immunes ab omni triſtitia. *Nihil omnino dolebant*, inquit, *de carentia viſionis beatificæ.* Sed plures ex ejus diſcipulis à Magiſtro ſuo in hac parte recedunt utpote qui adhuc junior hæc ſcripſerit, revocaturuſque fuiſſet ſuam ſententiam in Summa, ſicut plures alias de facto revocavit, niſi præmatura mors eum præveniſſet; adhærentque S. Auguſtino, cum quo

R. Parvuli triſtantur ob amiſſam beatitudinem. Ita ſanctus Auguſtinus Lib. 6. contra Jul. cap. 4. ubi ſic ſcribit: *Si hoc eis*, (parvulis) *non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei* . . . . . *ſi autem amabunt, & tantum amabunt, quantùm innocentes amare debent, regnum ejus, à quo ad ejus imaginem creantur, nihilne mali de hac ſeparatione patientur?* Et Serm. 294. cap. 6. *Nam & qui exulant, vivunt: ſi ſani*

ſani ſunt, in doloribus corporis non ſunt, non torquentur, non carceris tenebris affliguntur: hæc illis ſola pœna eſt, non eſſe in patria. Si amatur patria, magna pœna. Si autem non amatur patria, pejor eſt cordis pœna. Parvum malum eſt in hominis corde, qui ſocietatem non quærit Sanctorum? qui non deſiderat regnum cœlorum? ſi non deſiderat, pœna eſt de perverſitate: ſi autem deſiderat, pœna eſt de fraudata charitate.

Abſurdum verò eſt, quod nonnulli ex hujus ſententiæ Patronis gratis docent, Deum denegare ſuum concurſum, ne parvuli ex hac damnatione triſtentur; ſi enim permittit parvulos ob ſolum peccatum originale cruciatus corporis in hac vita ſuſtinere, à fortiori credendum eſt eos in altera vita dolere ob amiſſam beatitudinem.

Multò minùs veriſimile eſt parvulos ſine Baptiſmo defunctos ignorare ſe propter peccatum excludi ab æterna felicitate; nam ratio naturalis dictat, eum qui punitur, conſcium eſſe debere peccati, propter quod pœnam meretur, alioquin videretur ipſi injuſta.

Hinc parvuli ſtatim à morte ſubeunt Dei judicium, interim reſervati ad univerſale, in quo ſupremus Judex ſententiam publicè proferet in omnes peccatores, puſillos & magnos, quemadmodum docet ſanctus Auguſtinus laudata Epiſt. 166. capite 8. & Serm. 294. aliàs 14. de verbis Apoſtoli.

Q. I. *Quare privatio viſionis Dei intuitivæ ſimpliciter vocatur à Theologis pœna damni?*

R. Quia eſt privatio ſummi boni; ſicut enim Deus dicitur ſimpliciter ipſum bonum, non verò hoc, aut illud bonum, ſed quidquid concipi poteſt nomine boni: ſic privatio Dei non eſt quod-

dam

dam peculiare damnum, quemadmodum pœna ſenſus, ſed eſt ipſum damnum, virtualiter complectens quidquid ſignificatur nomine damni. Tale quippe eſt damnum cum proportione, quale eſt bonum, quo privamur. Majus eſt v. g. damnum, graviorque pœna privari oculis, quam digito; quia oculi ſunt quid digito præſtantius: atqui Deus eſt omne bonum, ſeu bonum ipſum: ergo privatio Dei eſt virtualiter omne malum, & damnum ipſum.

Q. 2. *Parvuli in altera vita afficiunturne pœna ſenſus?*

R. Duplex eſt Catholicorum ſententia; altera affirmans, altera negans.

Affirmant 1. S. Aug. pluribus in locis: præſertim verò laudato Serm. 294. c. 3. & 4. ubi ſic habet: *Nullus relictus eſt medius locus, ubi ponere queas infantes: alii erunt ad dexteram, alii ad ſiniſtram, non novi aliud: ecce expoſui tibi quid ſit regnum, & quid ſit ignis æternus, ut quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in igne æterno.* 2. Epiſcopi in Sardinia relegati, eandem ſententiam amplexi ſunt, ut conſtat ex Lib. de Incarnatione & Gratia apud S. Fulgentium cap 14. & 30. Quin & ipſe S. Fulgentius illud ipſum proponit veluti fidei dogma Lib. de Fide ad Petrum c. 27. *Firmiſſimè tene*, inquit, *& nullatenus dubites, non ſolùm homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui ſive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, ſive jam de matribus nati ſine Sacramento S. Baptiſmatis . . . . de hoc ſæculo tranſeunt ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniendos.* 3. S. Gregor. Lib. 9. Moral. c. 12. *Perpetua*, inquit, *tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.*

Sanctus

Sanctus tamen Augustinus Lib. 5. contra Julianum cap. 11. lenit suam sententiam, faseturque se esse ancipitem circa pœnas ejusmodi parvulorum; sic enim scribit: *Ego autem non dico parvulos sine Christi baptismate morientes, tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potiùs expediret, cùm hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis & impiissimis dixerit; si enim, quod de Sodomitis ait: & utique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabiliùs in die judicii punietur; quis dubitaverit parvulos non baptizatos . . . . in damnatione omnium levissima futuros? quæ, qualis, & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quòd eis ut nulli essent quàm ut ibi essent, potiùs expediret.* Atqui, inquam ego, id dicendum videretur, si ignis per totam æternitatem in eos sæviret, quemadmodum hìc sævit in corpora eorum, qui flaminis pereunt.

Negant verò parvulos non baptizatos igne torqueri, 1. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 4. in S. Baptisma, in qua sic loquitur: *Existimo futurum, ut . . . . nec cœlesti gloria, nec suppliciis à justo Judice afficiantur, utpote qui licèt Baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potiùs fuerint, quàm fecerint.* 2. Sanctus Gregorius Nyssenus Orat. 1. de infantibus: *immatura mors infantium*, inquit, *neque in doloribus ac mœstitia esse eum, qui sic vivere desiit, intelligendum esse nobis suggerit.* 3. Sanctus Thomas qu. 5. de malo art. 2. *in peccato originali*, inquit, *non est conversio* (ad creaturam) *sed sola aversio* (à Deo) *vel aliquid aversioni respondens, scilicet destitutio animæ à justitia originali; & ideo peccato originali non debetur pœna sensus, sed solùm pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ.* Eandem sententiam amplexi

xi sunt S. Bonaventura, Scotus in 2. & in Scholis evasit valdè communis.

Cæterum monendi sunt Clerici, hìc præsertim cavendum, ne Scholæ opiniones in Catechesibus proponant tanquam fidei dogmata: experientia quippe constat fideles ægrè admodum audire parvulos sine Baptismo decedentes, mitti in ignem æternum cruciandos, & propter hujusmodi sermones scandala interdum oriri in Ecclesia.

Poterunt tamen, data occasione, prudenter uti priori opinione contra matres, quæ ex negligentia, vel alio quovis modo fœtus in utero suffocant aut præmaturè effundunt: posteriore verò, utpote benigniore lenient dolorem earum, quæ acerbiùs lugent filios suos sine gratia Christi decessisse.

CAPUT VIII.

De Causa efficiente Peccati.

Q. 1. *Quænam est causa efficiens peccati?*

R. Propriè & directè sola voluntas est causa efficiens peccati.

Probatur 1. ex Scriptura Matth. 15. & Marci 7. *de corde enim exeunt malæ cogitationes . . . furta &c. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem:* ubi Christus asserit hominem non coinquinari, nisi actus exeat ex corde, hoc est, ex voluntate.

Probatur 2. ex S. Augustino Lib. 2. de Civit. cap. 6. ubi sic scribit: *Mala voluntas efficiens est operis mali: malæ autem voluntatis efficiens est nihil.*

Et

Et cap. 7. *Nemo quærat causam malæ voluntatis; non enim est efficiens* (nempe voluntas mala) *sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio. Deficere namque ab eo, quod summè est, ad id quod minus est, hoc est habere voluntatem malam.*

Probatur 3. ratione. Illud solum potest esse causa directa & efficiens peccati, quod potest physicè movere voluntatem ad peccatum: atqui nulla res potest physicè & directè movere voluntatem ad peccatum. Vel enim voluntas moveretur à Deo, vel ab objecto, vel à judicio rationis, vel à Diabolo, vel ab hominibus, vel denique à concupiscentia, seu appetitu sensitivo: atqui à nullo ex his moveri sic potest voluntas: ergo.

Non à Deo; quia, ex dictis, ubi de reprobatione, Deus non potest esse auctor peccati.

Non ab objecto, nec à judicio rationis, 1. quia voluntas, ex dictis, est facultas libera, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, potest se determinare ad agendum, vel ad non agendum; atqui unum ex requisitis ad actum voluntatis, est objecti perceptio; voluntas enim non potest ferri in incognitum: ergo nec ratio proponens objectum, nec objectum propositum physicè voluntatem determinant. 2. Quia ex S. Thoma, illud est discrimen inter appetitum sensitivum, & voluntatem rationalem, quòd appetitus sensitivus, cùm sola regatur imaginatione (quæ, utpote facultas corporea, bonum aut malum singulare duntaxat apprehendit) necessariò determinetur ab objecto sic proposito: ovis v.g. necessariò fugit lupum, & appetit ramum viridem, quia nihil aliud videt timendum aut appetendum. At voluntas rationalis non fertur in objectum, nisi prælucente

lucente intellectu: intellectus autem, cùm ſit facultas ſpiritualis, cognoſcit communem & univerſalem boni rationem, objectumque voluntati repræſentat ſecundùm diverſas rationes bonitatis, v. g. vel ut honeſtum ſimul & arduum, ac minus utile ad rem familiarem, ſive conſervandam, ſive augendam, vel ut turpe & ſimul delectabile, vel utile. Unde ſemper liberum eſt voluntati eligere, quod ſibi magis placuerit, juxta illud Eccli. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui . . . ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi.*

Non etiam à dæmone, nec ab hominibus voluntas phyſicè moveri poteſt. Quia dæmon & homines voluntatem eatenus trahunt ad malum, quatenus ſuadendo illud proponunt: atqui ex mox dictis, voluntas hominis viatoris quocunque propoſito bono, aut malo, libera eſt, & ſui determinativa: ergo nec à Diabolo, nec ab homine phyſicè movetur.

Advertes tamen efficaciùs dæmonem ſuadere malum, quàm homines. Hi quippe, cùm non agant directè, niſi in ſenſus exteriores, ſæpe voluntatem movere nequeunt, appetitu ſenſitivo in aliud objectum propendente, & ſenſum interiorem præoccupante, quo fit, ut mens non attendat ad ea, quæ dicunt, vel faciunt, ſive minentur, ſive blandiantur, dæmon verò ſenſus interiores, & appetitum ſenſitivum directè afficit, Deo ita permittente, phantaſiæ ſpecies, quæ ſunt cogitationum ſemina, commovet, ſicque objecta velut præſentiſſima in imaginatione recurrunt; ſpiritus quoque animales, & alios humores exagitando, appetitum ſenſitivum ad libidinem, iram,

iram, & alios inordinatos motus accendit. Sed voluntati neceſſitatem non infert; quia inordinati concupiſcentiæ motus, ex mox dicendis, voluntatem phyſicè non determinant. Unde S. Thomas in 2. diſt. 21. q. 1. art. 2. ad 1. ſic ſcribit: *Quamvis poteſtas dæmonis ſit ſimpliciter major, quàm poteſtas hominis, tamen quantùm ad aliquid non eſt major, ſcilicet quantum ad actus liberi arbitrii, qui cogi non poſſunt: quia horum actuum ipſe homo dominus eſt, & non dæmon. Et ideo poteſt tentationi ejus reſiſtere.* Et ſanctus Auguſtinus, ſive quivis auctor Hom. 12. inter 50. nunc verò Serm. 253. in appendice: *non Diabolus cogendo*, inquit, *ſed ſuadendo nocet; nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit. Si nos Diabolum non adjuvemus, vincimus. Dat quidem ille conſilium, ſed Deo auxiliante, noſtrum eſt eligere vel repudiare quod ſuggerit.*

Non denique à concupiſcentia. Quamvis enim judicium rationis, & uſum libertatis valde impediat, abſolutè tamen non tollit: quia concupiſcentiæ nomine vel intelligitur ipſe fomes peccati, ſeu inordinatio radicalis ex peccato originali, etiam in renatis permanens, quæ dicitur à S. Thoma Lect. 2. in cap. 7. ad Rom. generale malum, communiter ſe habens ad omnia peccata, ſive ſpiritualia, ſive carnalia: vel preſſiùs ſumitur pro motibus inordinatis appetitus ſenſitivi, quo ſenſu vocatur ab eodem Angelico Doctore ſenſualitas: atqui concupiſcentia neutro modo phyſicè movet voluntatem. Non priori; quia, ut ſic, eſt veluti merus habitus ſine actu & cauſalitate, ut in parvulis & dormientibus. Non poſteriori, & quatenus in actu; vel enim motus ejus ita præveniunt rationem, ut voluntas illos

præcavere non potuerit, & tunc non ſunt pecca-ta, niſi materialiter: vel ſubſequuntur rationis advertentiam & judicium, & tunc voluntas po-teſt eis reſiſtere, juxta illud Gen. 4. verſ. 7. *Sub te erit appetitus ejus, & dominaberis illius.* Et Jac. 1. *Unuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: deinde concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò cùm conſummatum fuerit, gene-rat mortem.* Quibus verbis Apoſtolus docet, motus concupiſcentiæ eſſe tentationes duntaxat, donec ipſa conceperit: concipit autem accedente vo-luntatis conſenſu, ut interpretatur ſanctus Augu-ſtinus Lib. 6. contra Julianum cap. 5. ubi ſic ha-bet: *Profectò in his verbis partus à pariente diſcernitur. Pariens enim eſt concupiſcentia, partus peccatum. Sed concupiſcentia non parit, niſi conceperit, niſi illexerit, hoc eſt ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis aſſenſum. Quòd ergo adverſus eam dimicatur, hoc agitur; ne conci-piat pariatque peccatum.* Et Lib. 1. de Civit. c. 25. *Si illa,* inquit, *concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter noſtræ voluntatis Legem, quaſi Lege ſua movetur, quantò magis abſque cul-pa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis?* Unde meritò Concilium Tri-dentinum Seſſ. 5. Can 5. anathemate percuſſit Lutheranos & Calviniſtas, aſſerentes concupiſcen-tiam eſſe peccatum propriè dictum, inordinatoſ-que illius motus, quamvis plenè involuntarios hominem conſtituere reum damnationis æternæ.

Ergo ſola voluntas eſt ſubjectum peccati for-maliter ſumpti; namque peccatum, utpote actus vitalis, recipitur in ea facultate, à qua produci-tur; ideo enim actus vitales dicuntur immanen-tes; quia manent in potentia vitali, ut cognitio

in

in intellectu, & volitio in voluntate: atqui ex dictis sola voluntas est causa efficiens peccati: ergo sola voluntas est ejus objectum.

Dixi: *formaliter sumpti*, quia si peccatum materialiter sumatur, sedem habet in aliis potentiis, & maximè in intellectu, & appetitu sensitivo. Unde Theologi vulgò agnoscunt peccata in ratione & sensualitate.

Dices 1. Deus ut primus motor, concurrit ad omnes actiones, etiam malas. Ergo Deus est causa peccati.

Distinguo anteced. concurrit ad omnes actiones malas materialiter sumptas, hoc est, quatenus sunt entia, Concedo: formaliter sumptas, & quatenùs sunt quædam deordinationes, Nego anteced. *Omnia facit Deus*, inquit S. Anselmus Lib. de Concord. Gratiæ, & Lib. arb. cap. 1. *in bonis quidem facit quod sunt, & quod bona sunt; in malis verò facit quod sunt, sed non quod mala sunt.*

Instabis: sunt aliqui actus essentialiter mali, ut mendacium, odium Dei, blasphemia, &c. Ergo.

Distinguo anteced. sunt essentialiter mali, si moraliter spectentur, Concedo: si metaphysicè, Nego antecedens. Sunt enim entia quædam; omne autem ens est verum & bonum, ut docetur in metaphysicis. Porrò Deus est causa illorum actuum, quatenùs entia sunt, non quatenus difformes: nam ex S. Thoma qu. 3. de malo, art. 2. ad 1. *difformitas consequitur ex hoc, quòd liberum arbitrium recedit ab ordine voluntatis divinæ.* Et in 2. dist. 37. qu. 2. art. 5. *Etsi*, inquit, *in aliquo effectu plura inseparabiliter conjuncta sint, non oportet ut quidquid est causa ejus quantùm ad unum, sit causa ejus*

 quan-

quantùm ad alterum: ſicut natura eſt cauſa oculi, quantùm ad ſubſtantiam ejus, & non quantùm ad defectum cæcitatis, qui ex naturæ defectu incidit.

Dices 2. actus à Lege prohibitus eſt peccatum propriè dictum; quid eſt enim peccatum, niſi dictum vel factum, vel concupitum contra Legem? atqui omnes concupiſcentiæ motus prohibentur hac Lege? *non concupiſces:* ergo ſunt peccata propriè dicta.

Minor probatur 1. ex Apoſtolo Rom. 7. *Concupiſcentiam neſciebam, niſi Lex diceret: Non concupiſces.* Procul dubio autem ſciebat Apoſtolus concupiſcentiam voluntariam eſſe peccatum. Ergo in mente ejus Lex prohibet concupiſcentiam involuntariam. 2. 1. Joan. 2. Concupiſcentia non eſt à Deo: atqui omnia ſunt à Deo præter peccatum; ergo revera concupiſcentia eſt peccatum. 3. Ex S. Auguſtino Lib. de Spiritu & Littera cap. ult. Pertinet ad præſentem hanc vitam illud præceptum Eccli. 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas:* ad immortalitatem verò vitæ illud Deuter. 5. & Rom. 7. *Non concupiſces*, quo excluduntur omnes motus concupiſcentiæ etiam involuntarii.

Nego minorem; non enim dantur præcepta de iis, quæ non ſunt in noſtra poteſtate, quales ſunt illi modus prorſus involuntarii, confirmaturque hæc reſponſio ex Buliis Pii V. & Gregorii XIII. in quibus damnata eſt hæc Baji propoſitio: *Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto, Non concupiſces.* Cùm igitur S. Auguſtinus peccatum definiit concupitum contra Legem, intelligendus eſt de concupito voluntario, etiamſi foras non erumpat,

pat, quod nec Apoſtolus, nec quivis alius agnoſceret eſſe peccatum, niſi opponeretur Legi dicenti, *non concupiſces.* Et ſic patet reſponſio ad primam confirmationem.

Ad ſecundam confirmationem reſpondeo, diſtinguendo minorem; omnia ſunt à Deo præter peccatum, vel præter id quod ad peccatum inclinat, Concedo: præter id quod eſt peccatum formaliter, Nego min. Nam habitus erroris & vitii non ſunt à Deo, niſi materialiter, & ratione concurſus generalis; quia cùm Deus neminem tentet ad malum; non poteſt infundere habitum, qui per ſe inclinet ad peccatum. Concupiſcentia itaque materialiter ſumpta eſt à Deo; inordinatio verò ejus eſt ex peccato originali, ſicut habitus vitii eſt ex præcedente peccato actuali.

Ad tertiam confirmationem reſpondeo, in præcepto duo eſſe attendenda: ſcilicet finem & media. Finis autem propriè non præcipitur, ſed intenditur: obligatio verò & vis præcepti cadunt in media. Imperator, v. gr. præcipit militibus, ut hoſtem debellent; Pater Filio, ut doctus fiat. Illi ſatisfaciunt præcepto, ſi legitimè & ſtrenuè pugnent; iſte ſi diligenter ſtudeat; etiamſi nec illi victoriam, nec iſte ſcientiam aſſequatur. Sic nobis viatoribus dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, &, non concupiſces*, quamvis hæc planè non ſint implenda niſi in patria. Sed iſta nobis proponuntur ut finis; præcipitur verò, ut ad illam perfectionem totis viribus enitamur, caveamuſque, ne ex quantulacunque negligentia cogitatio aliena, aut inordinati concupiſcentiæ motus noſtram attentionem detorqueant. Cùm autem in hac parte ne-

mo ſat invigilet, & oſcitante ratione multa huic præcepto, *non concupiſces*, contraria ſubrepant, nobis quotidiana opus eſt pœnitentia.

Dices 3. S. Thomas hìc art. 3. ad 3. reſpondet, motus ſenſualitatis rationem prævenientes eſſe peccata venialia: Ergo.

Diſtinguo anteced. Rationem prævenientes, id eſt, plenum & perfectum rationis judicium, Concedo: Prævenientes omnem omninò rationis advertentiam, Nego anteced. Ait enim ibidem motus illos non eſſe perfectè, ſed imperfectè duntaxat actus humanos: nullus autem eſt actus humanus etiam imperfectus ſine aliqua rationis advertentia.

Inſtabis: Idem Angelicus Doctor 3. p. qu. 41. art. 1. ad 3. ſic ſcribit: *Tentatio, quæ eſt ab hoſte, poteſt eſſe ſine peccato; quia fit per ſolam ſuggeſtionem. Tentatio autem, quæ eſt à carne, non poteſt eſſe ſine peccato; quia hujuſmodi tentatio fit per delectationem, & concupiſcentiam: & ſicut Auguſtinus dicit, nonnullum peccatum eſt, quando caro concupiſcit adverſùs ſpiritum. Et ideò Chriſtus tentari voluit ab hoſte, ſed non à carne.* Eadem docet ſanctus Bonaventura in 2. diſt. 21. Ergo.

Diſtinguo anteced. Non poteſt eſſe ſine peccato; hoc eſt, ſine aliqua inordinatione, & peccato materiali, Concedo: Sine peccato formali, Subdiſtinguo: Non poteſt eſſe ſine peccato, generatim loquendo; quia moraliter impoſſibile eſt, ut ratio ſemper ſatis vigilet, Concedo: Non poteſt eſſe ſine peccato formali, ubi ratio viriliter repugnat, Nego anteced. S. itaque Thomas diſtinguit inter tentationes, quæ ſunt à mundo, & à dæmone, & eas, quæ ſuſcitantur à carne, docetque

cetque priores nullam inordinationem in anima ponere, ac proinde Christum illas pati potuisse. Sed tentatio carnis est quædam rebellio partis inferioris contra superiorem, quod vitium in Christum cadere non poterat.

Quòd autem non sit formaliter peccatum, ubi ratio repugnat, constans est doctrina S. Thomæ; ait enim 1. 2. qu. 80. art. 3. ad 3. *Concupiscentia carnis contra spiritum, quando ratio ei actualiter resistit, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis.* Et 2. 2. quæst. 154. art. 5. *Primus motus sensualitatis non habet quod sit peccatum nisi in quantùm judicio rationis reprimi potest.* Generatim tamen loquendo, motus illi inordinati non sunt sine aliquo peccato, quia moraliter impossibile est ut ratio, vel satis invigilet, ne insurgant, vel totas vires suas exerat ad illos comprimendos. Et ita intelligendus est sanctus Bonaventura.

CAPUT IX.

Satisfit nonnullis difficultatibus circa cogitationes morosas.

Q. 1. *Quid est cogitatio morosa?*

R. Sic describitur à sancto Augustino Lib. 12. de Trinit. cap. 12. *Cùm sola cogitatione mens oblectatur illicitis* (puta venereis, ultione inimici,) *non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt.* Ergo in cogitatione morosa duo intelliguntur, nempe cognitio, & delectatio rei illicitæ.

Q. 2. *Unde cogitatio dicta est morosa?*

Reſpondet S. Thomas hìc qu. 74. art. 3. ad 3. ſic dici à mora, non temporis, cùm peccatum etiam mortale uno momento conſummari poſſit; ſed rationis quæ circa eam immoratur. Dicitur enim ratio in mora, quomodo debitor, qui non ſolvit debitum ſtatim, cùm non poteſt & debet.

Q. 3. *Omnis cogitatio de re illicita eſtne culpabilis?*

R. Non eſt, niſi ſit otioſa, aut ex curioſitate procedat, qui cognitio pertinet ad perfectionem intellectus, *omnis ſcientia bona eſt*, inquit Ariſtoteles, Lib. de Anima. Deus cognoſcit omnia obſcæna & turpiſſima abſque præjudicio infinitæ ſuæ puritatis & ſanctitatis. Et ratio eſt, quia, ex dictis, hoc eſt diſcrimen intellectum inter & voluntatem, quòd intellectus aſſimilet ſibi objecta, & eatenus expurgat, ſi immunda ſint; voluntas verò eis aſſimiletur, & agglutinetur; unde ſi objectum ſit turpe, ipſam quoque fœdari neceſſe ſit.

Q. 4. *Omnis delectatio cogitandi de re illicita eſtne mala & culpabilis?*

R. Diſtinguendum eſt: Si delectatio terminetur ad cognitionem, non ad rem ipſam, quomodo gaudet Diſcipulus aut Confeſſarius, qui ex lectione notitiam acquirit eorum, quæ ſexto Decalogi præcepto prohibentur, licita eſt & honeſta, niſi quis in his inutiliter, & ex curioſitate mentem occupet, vel ſine neceſſitate exponat ſe periculo patiendi motus inordinatos. Item, ſi delectatio non ſit de ipſo opere malo, ſed de modo ſubtili, quo v. gr. furtum patratum eſt, non eſt peccatum mortale; ſed ad ſummum eſt vana & inutilis, ac proinde nonniſi venialiter mala. Sed ſi delectatio ad rem ipſam cogitatione perceptam termi-

terminetur, peccatum mortale eſt in hypotheſi, quòd res illa ſit lethaliter mala.

Probatur 1. Tum auctoritate Cleri Gallicani, qui anno 1700. doctrinam cujuſdam recentioris noſtræ reſponſioni contrariam, declaravit falſam, temerariam, ſcandaloſam, & in praxi pernicioſam; tum S. Auguſtini laudato cap. 12. Lib. 12. de Trinit. ubi ſic ſcribit: *Totus homo damnabitur, niſi hæc, quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per mediatoris gratiam remittantur*; tum ratione ſancti Thomæ 1. 2. quæſt. 64. art. 8. quia nemo delectatur re illicita, niſi illam amet: atqui amare rem lethaliter malam, eſt peccatum lethale: ergo & ea liberè delectari. Quomodo autem dignoſci poſſit, quando delectatio illa ſit libera, expoſuimus in praxi Sacramenti Pœnitentiæ gallicè edita.

Q. 5. *Cogitatio moroſa ſortiturne diverſam peccati ſpeciem ſecundùm objecti diverſitatem?*

R. Negarunt nonnulli recentiores, ſed ſine fundamento. Ideo enim cogitatio illa eſt mala, quia eſt de objecto illicito, v. gr. de fornicatione. Ergo ſi objectum ſit pejus, puta adulterium, aut inceſtus, cogitatio quoque cenſenda eſt pejor, ac proinde in Sacramentali Confeſſione explicanda.

Dices: Sanctus Thomas hìc quæſt. 74. art. 4. docet peccatum in ſenſualitate non poſſe eſſe mortale: Ergo.

Diſtinguo anteced. Non poſſe eſſe mortale ſine ſufficienti advertentia rationis, Concedo: Cum ſufficienti advertentia rationis, Nego antec.

Namque S. Doctor disertè probat artic. 8. delectationem sensualitatis esse lethalem, quando pro objecto habet actum moraliter malum. Vult itaque duntaxat, art. 4. peccatum illud potiùs esse tribuendum rationi, quàm sensualitati, ut videre est in familiari exemplo populi tumultuantis præsente Magistratu. Si enim resistat Magistratus, sed non ea, qua par est fortitudine, seditio imputatur populo: sed si Magistratus eam approbet, suoque judicio & auctoritate confirmet, jam ipse censetur auctor seditionis. Sic in proposito casu aliquando rebellat appetitus, ratione negligenter resistente, & tunc motus ille inordinatus tribuitur appetitui sensitivo, qui cùm sit politicè tantùm subditus, nonnunquam rebellat contra superiorem, propeterea reus dicitur peccati, sed venialis duntaxat; quia non subvertit ordinem ad ultimum finem, cùm, ut supponimus, ratio superior motum illum inordinatum non approbet. Sed si accedat plenus rationis consensus, delectatio turpis, etiamsi sit ab appetitu sensitivo, est peccatum mortale, ita tamen, ut in mente sancti Thomæ ascribenda sit rationi; quia ipsius est rectè judicare de ultimo fine, quem turpiter censet in bono commutabili esse reponendum.

Q. 6. *Quid est ratio superior, quidve inferior?*

R. Ratio, licèt sit una potentia, quæ alio nomine vocatur mens, seu intellectus, dividitur tamen in inferiorem, & superiorem, quemadmodum appetitus sensitivus in concupiscibilem, & irascibilem. Inferior autem ratio est illa, quæ considerat motiva humana, quæ inferiora sunt respectu divinorum, v. gr. quando quis expendit in aliquo objecto utilitatem temporalem, aut incom-

commoda, gloriam aut infamiam, delectationem aut molestiam, deliberatio illa pertinet ad rationem inferiorem. Si autem attendat quæ sunt superioris ordinis, putà, quòd objectum sit conforme, vel contrarium Legi divinæ, speculatio est rationis superioris; ratio enim superior dicitur quæ considerat motiva divina.

Q. 7. *Potestne esse peccatum mortale in ratione inferiori?*

R. 1. Constat rationem, sive superiorem, sive inferiorem, non esse capacem peccati independenter à voluntate; quia omne pecatum est voluntarium, proptereaque diximus ignorantiam, aut errorem invincibilem excusare à peccato.

R. 2. Si nulla sit prorsùs advertentia aut negligentia in ratione superiori, cùm inferior expendit commoda temporalia, quæ v. gr. ex morte alterius obventura sunt, putà amplam hæreditatem, & immunitatem à quibusdam molestiis, unde appetitus sensitivus delectatur, nullum est peccatum. In hypothesi autem quòd ratio superior in allato exemplo negligenter se gerat, & saltem imperfectè percipiat hujusmodi motiva temporalia, & delectationem inde consequentem repugnare Legi æternæ, peccatum est veniale. Sed si ratio superior, vel approbet judicium inferioris, vel sufficienter advertat, aut advertere possit esse contrarium charitati & Legi divinæ; delectatio illa, cùm capiatur ex re lethaliter mala, peccatum est lethale, ut patet ex dictis de cogitatione morosa.

Dixi, *aut advertere possit;* neque enim necesse est, inquit S. Thomas, ut actu advertat & cogitet de Lege æterna, aliàs qui peccant ex habitu,

vel

vel ex ignorantia vincibili essent excusandi; habitus enim vitiosus in perditissimis hominibus, & ignorantia vincibilis sæpè tollunt attentionem ad Legem divinam.

Ergo excusandi non sunt, qui in familiaribus colloquiis laudant vitæ superfluitates, ultionem de inimicis, & de iis cogitando animum oblectant, eo prætextu, quòd à Lege ista prohibente abstrahant: *Hæc*, inquiunt, *dicta sunt secundùm hominem.* Imò contra naturam hominis est, ac proinde peccatum, amare quæ per se mala sunt.

Q. 8. *Peccatne, qui negativè se habet ad inordinatos concupiscentiæ motus, hoc est, nec consentit, nec dissentit, quamvis illos advertat?*

R. 1. Est peccatum mortale, quando imminet probabile periculum consensus in delectationem rei mortaliter malæ. Hoc uno ore fatentur omnes Theologi, inquit Azor. part. 1. Lib. 4. c. 6. quæst. 5. nisi enim quis tunc expressè resistat, consentire videtur.

R. 2. Nullum est peccatum non amovere justam & æquam causam, qualis esse potest auditio confessionum, equitatio, ex qua delectatio venerea sequitur in appetitu sensitivo, modo absit periculum consensus; si enim adesset, ab iis omninò esset abstinendum.

Neque etiam peccaret, qui propter magnam in honesto opere animi contentionem & attentionem non resisteret, citra tamen periculum consensus; quia motus illi nec directè, nec indirectè sunt voluntarii, sed omninò præter voluntatem suo operi unicè intentam.

Dixi, *causam justam & æquam.* Peccatum enim saltem veniale, per curiosam lectionem, vel inutilem

utilem confabulationem, daret occasionem non necessariam hujusmodi motibus, quamvis voluntas positivè resistat.

Quæstio autem esse potest utrùm peccatum illud sit mortale.

Negant Sylvius, Bonacina, & alii, dummodo non intendatur delectatio, sed ei repugnetur, nec subsit grave periculum consentiendi, quale est in aspectu objecti valde obscœni, quem Theologi communiter judicant esse mortale, etiamsi ex sola curiositate proficiscatur; quia hujusmodi aspectus sic provocat ad libidinem, & delectationem veneream, ut voluntatem in evidens consentiendi periculum conjiciat.

R. 3. Quando delectatio venerea, aut alia rei mortaliter malæ sufficienter advertitur, probabilius est esse peccatum mortale ad eam se negativè habere, etiam citra periculum consensus positivi. Ita sanctus Thomas hìc art. 7. ad secundum: *Ex hoc ipso*, inquit, *quòd ratio superior non dirigit actus humanos secundùm Legem divinam, impediens actum peccati, dicitur ipsa consentire, sive cogitet de Lege æterna, sive non. Cùm enim cogitat de Lege Dei actu, eam contemnit: cùm verò non cogitat, eam negligit per modum cujusdam omissionis.* Et clariùs artic. 6. *Deficit* (ratio) *in directione passionum inferiorum dupliciter. Uno modo quando imperat illicitas passiones: alio modo quando non reprimit illicitum passionis motum.* Ex quibus conficitur hoc argumentum. Tum peccatum est, & quidem grave, cùm ratio voluntariè deficit in re gravi: at qui non reprimit delectationes venereas, quas sufficienter advertit esse contrarias Legi divinæ, sed ad eas negativè se habet, deficit in re gravi, deestque suo officio; officium enim

enim eſt ſuperioris coercere ſeditioſos ſubditorum motus, quando id præſtare poteſt, cenſeturque iis conſentire, ſi præmonitus diſſimulet ſine rationabili cauſa: Ergo.

Q. 9. *Peccantne qui delectantur cogitatione actionis olim ipſis licitæ, nunc verò illicitæ: viduus, v. gr. aut vidua delectabiliter cogitat de opere conjugali præterito; ſponſus aut ſponſa de eodem opere futuro?*

R. Viduus & ſponſus peccant mortaliter, quando opus conjugale apprehendunt tanquam præſens, & ea cogitatione actuali oblectantur: quia delectatio illa eſt de objecto lethaliter malo: opus enim conjugii in eo ſtatu, in quo ſunt, ipſis prohibetur ſub peccato mortali. Poſſent quidem excuſari, ſaltem à peccato mortali, ſi abſque ſenſualitatis motu apprehenderent actum conjugalem ut præteritum vel futurum, approbantes quòd illum exercuerint, aut eſſent exercituri; quia non approbant illud opus, niſi quatenus fuit, vel erit ipſis licitum: ſed cùm ejuſmodi mentis apprehenſio vix poſſit eſſe ſine delectatione venerea, nec eſt accerſenda, nec ſponte oblata retinenda, ſed ſtatim abjicienda.

Ex hac reſponſione colligitur, quid ſentiendum ſit de eo, qui cuperet delectari re aliqua, niſi eſſet mala; ſi enim ſic cogitando delectetur actu re mortaliter mala, reus eſt peccati mortalis; ſi verò non delectetur, immunis eſt à peccato ſaltem mortali; quia actu non vult delectari re illicita, cùm autem vanæ ſint & inutiles hujuſmodi cogitationes, non ſine peccato veniali admittuntur.

Quid ſi optaret ille rem non eſſe malam, putà fornicationem, aut occiſionem inimici?

Diſtin-

Diſtinguendum eſt. Vel enim res illa eſt ex ſe indifferens, ut eſus carnium in Quadrageſima, qui non eſt malus niſi propter Legem prohibentem, vel eſt per ſe mala, ut fornicatio. Quæ ſunt mala, quia prohibita, ex juſta & rationabili cauſa ſine peccato expeti poſſunt, v. gr. eſus carnium, ſanitati neceſſarius; quia voluntas non fertur in objectum illicitum, & Legem illud prohibentem reveretur, cùm propter illam abſtineat à carnibus alioquin ſanitati neceſſariis. Sed mala poſterioris generis non poſſunt deſiderari, niſi ut mala; non enim mala ſunt, quia prohibita, ſed potiùs ideò prohibentur, quia mala ſunt, & vitioſum eſt velle talia permitti. Peccant ergo mortaliter, qui vellent fornicationem, furtum, ultionem de inimicis non prohiberi.

Propter eandem rationem reus eſt peccati mortalis, qui ſic affectus eſt, ut dicat, ſi non eſſet infernus, fornicarer; ſi militiæ non renuntiaſſem, aut ad ſtatum Clericalem non tranſiſſem, te occiderem. Nam etiamſi non eſſet infernus, nec qui iſta dicit, ordini Clericali eſſet adſcriptus, nihilominus fornicatio, & injuſta occiſio eſſent lethaliter malæ, nec proinde ſine gravi peccato expeti poſſent.

Q. 1. *Licetne delectari opere, quod cùm ex ſe ſit peccatum mortale, commiſſum eſt ſine culpa propter ignorantiam invincibilem, amentiam, aut aliquid ſimile?*

R. 1. Delectari licet, quod illud opus fuerit ſine culpa. Reſponſio eſt evidens, quia ejuſmodi delectatio eſt de re bona.

R. 2.

R. 2. Licitum eſt etiam delectari effectu, qui feliciter inde ſecutus eſt, v. gr. ſopitæ ſunt lites, & pax conciliata ex homicidio caſuali.

R. 3. Delectari ipſo actu v. gr. homicidii inculpabilis eſt peccatum mortale. Probatur 1. ex cenſura Innocentii XI. qui hanc damnavit propoſitionem: *Licitum eſt Filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate patrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* 2. Quia objectum hujus delectationis eſt lethaliter malum, etiamſi non imputetur ei qui ignoravit. Ergo & ipſa delectatio. 3. Quia non licet deſiderare opus per ſe malum, propter bonum finem: Ergo neque de eo gaudere propter finem ſimiliter bonum.



Tracta-



Tractatus
DE
REGULA MORUM.

Q. I. REQUIRITURNE *aliqua regula ad mores rectè informandos?*

R. Certum est requiri; quia facultas, quæ deficere potest; ut manus Pictoris respectu picturæ, indiget aliqua regula, v. gr. arte pictoria, per quam certò & infallibiliter dirigantur in suis operationibus: atqui voluntas humana, ex qua procedunt mores humani, deflectere potest ad malum, sicut ad bonum: ergo si homo certa indiget regula, putà arte, ut sit bonus artifex, rectéque perficiat opera, quæ temporalem duntaxat vitam spectant; à fortiori ut eva-

evadat vir bonus, actionesque suas certò dirigat ad ultimum finem, & æternam beatitudinem.

Q. 2. *Quænam est regula actuum humanorum?*

R. Duplex statuitur, interior scilicet & exterior, interior est conscientia, exterior verò Lex.

Q. 3. *Quare conscientia non est unica actuum humanorum regula?*

R. Quia cùm possit errare, & à vero deficere, Lege debet dirigi.

Ergo temerè agunt, qui ex proprio cerebro sibi & aliis conscientiam formant, ac sine Legis notitia decernunt quid hìc & nunc sit agendum.

Ergo actus humanus non est moraliter bonus, nisi regatur conscientia simul & Lege; sed est simpliciter malus, si alterutrum desit, hoc est, si procedat vel contra conscientiam, licèt conformiter ad Legem, vel juxta dictamen conscientiæ, sed contra Legis præscriptum. Ita S. Thomas quodlib. 8. quæst. 6. art. 3. ubi sic habet: *Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: uno modo faciendo contra Legem, ut cùm aliquis fornicatur: alio modo faciendo contra conscientiam, etsi non sit contra Legem, ut si conscientia dictat alicui quòd levare festucam de terra sit peccatum mortale. Illud autem quod agitur contra Legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundùm conscientiam. Et similiter quod est contra conscientiam, est malum, quamvis non sit contra Legem.*

Præiverat sanctus Bernardus Lib. de Præcept. & disp. cap. 14. his verbis: *Ut interior oculus verè simplex sit, duo illi arbitror esse necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem . . . . . sive itaque malum putes bonum, quod fortè agis; sive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum est.*

Q. 4.

Q. 4. *Quare actus humanus Legi conformis, sed conscientiæ repugnans, est malus?*

R. Quia hominis natura, utpotè rationalis, exigit ut omnes ejus actiones rationabiliter fiant, hoc est ratione regantur, *rationabile obsequium vestrum*, inquit Apostolus, Rom. 12. alioquin magna foret inordinatio, si voluntas contra rationem insurgeret, &, contempto ejus imperio, inferiores potentias applicaret ad opus. Cùm autem ignorantia in omnibus hominibus sit pœna peccati, & ratio facilè decipi possit passionibus, pravis aliorum exemplis, & dæmonum suggestionibus, ipsa indiget certa & infallibili regula, Lege nimirum, quam consulere necesse est, priusquam ratio judicium de agibilibus ferat.

Nec dicas, homines facilè falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & in præcipienda fallere posse; nam Lex æterna, quæ fallere nequit, prohibet ne inferior de superiore malè suspicetur, cùm aperta ratio, vel indubitata auctoritas non demonstrat ipsum contra Deum præcipere. Ita sanctus Bernardus citato loco: *Cùm de Scripturis habeas*, inquit, *quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem ex ore ejus requirunt; quia Angelus Domini exercituum est: ipsum quem pro Deo habemus . . . . . . tanquam Deum in his quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus.*

Ex his patet hunc tractatum in duas partes esse distribuendum. Prima pars erit de Conscientia. Secunda de Legibus.

* *

PRIMA PARS.

De Conſcientia.

CAPUT PRIMUM.

De Definitione Conſcientiæ.

Q. I. *Quid eſt Conſcientia?*

R. Eſt judicium actuale practicum, dictans, quid in particulari ſit faciendum, aut omittendum.

Dicitur 1. *Judicium*, quo ſignificatur conſcientiam pertinere ad intellectum, cujus eſt judicare.

Dices: Conſcientia, vel eſt bona, vel mala: bonum autem & malum pertinent ad voluntatem, ſicut verum & falſum ad intellectum: ergo conſcientia eſt actus voluntatis, ut præſefert ejus nomen; conſcientia enim ſecundùm vim nominis eſt cordis ſcientia.

Diſtinguo anteced. Conſcientia eſt bona, vel mala directè, quia ipſius eſt dirigere actus humanos, Conc. Eſt bona, vel mala formaliter, & ſubjectivè, Nego antec.

Dicitur 2. *Actuale*, quia conſcientia neque eſt potentia, neque habitus ſicut prudentia, ſed actus.

Dicitur 3. *Dictans*, quia conſcientiæ eſt dirigere actus humanos.

Dicitur 4. *Quid in particulari ſit faciendum, aut omittendum*, ut diſtinguatur, tum à ſyndereſi, tum à pru-

à prudentia univerſali. Synthereſis enim eſt habitus intellectus nobis naturaliter inditus, qui verſatur circa prima principia practica, v. g. quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Prudentia verò univerſalis eſt habitus, ſive acquiſitus, ſive infuſus, qui ex primis principiis practicis deducit concluſiones univerſales, v. gr. non debemus alteri facere, quod nobis fieri nollemus; atqui nollemus rem noſtram ſubripi: ergo non debemus rem proximi ſubripere. Conſcientia autem ſubſumit, atqui hæc pecunia uſuraria, eſt res aliena: ergo ab ea debeo manus meas continere.

Ergo conſcientia eſt ultimus prudentiæ particularis actus, & veluti ejus concluſio: *Conſcientia*, inquit ſanctus Antoninus, *eſt concludens ſcientia.*

Ergo conſcientia, ut ſit recta, præſupponit præmiſſas veras & notas; namque vera & certa non poteſt eſſe concluſio, niſi eliciatur ex propoſitionibus veris & notis.

Dices, Rom. 14. Conſcientia vocatur Fides, *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Unde vulgò dicimus aliquem bona vel mala fide agere, quando agit ſecundùm, aut contra conſcientiam: ergo conſcientia non eſt ultimus actus prudentiæ particularis.

Diſtinguo antec. Conſcientia eſt Fides præſuppoſitivè, Concedo: Formaliter, Nego antec. Conſcientia itaque præſupponit multa, quæ pertinent ad fidem, ſive divinam, ſive humanam, putà Eccleſiæ traditionem & definitionem, judicium ſapientum, teſtimonium hominis fide digni: ex quibus prudentia conficit hunc ſyllogiſmum practicè & evidenter verum. Tutum eſt in praxi amplecti quod tradit Eccleſia, docent ejus Paſtores, judicant licitum ſapientiores, teſtantur homines

fide digni, communiterque obſervant viri Religioſiores. Hæc propoſitio eſt certa & evidens: atqui Eccleſia & ejus Paſtores docent, v. gr. Contractum conſignativum eſſe licitum: viri docti conſentiunt, Titium in hoc facto irregularitatem non contraxiſſe: duo teſtes affirmant, hunc hominem reum eſſe homicidii voluntarii. Evidentia hujus propoſitionis ipſis ſenſibus percipitur. Unde conſcientia evidenter concludit: ergo licitum eſt inire hunc contractum conſignativum. Titius non tenetur ſe gerere tanquam irregularem. Judex hunc hominem ſecundùm Legem morte plectere debet. Porrò hæ concluſiones non ſunt Fidei actus, licèt fidem aliquando divinam, aliquando humanam præſupponant.

CAPUT II.

De Diviſione Conſcientiæ.

Q. 1. *Quotuplex eſt Conſcientia?*

R. Generatim & adæquatè dividitur in bonam & malam, nec ulla agnoſcenda eſt indifferens; quia ex dictis conſcientia eſt actus prudentiæ; atqui actiones indifferentes, etiam in hypotheſi quòd dentur, non ſunt objectum prudentiæ, quæ tota eſt in ordinandis actionibus ad ultimum finem, ad quem conſequendum actio indifferens non poteſt eſſe medium.

Gravis autem hìc naſcitur difficultas, ac præ cæteris accuratiùs examinanda, ſcilicet, quæ conſcientia dicenda ſit bona: nuſquam enim in moralibus periculoſiùs erratur, quam in definienda bona conſcientia, teſtante Clero Gallicano anno

1700.

1700. his graviſſimis verbis: *Hoc initium malorum eſſe, atque omnium corruptelarum caput, & doctrinæ conſecutio, & ſeries temporum oſtendit.* Atque ut in re tam lubrica ſecurè procedamus, operæ pretium eſt referre ſigillatim omnes conſcientiæ diviſiones, & varias ejus ſpecies; tumque licebit de unaquaque judicium ferre. Itaque

Conſcientia ſpecialiùs dividitur 1. in rectam ſeu veram, & falſam, ſeu erroneam: & hæc vel invincibiliter eſt erronea, vel vincibiliter. 2. In certam, & incertam, ſeu in tutam, & minimè tutam.

Incerta ſubdividitur in dubiam, perplexam, probabilem, & ſcrupuloſam.

Q. 2 *Quid eſt Conſcientia dubia?*

R. Eſt intellectus practici hæſitatio circa rem agibilem. Hæſitat autem intellectus, & in neutram partem contradictionis inclinatur, vel quia nulla occurrit aſſentiendi ratio, vel quia pro utraque parte adſunt rationes æqualis ponderis, quæ mentem ſuſpenſam, & quaſi in æquilibrio contineant. Pater v. gr. aſſerit Filium compleviſſe vigeſimum primum ætatis annum, ac proinde teneri Lege jejunii; mater contra pernegat, & ex hac contradictione exurgit dubia Filii conſcientia.

Q. 3. *Quotuplex eſt Conſcientia dubia?*

R. Duplicem vulgò diſtinguunt Theologi, ſcil. dubiam ſpeculativè duntaxat, practicè verò certam; & dubiam tum ſpeculativè, tum practicè.

Conſcientia eſt ſpeculativè dubia, quando dubium eſt de re objectivè ſpectata, ut ſi tonſor dubitet, an liceat barbas radere diebus feſtivis. Practicè autem eſt dubia, quando dubium cadit in ipſum exercitium actus, ut ſi idem tonſor dubitet

bitet num peccet barbas radendo diebus Dominicis. Porrò nonnunquam contingit, inquiunt illi Theologi, eundem eſſe ſpeculativè dubium, & practicè certum, ut videre eſt in allato exemplo tonſoris, qui dubitat, num opus ejus ſit ſervile, & ab Eccleſia prohibitum feſtis diebus, & practicè certus eſt ſe non peccare illud opus exercendo, quando nempe res ejus familiaris magnum detrimentum pateretur, ſi ſolus ex omnibus tonſoribus in reverentiam diei ſacri ab illo opere abſtineret.

Quamvis hæc conſcientiæ dubiæ diviſio aliquo ſenſu ſit vera, ſimpliciter tamen & abſolutè falſa eſt, & in praxi periculoſa: & niſi rectè intelligatur, tendit ad ſubvertendam omnem moralem diſciplinam. Quare rejicienda videtur.

Primò non eſt ſimpliciter & abſolutè vera; cùm enim conſcientia ex dictis ſit practica concluſio, non poteſt eſſe certa, niſi deducatur ex præmiſſis certis; ex incerto quippe principio non poteſt certa ſequi concluſio. Tonſor in allato exemplo, qui dubitat an radere, ſit opus ſervile die feſto prohibitum, non poteſt certò concludere ſibi licere eodem die radere, niſi ipſi præſto ſit hæc ratio ſpeculativè certa, quæ eum ad radendum determinet, nempe Legem Eccleſiaſticam non obligare cum magno familiæ diſpendio. Itaque ut conſcientia ſit practicè certa, ſtante aliquo dubio ſpeculativo, neceſſe eſt, ut concurrat certa aliqua ratio ex circumſtantiis deſumpta, ex qua eliciatur concluſio, ſeu conſcientia practicè certa: patet tum ex allato tonſoris exemplo, tum ex duobus ſequentibus. Mulier, ex una parte ſpeculativè eſt dubia de veritate matrimonii

trimonii bona fide initi: ex alia verò parte certa eſt ſpeculativè, neminem in dubio privandum eſſe jure ſuo, & ex illo principio certiſſimo practicè judicat ſtante illo dubio reddendum eſſe debitum marito exigenti, nec de veritate matrimonii dubitanti. Item aliquis eſt ſpeculativè dubius, an ſit detentor rei alienæ, & aliunde certus in tali dubio potiorem eſſe partem poſſidentis, nec ullum propter hujuſmodi dubium eſſe ſpoliandum re ſua: nixus autem hoc principio ſpeculativè certo, format ſibi conſcientiam practicè certam ſe non teneri ad reſtitutionem. Ergo conſcientia non poteſt eſſe practicè certa, niſi cum dubio ſpeculativo adſit ratio etiam ſpeculativè certa.

Secundò in praxi periculoſum eſt ſimpliciter & abſolutè ſtatuere conſcientiam poſſe eſſe practicè certam ſimul & ſpeculativè dubiam; quia facilè quis in quolibet dubio ad nutum voluntatis conſcientiam ſibi formaret, omnes dubitandi rationes obligaret, certumque ſe in operatione crederet eo ipſo, quò vellet eſſe certus.

Q. 4. *Quid eſt Conſcientia perplexa?*

R. Eſt intellectus practici judicium dictans ſubeſſe peccatum, quamcunque agens amplectatur partem, v. g. ſive mentiatur ad impediendum homicidium injuſtum, ſive non mentiatur in hypotheſi quòd ex veritatis confeſſione injuſtum homicidium conſequatur.

Q. 5. *Poteſtne aliquis eſſe in vera peccandi neceſſitate?*

R. Minimè, quia in iis anguſtiis, in quas nemo niſi ex errore delabitur, prudentia dictat minus malum eſſe eligendum, ac proinde in allata

hypotheſi mendacium officioſum non foret peccatum, niſi materialiter.

Q. 6. *Quid eſt conſcientia, ſeu opinio probabilis?*

R. Eſt mentis aſſenſus cum formidine oppoſiti: *Opinio*, inquit S. Bernardus Lib. 5. de Conſid. cap. 3. *certi nihil habens, verum per ſimilia quærit potiùs, quàm apprehendit.*

Q. 7. *Quotuplex eſt conſcientia, ſeu opinio probabilis?*

R. Duplex: Alia fulcitur ratione: alia auctoritate. Prior probabilitas dicitur intrinſeca: poſterior verò extrinſeca.

Q. 8. *Quotuplici modo ſpectari poteſt opinio probabilis?*

R. Duplici, ſcilicet abſolutè, & ſine reſpectu ad aliam oppoſitam, & comparatè cum alia oppoſita. Aliquis v. gr. probabiliter affirmat hoc poculum eſſe veneno infectum, hunc contractum eſſe uſurarium; alter verò utrumque probabiliter negat, mens in ejuſmodi opinionum contradictione illas priùs inter ſe comparat, quàm judicium ferat.

Q. 9. *Quid obſervandum in concurſu opinionum oppoſitarum?*

R. Imprimis obſervandum eſt utrùm opinio oppoſita ſit vel æquè probabilis, vel minùs probabilis, vel probabilior; neque enim quiſquam poculum hauriret, altero affirmante eſſe veneno infectum, altero negante, niſi priùs expendiſſet uter ex illis verum diceret.

Q. 10. *Quid ſi opinio oppoſita ſit æquè probabilis?*

R. Conſcientia efficitur, aut ſaltem effici debet dubia; quia mens propter æqualia rationis, vel auctoritatis pondera non magis in unam inclinat

clinat partem, quàm in aliam. Judex v. g. qui audito primo teſte accuſatum onerante probabiliter judicabat illum eſſe reum, in dubium venit, cùm audit ſecundum teſtem priori contradicentem.

Q. 11. *Quid ſi opinio oppoſita ſit minùs probabilis?*

R. Conſcientia in illo concurſu non ſolùm de ejus veritate erit dubia, ſed ſi non impediatur pravo voluntatis affectu, pronunciabit probabiliùs eſſe falſam: id enim ſuadent graviora momenta, quibus oppoſita probabilior nititur, ut videre eſt in his exemplis: ſi duo teſtes, quorum alter eſt fide dignior, teſtimonium contradictorium ferant, Judex eo ipſo, quo unius teſtimonium judicat credibilius, neceſſario putat teſtimonium alterius veriſimilius eſſe falſum. Item privatus, qui conſuluit duos Theologos diſſentientes circa æquitatem alicujus contractus, ſi unius conſilium propter majorem Theologi peritiam probabiliùs videtur verum, alterius conſilium conſequenter probabiliùs exiſtimat falſum.

Dixi: *Modò conſcientia non impediatur pravo voluntatis affectu;* Quia hujuſmodi affectus judicium præcipitat, nec ſinit mentem attendere, niſi leviter, & ſuperficie tenus ad ea, quæ dubium ingerere, & voluntatis impetum cohibere deberent; quod quàm timendum ſit, ubi agitur de formanda conſcientia, docet Clerus Gallicanus ſæpiùs citato loco: *Neque quiſquam*, inquit, *in dubio ſalutis ad actum proſiliat, niſi ipſo dubio non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis inſtinctu, ſed ex recta ratione depoſito, dicente Scriptura, rationabile obſequium veſtrum. Omnia probate, quod bonum eſt tenete.*

Q. 12.

Moralis adeſt certitudo, quando ſpectatis circumſtantiis ratio dictat non eſſe timendum, ne res aliter ſe habeat, quàm menti objicitur, etſi naturaliter & abſque miraculo poſſit ſe habere aliter: imò aliquando ſic contigerit. Reſponſio patebit ſequentibus exemplis. Cum morali ſalutis certitudine quis ambulat per plateas tranquillo aere: cum fratre, quem benevolum expertus eſt, ſolus egreditur in campum; licèt è tectis tegulæ in caput ejus decidere naturaliter poſſint, aut frater in ipſum inſurgere, quemadmodum Cain in Abelem. Nam imprudens & ridiculus videretur, ſi timor incurrendæ mortis in hujuſmodi circumſtantiis illum domi concluſum detineret. Cum eadem certitudine Judex credit duobus teſtibus conſentientibus, plebs Parochi catecheſibus, nec niſi imprudenter fidem denegarent, eo prætextu, quòd duo teſtes & privatus Parochus fallere poſſint, nec deſint exempla eorum, qui ſic fuerunt decepti; hæc enim rariora & remotiora ſunt, quàm ut prudenter timenda ſint. Sic vir probatæ caſtitatis & pietatis, anxius tamen num conſenſerit delectationi venereæ, aut vanis cogitationibus, quas inter orandum paſſus eſt, moraliter certus eſſe debet ſe non conſenſiſſe ſaltem eo conſenſu, qui ad peccatum mortale pertingat, hoc eſt, plenè libero; quia moraliter fieri nequit, ut voluntas tam firma & tam conſtans in propoſito vitandi omne peccatum præſertim lethale, mutetur, quin conſcientia dilucidè advertat. Secus judicandum de iis, quorum voluntas verti ſolet ad omnem tentationis flatum. Horum quippe anxietas & dubium fundamento non caret, & plerumque præſumitur illos conſenſiſſe, niſi contrarium probent.

His

His præmiſſis de conſcientiæ diviſione, & de variis ejus ſpeciebus, ſupereſt, ut expendamus, quæ ſit conſcientia bona, quævè nos coram tribunali ſupremi Judicis defendere valeat.

CAPUT III.

Dè bona, malave Conſcientia.

Cum ex dictis nullus conſcientiæ ſuæ teſtimonio poſſit eſſe ſecurus, niſi probaverit hanc ſuam conſcientiam eſſe bonam, dicente Apoſtolo 1. Cor. 4. *Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum*, nobis accuratiùs inveſtigandum incumbit, quæ tandem conſcientia bona dicenda ſit, an erronea, an dubia, an certa, aut probabilis. Quare

Q. 1. *Conſcientia erronea eſtne bona?*

R. Minimè; quia, ut ait ſanctus Bernardus ſupra laudatus, pag. 280. *Ut interior oculus verè ſimplex ſit,* id eſt, ut conſcientia ſit ſana & laudabilis, *duo illi arbitror eſſe neceſſaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Sive itaque malum putes bonum, quod forte agis; ſive bonum malum, quod operaris: utrumque peccatum eſt.*

Q. 2. *Conſcientia erronea nunquamne excuſat à peccato?*

R. Excuſat, ſi ſit invincibiliter erronea, ſecus ſi vincibiliter. Ita S. Thomas quodlib. 8. qu. 6. art. 15. *Error conſcientiæ*, inquit, *quandoque habet vim abſolvendi, ſive excuſandi; quando ſcilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur. Et in tali caſu, quamvis factum de ſe ſit mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccaret venialiter.*

nialiter. Quandoque verò error conſcientiæ non habet vim abſolvendi vel excuſandi, quando ſcilicet ipſe error peccatum eſt, ut cùm procedit ex ignorantia ejus, quod quis ſcire tenetur & poteſt, ſicut ſi crederet fornicationem ſimplicem eſſe peccatum veniale, & tunc quamvis crederet peccare venialiter, non tamen peccaret venialiter, ſed mortaliter.

Ergo neque ex intentione laudabilis finis, neque ex erroneæ conſcientiæ dictamine excuſantur defectus eorum, qui officium, ſive politicum, ſive Eccleſiaſticum ſuſcipiunt, quamvis non quæſitum, ſi vires eorum ſuperet, vel propter ſufficientem ſcientiam; vel propter ingenii tenuitatem, vel propter meliorem indolem qualibet ſuggeſtione verſatilem; quia illorum ignorantia & deceptio voluntaria eſt ſaltem in cauſa, ac proinde vincibilis.

At, inquies, nullus niſi ſuperbus crediderit ſe idoneum eſſe, qui aliis utiliter præeſſe valeat. Ergo omnes à regendis aliis abſtinere debent, cùm moraliter fieri nequeat, quin in regimine error aliquando ſubrepat, aut fallacia decipiat.

Nego conſequentiam. Neque enim iſta penſanda ſunt ex proprio ſenſu, ſed ex viri ſapientis conſilio, qui nos probè noverit, non ex fama tantùm, aut veluti ex exteriori ſuperficie, ſed ex plana interioris hominis manifeſtatione. Nam ex ſancto Bernardo Serm. 18. in Cantic. non minùs cavendum eſt vocanti Deo reſiſtere, quàm honorem ab ipſo non conceſſum, licèt fortè ab homine oblatum, aſſumere: *Rem profectò,* inquit, *proximi retines tibi, ſi plenus virtutibus cùm ſis, donis ſcientiæ, & eloquentiæ adornatùs, metu fortè, aut ſegnitie, aut minùs diſcreta humilitate, verbum bonum, quod poſſet*

posset prodesse multis, inutili, imò & damnabili ligas silentio, certe maledictus quòd frumenta abscondis in populis. Rursum quod tuum est spargis, & perdis, si priùs quàm infundaris tu totus, semiplenus festines effundere ...... si institerint rogitantes aliqui ex his, qui fortè existimant de me supra id, quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me, respondebitur eis, ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes & emite vobis.

Q. 3. *Quid sentiendum de conscientia dubia?*

R. Mala est, nec ea innitendum, sed suspendendus consensus, quamdiu duraverit dubium.

Probatur 1. ex Scriptura, Eccli. 3. v. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit*, hoc est, qui se à peccandi periculo non removet, in illo peribit, quamvis se securum putet.

Probatur 2. ex Traditione. S. Augustinus Lib. 1. de Bapt. c. 3. sic scribit: *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quòd certis incerta proponeret.* S. Bernardus Serm. de Voluntate nostra subjicienda divinæ, ait: *In his rebus, in quibus nihil certi possumus invenire, nihil certum voluntas nostra definiat, pendeat inter utrumque.* Innocentius III. Lib. 5. de Mysterio Missæ, cap. 24. *Ego*, inquit, *semper in dubiis, quod tutius est, judico præferendum;* & cap. *Juvenis*, de sponsalibus: *in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.* Generale Conc. Viennense cap. *Exivit*, de verb. signif. sic statuit, *in his, quæ salutem animæ respiciunt ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda.* Addit Clerus Gallican. an. 1700. *neque id consilii, sed præcepti loco habeamus.* S. Thomas quodlib. 8. art. 13. eadem docet his verbis: *Quòd si ille, qui plures possidet Præbendas, in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum & manente*

nente tali dubitatione, plures Præbendas habeat, periculo se committit, & sic procul dubio peccat. Sanctus Antoninus etiam 3. part. tit. 3. cap. 10. § 10. *Beatus Thomas & alii*, inquit, *dicunt quòd ille, qui agit id, de quo est dubium, utrùm sit mortale, vel non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cùm ergo in aliqua materia morali sunt variæ & contrariæ opiniones, ille qui adhæret latiori viæ, videtur se exponere periculo mortis; quia est in dubio, cùm possit illa opinio esse falsa, & contraria vera.*

Probatur 3. ratione; quia agere temerè & contra prudentiæ regulas peccatum est: atqui agens in dubio, temerè & contra prudentiæ regulas operatur: Ergo.

Minor probatur. Quia prudentia est virtus intellectus; atqui ex S. Thoma 1. 2. qu. 57. art. 2. ad tertium: *illi soli habitus virtutes intellectuales dicuntur, quibus semper dicitur verum, & nunquam falsum: opinio verò & suspicio possunt esse veri & falsi, & ideo non sunt intellectuales virtutes, ut dicitur in 6. Ethic.* Et art. 4. *Sic se habet prudentia ad actus humanos, sicut se habet ars ad exteriores factiones:* atqui ars certò & infallibiliter operationes artificiales dirigit: ergo & prudentia actiones morales.

Confirmatur ex communi omnium hominum sensu: ille in proximum peccat, qui sciens & volens exponit se periculo illum lædendi, aut damnum inferendi, quia hæc agendi ratio vertitur in ejus contemptum & contumeliam. Ergo à fortiori reus est apud Deum, qui liberè ea facit, dubius an illi displiceant, necne.

Ergo conscientia bona, non est, nec actus ex illa procedens laudabilis, nisi sit certa. Evidenter sequitur ex præcedenti responsione. Non

 enim

enim datur medium inter incertum & certum: atqui conſcientia incerta & dubia eſt mala: ergo bona neceſſariò debet eſſe certa.

Dices 1. probabile eſt quid medium certum inter & incertum. Ergo.

Nego anteced. Oppoſitum conſtat ex dictis de conſcientia & opinione probabili, pag. 286. & ſequentibus, ampliuſque patebit ex capite ſequenti.

Dices 2. Paſtor in dubio prudenter Sacramenta miniſtrat infirmo in extremis poſito, & Medicus carens remedio certo in iiſdem circumſtantiis rectè adhibet dubium: ergo prudentia non excludit dubium.

Nego conſeq. Quia etſi Paſtor & Medicus dubitent de effectu, ille Sacramenti, iſte remedii, nihilominus certi ſunt dubia media, ubi alia non ſuppetunt, tum eſſe adhibenda, cùm iis neglectis, ſalus deſperata videatur, & iis adhibitis, ſpes aliqua ſalutis affulgeat.

Dices 3. in moralibus impoſſibile eſt habere certitudinem, dicente Scriptura Sap. 9. *cogitationes . . . . mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.* Job ipſe à Deo laudatus fatetur ſe dubitaſſe de omnibus operibus ſuis; *verebar*, inquit cap. 9. *omnia opera mea*, in quem locum ſic ſcribit ſanctus Gregorius, *bonarum mentium eſt agnoſcere culpam, ubi culpa non eſt:* Ergo.

Diſtinguo antecedens. Certitudinem metaphyſicam aut phyſicam, Concedo: ac proinde ſcrupuloſi fruſtra eam quærunt: certitudinem moralem, qualem ſupra explicuimus pag. 289. Nego antecedens. Hac morali certitudine non caruit beatus Job, ſcivit quippe eleemoſynam &

alia

alia pietatis opera eſſe objectivè bona. Sed verebatur, ne ea qua par eſt intentione illa non perficeret. *Dicendum*, inquit S. Thomas ſupra qu. 6. art. 4. *quòd agnoſcere culpam, ubi culpa non eſt, poteſt eſſe dupliciter. Uno modo ut intelligatur quàm ad ſubſtantiam actus, & ſic non ad bonam mentem pertinet, ſed ad errantem, ut ſe actum aliquem commiſiſſe agnoſcat, quem non commiſit. Alio modo quantum ad conditionem actus, & ſic verum eſt, quod S. Gregorius dicit, quia juſtus in actu, qui de ſe bonus eſt, formidat ne aliquis defectus ex parte fuerit. Et ideò juſtus, qui eſt verè humilis, non reputat ſe deteriorem, quantum ad perpetrationem actus, qui ſit pejor ex genere, ſed quia timet ne in iis, quæ benè agere videtur, per ſuperbiam graviùs delinquat.*

Quod adducitur ex Sapiente, ſpectat duntaxat conſiliorum & actionum noſtrarum ſucceſſus, de quibus plerumque certi eſſe non poſſumus. Rex v. g. incertus eſt de victoria, licèt bellum evidenter juſtum, & neceſſarium ſuſcipiat; mercator timet, ne malè ſuccedat negociatio, quam certò novit non eſſe iniquam. Unde concludit Sapiens, mortales non propria providentia, ſed divino auxilio niti debere.

Ergo ad bonam conſcientiam non requiritur certitudo metaphyſica aut phyſica, ſed moralis ſufficit. Hoc agnovit Ariſtoteles Lib. 2. Metaph. ubi ſic habet: *Certitudinem metaphyſicam non oportet in cunctis quærere, ſed in his, quæ non habent materiam.* Et ſanctus Thomas 2. 2. qu. 70. art. 2. *In actibus humanis*, inquit, *non poteſt haberi certitudo demonſtrativa, eo quòd ſunt circa contingentia & variabilia. Et ideo ſufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etſi in paucioribus à veritate deficiat.* Et

Opuſc. de Fallaciis cap. 2. *Probabilia dicuntur, quæ videntur omnibus, vel præcipuis, vel pluribus, vel maximè notis.* Sanctus quoque Antoninus 2. part. tit. 3. cap. 10. §. 3. eadem mente ſic ſcribit: *Non conſurgit moralis certitudo ex evidentia demonſtrationis; ſed ex probabilibus conjecturis groſſis & figuralibus, magis ad unam partem, quàm ad aliam ſe habentibus.* Sed de conſcientia probabili ſeparatim dicendum propter ſpeciales difficultates, quas invexit recentiorum doctrina, apud quos tanquam effatum obtinuit, qui probabiliter agit tutò & prudenter agit.

CAPUT IV.

De Conſcientia probabili.

Q. 1. *Conſcientia, quæ nititur opinione probabili eſtne bona & tuta?*

Hìc in memoriam revocanda, quæ diximus pag. 318 & ſeq. nempe opinionem probabilem aliquando excludere erroris formidinem, aliquando verò eam admittere vel propter rationes oppoſitas, quas ſufficienter non ſolvit, vel propter auctoritatem contradicentis minimè contemnendam. Hæc patent exemplis pag. 313. allatis. Quibus præmiſſis facilè ſolvitur propoſita quæſtio.

R. Itaque primò, conſcientia, quæ fulcitur opinione priori modo probabili, bona eſt & tuta; quia conſcientia moraliter certa ex dictis eſt bona & tuta: atqui conſcientia, quæ fulcitur opinione hoc modo probabili, eſt moraliter certa. Ergo.

Confirmatur, tum ex Alexandro VIII. qui anno 1690. hanc damnavit propoſitionem, *non licet*

cet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam; tum ex Clero Gallicano ſic ſcribente anno 1700. *Abſit verò ut probemus eorum errorem, qui negant licere ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam: ſed ad rectum uſum probabilium opinionum has regulas à jure præſcriptas agnoſcimus. Primum ut in dubiis de ſalutis negotio, ubi æqualia utrimque animo ſeſe offerunt rationum momenta, ſequamur id quod tutius: ſive quod eſt eo in caſu unicè tutum; neque id conſilii, ſed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura, qui amat periculum, in illo peribit.*

R. Secundò, conſcientia, quæ nititur opinione poſteriori modo probabili, nec eſt bona, nec tuta.

Probatur 1. Quia conſcientia dubia eſt mala, ut præcedenti capite dictum eſt, atqui conſcientia, quæ nititur opinione hoc poſteriori modo probabili eſt dubia, imò tum veriſimiliùs eſt falſa, cùm momenta opinionis oppoſitæ præponderant. Ergo.

Probatur 2. quia nova doctrina in iis, quæ ad fidem & mores pertinent, rejicienda eſt ut ſpuria, & à moribus Chriſtianis aliena: atqui doctrina, qua aſtruitur pro regula morum opinio hoc poſteriori modo probabilis, eſt nova, & in Eccleſia ante elapſum ſæculum inaudita.

Major probatur. Quia illud intereſt inter Concluſiones Philoſophicas & Theologicas, quòd Philoſophicæ eruantur ex ipſis naturæ viſceribus quæ ſucceſſu temporis novis effectibus & experimentis magis ac magis ſeſe explicant, quo fit, ut juniores veteribus evadant doctiores. Contra verò cùm Concluſiones Theologicæ deducuntur ex iis, quæ Chriſtus per ſeipſum & per Apoſtolos Eccleſiæ tradidit, recentiores Theologi omnem

suam doctrinam à majoribus hauriant necesse est. *Ex ipso ordine*, inquit Tertullianus Lib. de Præscript. c. 31. *manifestatur id esse dominicum & verum, quod sit prius traditum, id autem extraneum, quod posterius immissum.* Ergo novitas doctrinæ in Theologia falsitatis notam præ se fert manifestam.

Minor probatur testimonio Cleri Gallicani his verbis expresso anno 1700. *Quod in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi, ut probabiliorem eligendam judicemus, hoc novum, hoc inauditum, hoc certis ac notis auctoribus postremo demum sæculo proditum.*

Sed frustra testibus agimus contra Adversarios, cùm eorum habeamus confessionem, *tota Theologia moralis nova est*, inquiunt illi, eoque feliciorem Ecclesiam jactitant, quòd sua novitate viam, quam Christus arctam fecerat, laxiorem reddiderint, innumerosque Ecclesiæ filios ad cœlestem patriam securè perducant, qui alioquin viæ asperitate deterriti ne pedem in ea figere ausi periissent. Unde audacter in hæc verba concludunt: *Doctrina morum magis à junioribus petenda est:* quam propositionem Academia Parisiensis anno 1665. & Clerus Gallicanus anno 1700. damnarunt ut falsam, scandalosam, sanctis Patribus & antiquis Doctoribus contumeliosam, & in praxi perniciosam.

Enimverò hæc opinandi libido nihil intactum & integrum in lege etiam naturali reliquit, ut discurrenti per singula Decalogi præcepta patebit. Namque juxta probabilitatis leges homo in toto vitæ decursu non tenetur actum dilectionis Dei, & proximi elicere. Condonatio injuriarum non est præcepti, sed consilii, sicut virginitas.

Licitum

Licitum eſt aliquando mentiri, vel etiam pejerare: deſiderare mortem patris ob temporale emolumentum: occidere aggreſſorem non ſolùm in periculo vitæ, ſed etiam honoris, & rei familiaris, etiam unius aurei: multa obſcœna facere aut pati, quæ pudor exprimere vetat: furari in gravi neceſſitate: lucrum ex mutuo exigere, cùm numerata pecunia pretioſior ſit, quàm numeranda. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt deneganda, nec differenda abſolutio, dummodò ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem. Quare meritò Clerus Gallicanus in ſua Epiſtola encyclica anno 1655. ſic ſcribit: *Une profonde ignorance ſeroit beaucoup plus ſouhaitable, qu'une telle ſcience, qui apprend à tenir toutes choſes problematiquement, & à chercher des moyens, non pas pour exterminer les mauvaiſes habitudes des hommes, mais pour les juſtifier, & pour leur donner l'invention de les ſatisfaire en conſcience: car aulieu que Jeſus Chriſt nous donne ſes preceptes, & nous laiſſe ſes exemples, afin que ceux qui croyent en lui, lui obeiſſent, le deſſein de ſes auteurs paroit etre d'accommoder les preceptes & les regles de Jeſus Chriſt aux interêts, aux plaiſirs, & aux paſſions des hommes.*

Ergo in omnibus actibus noſtris hæc nobis præſcripta ſit regula, quam Clerus Gallicanus anno milleſimo ſeptingenteſimo demonſtrat tanquam ſolam, veram & tutam, *ut in rebus Theologicis ad fidei & morum dogmata ſpectantibus Theologos quidem etiam modernos audiamus, ſi tamen conſonas ſanctis Patribus tradant ſententias. Deinde, ut ſi ab eis recedant, harum opinionum inhibeatur curſus, nedum earum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur auctoritas.*

Denique ut nemini liceat eligere eam ſententiam , quam non veritati magis conſentaneam duxerit.

Dices 1. ex conceſſis, quivis cum morali certitudine fidem adhibet teſtimonio ſui probati Paſtoris , vel alterius viri probi : atqui pluſquam viginti Theologi aſſerunt, tutò fidem adhiberi libro vel unius Doctoris moderni, dum non conſtat opinionem ejus rejectam eſſe à Sede Apoſtolica , imò ad ducentos numerantur Theologi, qui docent tutum eſſe in conſcientia, qui agit ex opinione minùs probabili. Ergo.

Reſpondeo 1. Paſtorem aut quemvis Theologum peccare, cùm uti certum conſulit, quod novit tanquam falſum à pluribus impugnari.

Reſpondeo 2. nec ſubditum debere aſſentiri Parocho , nec pœnitentem Confeſſario ubi reſcire poſſunt & debent ſe dubia audire. *In his, quæ pertinent ad fidem & bonos mores , nullus excuſatur , ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus Magiſtri ,* inquit ſanctus Thomas quodlibet. 3. art. 10. & ſanctus Antoninus 1. part. tit. 20. *dubium probabile eſt, cùm ſcilicet rationes ſunt ad utramque partem quaſi æquales : & peccatum grave eſt ſe exponere tali dubio , ubi eſt morale.* Unde in forma

Diſtinguo anteced. Quivis cum morali certitudine aſſentitur ſuo Paſtori & Confeſſario, cùm prudenter judicat illos vera dicere, nullo contradicente, Concedo ; ſic prudenter quis ſumeret poculum , quod vir probus ſalutare aſſereret, quamvis revera eſſet lethiferum : Si noverit alios etiam fide dignos contradicere. Nego anteced. Patetque allato poculi exemplo, à quo quilibet abſtinebit, ſi audiat alium aſſerentem, quòd ſit veneno infectum.

Ad Confirmationem reſpondeo, turbam patronorum opinionis probabilis non eſſe magni faciendam; tum quia alii alios inſtar ovium, ſine judicio ſequuntur: tum quia ex Navarro Enchir. c. 27. opinio communis non eſt numero opinantium æſtimanda, ſed pondere auctoritatis, quæ ſanè nulla eſt in iis, qui aliter docent quàm Eccleſiæ Paſtores, à quibus populi legem requirere debent, dicente Domino, *qui vos audit*, *me audit*, Luc. 10. & iterum, *oves . . . non noverunt vocem alienorum*, Joan. 10. Quis autem magis alienus, quàm qui ab Apoſtolica Traditione recedit?

Inſtabis: atqui Eccleſiæ Paſtores abſolutè non proſcripſerunt opinionem probabilem, ſed eam duntaxat, quam vel Eccleſia corrigit, vel quæ proximum exponit periculo damni ſive ſpiritualis, ſive temporalis, ut contingit in Sacramentis adminiſtrandis, & judiciis ferendis, in quibus nec Sacerdos nec Judex ſequi debent opinionem probabilem, relicta tutiore.

Reſpondeo 1. nec nos rejicimus omnem opinionem probabilem, quin probavimus quemlibet ex ea prudenter & tutò operari, ſi ſit moraliter certa. 2. Piæ aures offenduntur, cùm audiunt periculum Legem Dei tranſgrediendi non eſſe timendum ſequendo opinionem probabilem, ſi inde nullum proximo nocumentum ſive ſpirituale ſive temporale accidere poſſit, quaſi verò minùs cavenda ſit Dei offenſa, quàm proximi. 3. Innocentius XI. & Clerus Gallicanus duas ſequentes propoſitiones damnarunt. Prima ſic jacet, *ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi*, *Ordinis Sacerdotalis*, *aut Epiſcopalis*. Hanc doctrinam vocat Clerus Gallicanus peſſimum probabi-

babilitatis fructum. Secunda his verbis concipitur: *generatim dum probabilitate quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Hìc pro regula morum commendatur opinio verè, & juxta ſtrictos probabilitatis apices probabilis, reprobatur tamen ab Innocentio XI. uti ſcandaloſa & pernicioſa, à Clero Gallicano inſuper ut falſa, temeraria, ſtatuens novam morum regulam, novumque prudentiæ genus, ſine ullo Scripturarum & Traditionis fundamento, denique cum magno animarum periculo. Ergo ſimpliciter & abſolutè falſum eſt bonam eſſe conſcientiam, quæ nititur opinione verè probabili probabilitate ſive intrinſeca ſive extrinſeca, niſi opinio illa ſit moraliter certa.

Falſum quoque eſt opinionem cenſendam probabilem, quamdiu ab Eccleſia non corrigitur, aut non conſtat rejectam à Sede Apoſtolica, quemadmodum declararunt Alexander VII. Clerus Gallicanus, & Academia Pariſienſis.

Urgebis: impoſſibilis eſt in praxi moralis illa certitudo: Theologi enim morales vix conſentiunt, ubi expreſſam non habent Eccleſiæ definitionem, quæ ſanè in ſingulis actionibus haberi nequit propter novas, quæ quotidie occurrunt, circumſtantias. Ergo in tanta opinionum varietate, hæc regula morum ſtatuatur neceſſe eſt, nimirum, opinio probabilis eſt practicè certa. Item, in problematicis licitum eſt eligere quamlibet opinionem, modò ſit verè probabilis, nitaturque gravis Theologi auctoritate.

Probatur antecedens. Ut habeatur opinio moraliter certa, oppoſita debet apparere falſa, vel ſaltem minimè probabilis, ut ſupra diximus: atqui

atqui in contrarietate opinionum, quæ in moralibus ferè ſemper occurrit, nec veritas à falſitate, nec probabilitas ab improbabilitate ab ullo ſecerni poteſt. Non à mulierculis, & ab idiotis, qui conſilio & auctoritate Doctorum duntaxat nituntur. Quomodo enim ipſis pateret auctoritatem unius alteri eſſe præferendam? An quia ille doctior habetur? ſed doctiores nonnunquam ſententias laxiores & minùs probabiles ſequuntur.

Non ab eruditis, quippe qui id unum ex ſuo examine conſequi poſſunt, nempe quamlibet ex oppoſitis opinionibus veriſimilem videri habere ſuos patronos, nec certò apparere utra ſit determinatè vera aut falſa.

Ergo ubi non prælucet Eccleſiæ definitio, nulla poteſt eſſe certitudo in practicis; ac proinde quamdiu non conſtat opinionem ab Eccleſia eſſe rejectam, ut improbabilem, prudenter teneri poteſt.

Confirmatur ex communi hominum praxi. Qui diriguntur opinionibus minimè certis, quales ſunt iſtæ, licet tutoribus lucrum exigere ex mutuata pupillorum pecunia. Clerici licitè poſſident plura Beneficia, quamvis unum ex illis ſufficiat ad honeſtam eorum ſuſtentationem. Iſtæ enim propoſitiones oppoſitis negantibus ſunt procul dubio minùs probabiles, & nihilominus abſque conſcientiæ ſcrupulo ab omnibus ferè habentur pro tuta regula.

Nego anteced. Omnes enim ſive eruditi, ſive idiotæ, ſi pura mente & ſimplici corde verum practicum quærant, certò invenient. *Doctrina prudentium facilis*, nempe inventu, ait Sapiens Prov. 24. verſ. 6. Eruditi quidem; quia etſi ex

oppo-

oppoſitis ſententiis determinare non poſſint, quæ ſit ſpeculativè vera: evidenter tamen concludent alteram eſſe in praxi certam & eligendam, ut videre eſt in hoc exemplo. Sit opinio probabiliter affirmans hunc contractum eſſe licitum, attritionem ſine initio dilectionis, in Sacramento ſufficere: ſit quoque oppoſita utrumque probabiliter negans. Quis non videat affirmantes illas opiniones, quantumcunque ſupponantur probabiles, eſſe in praxi periculoſas, & ideo dimittendas; negantes verò in praxi certiſſimas ac tutiſſimas, ac proinde tenendas? hanc tutam regulam Clerus Gallicanus præſcribit Confeſſariis in hæc verba: *Pœnitentes admonere non ceſſent, ut in pœnitendo inchoatæ ſaltem dilectionis Dei ineant viam, quæ ſola ſecura ſit, graviter peccaturi in hoc ſalutis diſcrimine, vel eo ſolo quòd certis incerta præponant.*

Mulieres quoque, & omnes idiotæ, qui plerumque ſola auctoritate ducuntur, erunt moraliter certi, ſi in opinionum varietate ſapientum judicio adhæreant, quos ſciunt ſine perſonarum acceptione viam Domini docere.

Nec dicas hujuſmodi Sapientes latere in tanta opinantium turba. Quomodo enim non detegerentur ab iis, qui vera ſectantur; cùm ipſi amatores ſæculi illos vel eo ſolo palam demonſtrent, quòd tam ſollicitè illorum examen & judicium fugiant. Quòd igitur mulieres & idiotæ fallaciis opinantium aliquando decipiantur, tribuendum eſt pravis eorum affectionibus. *Juxta iniquitatem interrogantis, ſic iniquitas Prophetæ erit*, ait Dominus Ezech. 14. v. 10.

Reſpondeo ad exempla in confirmationem adducta.

Ad primum. Nullatenus probabile eſt, ſed prorſus falſum ſecundùm Legem tum Divinam, tum Eccleſiaſticam, tum Civilem, licere tutoribus lucrum captare ex mutuata pupillorum pecunia, ut multis probamus Tract. de Juſtitia & Jure.

Ad ſecundum: latum eſt diſcrimen inter has propoſitiones, licitum eſt retinere plura Beneficia, vel ob Eccleſiæ utilitatem, vel ad honeſtam Beneficiarii ſuſtentationem. Licitum eſt plura Beneficia retinere, quamvis nec evidens Eccleſiæ utilitas, nec vera Beneficiarii neceſſitas id exigant; namque prior propoſitio vera eſt & certa, ex Concilio Lateranenſi IV. cap. *Quia*, tit. de Præbendis & Dignitatibus, & ex Tridentini Seſſ. 24. cap. 17 de Reform. Poſterior verò eſt abſolutè falſa, & prorſus improbabilis ex Concilii Tridentini cit. cap. 17. ubi Patres ſic loquuntur: *Cùm Eccleſiaſticus Ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, ſanctè ſacris Canonibus cautum fuit neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi. Verùm quoniam multi improbæ cupiditatis affectu ſeipſos, non Deum, decipientes, ea quæ benè conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul Beneficia obtinere non erubeſcunt: Sancta Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens in poſterum unum tantum Beneficium Eccleſiaſticùm ſingulis conferatur*, &c.

Nec dicas: Concilium Tridentinum in iis, quæ pertinent ad diſciplinam, non eſſe receptum in Galliis. Nam pluralitas illa, ex Concilio Tridentino, eſt merus abuſus, & ab Eccleſia ſæpe damnatus: ergo independenter à nova Concilii Tridentini lege ſimpliciter eſt illicita & prohibita, quod ultrò concedunt & docent iidem ipſi, qui

plura

plura Beneficia poſſident. Quòd ſi ab iis quæras, qua ergo conſcientia illa retineant? reſpondebunt illa ſibi eſſe neceſſaria ad honeſtam ſtatus ſuſtentationem, & Eccleſiæ cui præſunt, utilitatem. Ergo malè obtruditur eorum exemplum in patrocinium opinionis minùs probabilis. Negandum tamen non eſt nonnullos Clericos ex ignorantia, vel ex cæca cupiditate abuti hoc exemplo, ſibique videri probabile ſaltem probabilitate extrinſeca pluralitatem Beneficiorum, etiam ſine juſta cauſa, eſſe licitam. Sed iiſdem Judicibus condemnantur, quorum auctoritate ſe tueri contendunt.

Dices 2. eſt regula juris, in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, & benignior ſententia eſt eligenda: Ex qua regula certò concludunt Theologi eum, qui adhibita omni diligentia, adhuc patitur dubium num retineat rem alienam, aut matrimonium, quod bona fide contraxit, ſit legitimum, non teneri reſtituere, aut abſtinere ab uſu matrimonii: atqui privatus quiſque eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis; ergo quamdiu certò elucidari non poteſt quis ſit ſenſus legis, ut contingit in oppoſitione probabilium opinionum, nemo tenetur legem ſervare, ſed liberum eſt cuique amplecti quam maluerit opinionem, peccabitque Confeſſarius, ſi pœnitentem abſolvere nolit ſecundùm faventiſſimam opinionem. Ita Probabiliſtæ.

Reſpondeo 1. diſtinguendo majorem: Eſt regula juris in iis, quæ ſpectant juſtitiam, contractus & judicia, Concedo: præſumi enim debet eum qui bona fide poſſidet, & contractum iniit, juſto titulo poſſidere, & ſecundùm leges contraxiſſe;

traxiſſe; alioquin ſtare non poſſet humana ſocietas ob innumera ſcandala, quæ orirentur, ſi propter naſcentia dubia proximus eſſet ſpoliandus, aut puniendus, diſſolvenda matrimonia, & alii contractus. Eſt regula juris univerſaliter ſervanda in qualibet materia, Nego majorem; obſtant enim ſupra laudatæ regulæ, *in iis, quæ dubia ſunt, quod certum exiſtimamus, tenere debemus*, cap. *Juvenis, de Sponſalibus. In iis, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, pars ſecurior eſt tenenda*, Clementina cap. *Exivit*, de verborum ſignificatione.

Reſpondeo 2. negando min. Imò ſtat poſſeſſio primò pro Lege naturali & divina: Deo quippe ſemper obligata fuit noſtra libertas, juxta illud Regii Prophetæ Deum ſic alloquentis Pſal. 115. *O Domine, quia ego ſervus tuus . . . & filius ancillæ tuæ*, id eſt, vernaculus ex ancilla tua tibi natus. Ergo in dubio Juris naturalis & divini, nefas eſt contra Deum litigare, & libertatem humanam aſſerere. 2. Stat quoque poſſeſſio pro Lege humana; naſcimur enim cives, & ſubditi Reipublicæ. Soliſque reclamantibus Anabaptiſtis, uſum noſtræ libertatis prævenit Eccleſiæ auctoritas, adverſus quam ſecurum non eſt ſe tueri novellis Probabiliſtarum opinionibus.

Fatendum tamen eſt in hypotheſi, quòd Lex humana ſit obſcura, nec ſecundùm communem Theologorum ſententiam conſtet de mente Legislatoris, liberum & tutum eſſe in conſcientia amplecti alterutram ex oppoſitis opinionem: quia per uſum præſcribitur contra Legem humanam, præſumiturque Legislator ſilentio ſuo conſentire in oppoſitas Legis ſuæ interpretationes. Eccleſia v. g. ad jejunandum obligat omnes, qui ſunt

ſunt ſatis robuſtæ ætatis, & ad reſtituendum compellit ſingulos uſurarii hæredes; ſed non figit tempus, quo incipiat illa ætas ſatis robuſta, nec explicat utrùm ſinguli hæredes in ſolidum teneantur. Unde Theologi ſic in oppoſitas abeunt ſententias, ut nullam ex iis judicent falſam aut improbabilem, conſentiantque in praxi quamlibet eligi poſſe, nimirum juvenes ante vigeſimum primum ætatis annum non teneri lege jejunii, nec uſurarii hæredes in ſolidum ad reſtitutionem teneri.

Ergo, inquies, immeritò proſcripta eſt ſupra allata propoſitio, *non ſunt erroneæ opiniones, quas Eccleſia non corrigit.*

Nego conſeq. Namque 1. in dubio circa Legem naturalem aut divinam ſemper certa incertis ſunt præferenda; quia adverſùs illas non currit præſcriptio. 2. Novellæ opiniones, quæ pugnant vel contra legem humanam clarè expreſſam, vel contra communem Theologorum ſententiam meritò habentur ſcandaloſæ & erroneæ, etiamſi Eccleſia eas nondum correxerit. Eccleſia quippe non ſolet colligere zizania, quæ inimicus homo identidem ſeminat in agro Domini, niſi cùm prævalere incipiunt; periculumque eſt ne bonum ſemen ſuffocent. Hæ ſequentes opiniones, & aliæ benè multæ à modernis evulgatæ contra communem Catholicorum ſenſum, *præceptum obſervandi feſta & jejunia non obligat ſub mortali. Satisfit præcepto audiendi Sacri per reverentiam exteriorem, animo licèt voluntariè in aliena defixo. Omnes qui in Republica corporaliter laborant, excuſantur ab obligatione jejunii.*

Hæ,

Hæ, inquam, propoſitiones erant ſcandaloſæ & in praxi periculoſæ ante cenſuras Sedis Apoſtolicæ, & Epiſcoporum.

CAPUT V.

De tuta & tutiore opinione.

Q. I. *Quid eſt opinio tuta?*

R. Eſt opinio moraliter certa. Patet ex dictis.

Q. 2. *Eſtne obligatio eligendi opinionem tutiorem?*

R. Minimè: quia ſecundùm prudentiæ leges non eſt timendum aut fugiendum, quando nullum eſt periculum: atqui nullum periculum incurrit, qui ſequitur opinionem tutam. Ergo.

Q. 3. *Eſtne conſilium ſequi opinionem tutiorem?*

R. Quando opinio tutior ſpectatis circumſtantiis hominem magis expeditum reddit ad virtutem, ſalubre eſt conſilium eam amplectendi: *Eligere viam tutiorem*, inquit S. Antoninus, *conſilii eſt, non præcepti; aliàs oporteret multos ingredi Religionem, in qua tutiùs vivitur, quàm in hoc ſæculo.* Sed ſi opinio tutior ſcrupulis faveat, majoribuſque difficultatibus implicet, prorſus eſt dimittenda. Quare, licèt tutius videatur ſcrupuloſo horas repetere, alterum Sacrum audire, prohibendus tamen eſt ſuis ſcrupulis indulgere; quia *timor ſine ſapientia Dei eſſe non debet*, ait S. Bernardus.

Dices: ex laudatis Canonibus, ſemitam tutiorem debemus eligere, pars ſecurior eſt tenenda. Ergo.

Diſtinguo antecedens; eligenda eſt pars tutior & ſecurior, tutior, inquam, juxta commu-

nem loquendi morem, quo dicimus tutius, quod removet periculum, v. g. tutius esse abstinere à cibo, quem timemus ne sit lethifer, tutius viam non ingredi, quæ dicitur à latronibus obsideri, ubi vox, *tutius*, sumitur pro tuto, Concedo: pars tutior secundùm Grammaticæ leges, & prout Comparativum opponitur Positivo, hoc est, tutius tuto, Nego antecedens: nam ex ipsa lectione laudatorum Canonum liquet, tutius opponi dubio, & partem securiorem parti, quæ graves stimulos conscientiæ pareret.

* *
* *

SECUNDA PARS
De Legibus.

CAPUT PRIMUM.
De Legis nomine, & varia ejus acceptione.

Q. 1. *Unde Lex sic vocatur?*

R. Juxta S. Thomam 1. 2. q. 90. art. 1. dicitur *à ligando*; quia proprius ejus effectus est ligare, seu obligare subditos. Secundùm verò auctorem lib. q. Novi Testamenti q. 15. dicitur ab eligendo. *Lex*, inquit, *à lectione, id est, electione dicta est, ut de multis quid eligas, scias.* In mente autem S. Isidori Lib. 2. Etym. cap. 10. Lex dicta est *à legendo*; quia lex debet esse scripta, & ideo legenda.

Q. 2. *Quare lex nonnunquam jus appellatur* , *v. g. Jus naturale*, *Jus civile*, &c.

R. Quia est quædam jussio actionum justarum; jus enim derivatur secundùm quosdam à verbo, *jubeo*, & secundùm alios à nomine *justitia.*

Q. 3. *Quotuplici modo lex accipitur?*

R. Duplici. 1. latissimè & impropriè. 2. strictè & propriè.

Q. 4. *Quid est lex impropriè sumpta?*

R. Est regula & mensura, secundùm quam res quælibet inducitur ad operandum, vel ab operando retrahitur. Ita ferè S. Thomas cit. art. 1.

Secundùm hanc legis acceptionem, omnia sive rationalia, sive irrationalia & inanimata; artes quoque etiam illicitæ suas habent leges, quibusdam enim regulis diriguntur. Hoc sensu dicuntur Leges Grammaticæ, militiæ, mundi. Scriptum quoque legitur Prov. 8. *Legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Et Rom. 7. Fomes peccati, & inordinatus appetitus vocantur lex peccati, lex membrorum. Quamquam S. Augustinus Lib. 1. ad Simplicianum qu. 1. & S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 1. velint, illam inordinationem dici legem denominatione extrinseca & metaphorica, quomodo Scriptura dicitur manus, quia est à manu: & sermo lingua, quia à lingua procedit. Sic fomes peccati, & concupiscentia vocantur lex, quia sunt effectus Divinæ Legis, secundùm quam homo propter peccatum originale justissimè privatur rectitudine, in qua conditus fuerat: *quam sarcinam*, inquit S. Augult. *prementem & urgentem ideo legem appellat; quia jure supplicii divino judicio attributa & imposita est.*

Q. 5. *Quid est lex strictè & propriè sumpta?*

R. Eſt regula morum, ſecundùm quam aliquis inducitur ad bonum, & retrahitur à malo. Ergò lex propriè dicta non competit creaturis irrationabilibus & inanimatis, quia non ſunt capaces obedientiæ: nec ad præceptum iniquum transferri poteſt; quia hujuſmodi præceptum non eſt regula morum, ſed deviatio à regula. Unde S. Auguſt. Lib. 1. de lib. arbitr. cap. 5. ſic habet: *mihi lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit.*

CAPUT II.

De Definitione Legis.

Q. 1. *Quomodo Lex definitur?*

R. Definitur, rationis ordinatio ſtabilis, ad bonum publicum, promulgata ab eo, qui curam habet communitatis cum intentione obligandi ſubditos.

Dicitur 1. *rationis ordinatio;* quia lex eſt actus prudentiæ, quo Legislator membra Reipublicæ inter ſe componit, & aptis mediis dirigit ad ſuum ultimum finem. *Lex*, inquit Cicero Lib. 2. de Legibus, *eſt recta ratio in jubendo & vetando.* Et 1. Ethic. cap. 9. dicitur *ſermo ab aliqua prudentia & mente profectus.*

Ergo lex eſt actus intellectus, cùm ſit judicium practicum dictans ſubditis hæc eſſe vel facienda, vel fugienda.

Dices: Lex eſt præceptum & juſſio: atqui præceptum & juſſio pertinent ad voluntatem: Ergo lex eſt actus voluntatis.

Diſtinguo minorem ad mentem S. Thomæ cit. art. 1. ad tertium. Præceptum & juſſio pertinent

nent ad voluntatem præſuppoſitivè, Concedo: formaliter, Nego minorem. Namque lex eſt actus prudentiæ; prudentia autem eſt virtus intellectus; neceſſariò tamen præſupponit in voluntate intentionem finis; quia prudentiæ eſt, ordinare media ad finem conſequendum, v. g. ad bonum commune procurandum; ſed media non quæruntur, niſi finis, nempe bonum commune efficaciter intendatur, ac proinde intellectus à voluntate moveri debet ad ferendam legem; & ideo voluntas Principis dicitur à Juriſperitis habere legis vigorem. Porro ex duplici illo actu, ſcilicet intellectus & voluntatis, qui ad legem faciendam concurrit, Lex in Scripturis vocatur lux, lucerna, Dei voluntas, Prov. 6. verſ. 23. *Lex lux.* Pſalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis.* Pſalm. 102. *Notas fecit vias ſuas Moyſi, & filiis Iſrael voluntates ſuas*, id eſt, Leges. 2. Mach. 1. *Det vobis cor omnibus, ut colatis eum & faciatis ejus voluntatem.*

Dicitur 2. *Stabilis & perpetua*, hoc eſt, non ad tempus, ſed in perpetuum duratura, niſi abrogetur: quo differt lex à mandato vel præcepto, quod non eſt ita firmum & ſtabile; & ratio eſt, quia præceptum non ſolet dirigi; niſi ad privatas perſonas, aut familiam, quæ ſucceſſu temporis extinguitur: Lex verò imponitur toti communitati, quæ nunquam interit.

Ergo lex ligat non ſolùm præſentes, ſed& eorum ſucceſſores, non verò præceptum, aut mandatum.

Ergo defuncto Epiſcopo, ſtatuta ejus obligant, quamdiu non revocantur à ſucceſſore. Secus ſentiendum de ejus mandatis, quæ non ſunt lata per modum legis aut ſtatuti.

 Dici-

Dicitur 3. *ad bonum publicum;* quia poteſtas legislativa eſt à Deo, Rom 13. v. 1. & Principibus ſive Eccleſiaſticis, ſive Politicis conceſſa, non in eorum privatam utilitatem, ſicut poteſtas dominativa domini in ſervum & rem domeſticam; ſed in totius Reipublicæ ædificationem, 2. Cor. cap. 10. v. 8. turpe enim eſt totum ad partem referri, cùm pars naturaliter ordinetur ad totum. Unde Ariſtoteles Lib. 4. Ethic. cap. 1. ſcribit, leges ad Rempublicam accommodandas, non Rempublicam ad leges. Additque l. 8. c. 10. in hoc differre tyrannum à Rege, quòd ille propriam, hic communem utilitatem quærat.

Ergo vera lex non eſt, nec ligat ſubditos, quæ Juri naturali ſive divino contraria eſt.

Dices 1. cum Machiavello, & aliis Pſeudo-Politicis: finis in practicis habet rationem principii, ad quod reduci debent omnes leges: atqui publica tranquillitas, & temporalis felicitas eſt finis regiminis politici: ergo ad eam reduci debent omnes leges civiles. Porrò Religionis præcepta, & honeſtatis regulæ non modò ad pacem conciliandam, aut conſervandam reduci non poſſunt, quin aliquando ei adverſantur: ergo Princeps Politicus hujuſmodi præceptis non aſtringitur.

Diſtinguo minorem: Temporalis felicitas eſt finis proximus Reipublicæ, Concedo: finis ultimus, Nego minorem. *Felices Imperatores eos dicimus*, ait S. Auguſtinus Lib. 5. de Civ. Dei cap. 24. *ſi juſtè imperant . . . ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, majeſtatis ejus famulam faciunt.*

Ad ſubſumptum reſpondeo. Solus impius & Atheus dixerit veræ Religionis præcepta, & honeſtatis regulas publicæ tranquillitati obeſſe, idem enim

enim eſt ac ſi dicatur, non eſt Deus, qui curet res humanas; aut, Sapientiæ æternæ præferenda eſt ſæculi prudentia, & vitium virtuti; quam impietatem exhorruerunt ipſi Gentiles, qui docent Legislatoris ſcopum eſſe, facere bonos cives, 2. Ethic. capit. 1. & Lib. 1. Digeſt. de Juſtitia & Jure: *Juſtitiam colimus, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolùm metu pœnarum, ſed etiam exhortatione præmiorum efficere cupientes.*

Inſtabis: ſi poteſtas civilis habet cultum Dei, & beatitudinem æternam pro fine, non diſtinguetur à poteſtate Eccleſiaſtica: falſum conſequens; Deus enim voluit utramque diſtingui: ergo & anteced.

Nego ſequelam majoris. Quia utraque poteſtas diverſis mediis ad unum & eundem finem tendit: civilis quippe Deo ſervit in adminiſtratione rerum terrenarum; Eccleſiaſtica verò in diſpenſatione rerum ſpiritualium, *arma militiæ noſtræ*, inquit Apoſtolus 2. Cor. 10. *non carnalia ſunt, ſed potentia Deo.*

Ergo materia Legum Canonicarum ſunt res ſpirituales, Civilium verò res temporales, quemadmodum S. Athanaſius monet Imperatorem Conſtantinum in ſua Apologia, his verbis: *Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit; neque enim fas eſt in terris nos imperium tenere, neque tu thymiamatum & ſacrorum poteſtatem habes.*

Sæculi tamen Principes, uti Eccleſiæ defenſores & protectores, curare poſſunt & debent, ut Eccleſiaſticæ Leges obſerventur. Unde Leo Magnus ad Leonem Imperatorem ſic ſcribit Ep. 73. *Debes incunctanter advertere, regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſi-*

dium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas & veram pacem, his quæ sunt turbata, restituas.

Dices 2. Si de essentia legis sit, ut feratur in bonum publicum, sequitur, non esse obtemperandum legibus, quamdiu de recta Legislatoris intentione non constiterit.

Nego sequelam: tum quia præsumi debet recta Legislatoris intentio, si opus ab eo præceptum sit justum, & Reipublicæ utile: tum quia rectitudo in mente Legislatoris non pertinet ad essentiam legis, sed sola bonitas operis injuncti; nam ex S. Aug. Lib. 1. de libero arbitr. cap. 5. *Si ille cum aliqua libidine hoc statuit, non ex eo fit, ut ei legi cum libidine obtemperare necesse sit; quia bona lex à non bono ferri potest.*

Instabis: atqui leges tributorum non sunt in bonum publicum, sed in privatum Principis commodum: ergo non sunt veræ leges.

Nego subsumptum; quia Princeps hìc non spectatur ut privata persona, sed ut caput Reipublicæ, quam administrare non potest sine magnis expensis. Quare Reipublicæ interest, ut ærarium Principis sit locuples, quantùm necesse est ad publica onera sustinenda.

Dices 3. hæc definitionis particula subditorum inobedientiam fovet, & ad seditionem inducit; familiare quippe est subditis, conqueri se gravari legibus superfluis & iniquis: Ergo hæc particula ex definitione legis est delenda tanquam publicæ tranquillitatis perturbativa.

Nego antecedens; namque 1. non ex vulgi opinione, sed ex sapientum judicio æquitas legum pensanda est. 2. In dubio, sitne lex justa an

an injusta, utilis an superflua, præsumptio esse debet pro Legislatore; quia, ut jam dictum est, in dubiis melior est conditio possidentis: atqui superior est in possessione regendi subditos: ergo in hoc dubio non est ei deneganda obedientia. *Imperfecti cordis*, inquit sanctus Bernardus Lib. 1. de Præcept & Disp. cap. 10 *& infirmæ prorsus voluntatis indicium est, malè suspicari de omni præcepto, cujus causa latuerit: nec unquam libenter obedire, nisi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere, seu expedire monstraverit, vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata satis, imò nimis molesta est hujusmodi obedientia.* Et hæc responsio maximè locum habet in Politicis, ubi consilia & motiva, propter quæ leges feruntur, occulta esse debent, juxta illud Tob. 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* 3. Quamvis leges nonnunquam habeant aliquid iniqui respectu unius aut alterius privati, justæ nihilominus censendæ sunt, cùm toti communitati expediunt. Si enim Medicus laudatur, dum secundùm suæ artis regulas membrum alioquin sanum cauterio inurit, ut totius corporis saluti consulat: quidni & Legislator, qui lege sua nonnullos gravat ex necessitate procurandi boni publici? quamquam in hujusmodi circumstantiis sublevari soleant dispensationis beneficio, ut infra explicabitur.

Idem à fortiori dicendum, quando lex per se communitati necessaria, aut admodum utilis, quibusdam inutilis & superflua existit, pertinet enim ad bonum commune, ut pars toti se conformet.

Dices: cessante fine Legis, ipsa quoque Lex cessare dicitur: ergo privatus non tenetur parere Legi, quando est ipsi inutilis.

Diſtinguo anteced. Ceſſante univerſaliter, & reſpectu totius communitatis, Concedo: ceſſante duntaxat reſpectu quorundam, Nego antecedens. Reſponſio elucidatur ſequentibus exemplis.

Apoſtoli Act. 15. præceperunt, ut Gentiles recens ad fidem converſi, abſtinerent à ſuffocato & ſanguine, eo ſcilicet fine, ut Judæi, qui ab eſu ſanguinis prorſus abhorrebant, faciliùs cum Gentilibus in unum corpus coaleſcerent. Cùm autem finis ille à pluribus ſæculis evanuerit, lex quoque Apoſtolica deſiit, utpote jam toti Eccleſiæ inutilis. Contra verò licèt ſtatutum, quo cavetur, ne Clerici in tabernis comedant extra caſum peregrinationis, idque ad evitanda gravia ſcandala, quæ inde oriri ſolent, non videatur ullius utilitatis reſpectu Clerici, qui à tabernario amico, fortè etiam conſanguineo, invitatus apud ipſum pranderet ſecluſo ſcandalo, & ſervatis temperantiæ honeſtatiſque legibus: reſpectu tamen illius vim legis habet; quia finis illius ſtatuti in tota Diœceſi ſubſiſtit, rectuſque ordo poſtulat, ut pars toti cohæreat, privatuſque ille Clericus à communi diſciplina non recedat.

Dicitur 4. *promulgata*, id eſt, enunciata & intimata; regula enim morum innoteſcere debet, quod fit per promulgationem.

Utrùm autem promulgatio ſit de eſſentia legis, diſſentiunt Theologi; alii affirmant; quia ex c. *In iſtis* diſt. 4. *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur*. Alii negant, contenduntque, promulgationem eſſe conditionem, ſine qua non; quia applicatio regulæ non conſtituit regulam, ſed ſupponit conſtitutam; atqui per promulgationem lex tanquam regula applicatur, & intimatur ſubditis: ergo intima-

intimatio illa, ſeu promulgatio non pertinet ad eſſentiam legis.

Verùm etiamſi ante promulgationem innoteſcat ſubditis quid Princeps decreverit, illud tamen decretum non habet rationem legis & regulæ obſervandæ. Poſt promulgationem verò tale decretum vim habet obligandi ſubditos, etiam eos, ad quos ejus notitia nondum pervenit; nam ex cap. *Ad hæc*, de Prælatorum poſtulatione, neceſſarium non eſt promulgationem fieri ſingulis perſonis: ergo promulgatio Legem perficit, ac proinde eſt de ejus eſſentia.

Quomodo Lex promulgata habet vim obligandi illos, qui eam ignorant?

R. Quatenus cogit ſubditos diligentiam adhibere ad illius notitiam aſſequendam, reoſque conſtituit, qui illam tranſgrediuntur ex ignorantia vincibili; quod de Lege nondum promulgata dici nequit.

Dicitur 5. *Ab eo, qui curam habet communitatis.* Quibus verbis duo deſignantur in Legislatore neceſſaria. Primum, ut ſit ſuperior; quia omnis lex eſt præceptum, quamvis non omne præceptum habeat rationem legis, ut jam obſervavimus: atqui ſolus ſuperior præcipere poteſt: ergo. Secundum, ut juriſdictionem exteriorem habeat, hoc eſt, ut præſit communitati perfectæ, juſque habeat illam regendi.

Quid eſt communitas ſive perfecta, ſive imperfecta?

R. Perfecta eſt ea, quæ ſibi ſufficit ad aſſequendum finem, ad quem inſtituta eſt: imperfecta verò, quæ ſibi non ſufficit. Hinc regnum, & civitas ſui juris, ſunt communitas perfecta; quia ſibi ſufficiunt ad conciliandam & conſervandam pacem,

pacem, quæ eſt finis illarum; Magiſtratus conſtituunt, qui Cives in ordine contineant, inquietos coerceant, & peſtiferos puniant.

Eccleſia quoque, & Diœceſis ſunt communitas perfecta; ſubditis enim ſuppeditant media ad beatitudinem ſupernaturalem, quæ eſt finis ſpiritalis ordinis; Miniſtros ordinant, idoneos Paſtores præficiunt, controverſias naſcentes dirimunt, inobedientes & contumaces ſpiritali gladio exſcindunt. Familiæ verò, Collegia, & Parochiæ ſunt communitates imperfectæ; quia nec firma pace gaudere, nec ſaluti æternæ conſulere valent, niſi aliunde adjuventur. Paterfamilias à moleſtis & importunis vicinis non liberabitur, nec in furem domeſticum aut in filium degenerem animadvertet pro gravitate culpæ, ſine Magiſtratus politici auxilio. Parochus quoque non poteſt conſecrare ſibi Coadjutores aut Succeſſores; caret foro externo, in quo peſtilentes comprimantur & puniantur; ſed ad Epiſcopi auctoritatem & judicium recurrat neceſſe eſt. Idem dicendum de Moderatore Collegii. Ergo nec paterfamilias, nec Parochus, nec Collegii Superior leges condere poſſunt.

Dicitur 6. *cum intentione obligandi ſubditos*, ut diſtinguatur lex à conſilio, quod dari poteſt æqualibus ac Superioribus, nec per ſe ullam inducit obligationem. Lex verò, cùm præceptum contineat, non imponitur niſi inferioribus & ſubditis.

Q. 2. *Omnis lex obligatne in conſcientia, & ſub peccato?*

R. De Lege naturali & divina poſitiva nullum poteſt eſſe dubium; ait enim Apoſtolus Rom. 2.

Gentiles

Gentiles, qui Legem naturalem, & Judæos, qui ſcriptam tranſgrediuntur, perituros. Et ratio eſt, quia utriuſque Legis tranſgreſſio eſt vera Dei offenſa, cùm pugnet contra divinam ejus voluntatem; nam, ut argumentatur Tertullianus Lib. 1. contra Marcionem c. 26. *Deus neceſſariò offenditur facto, quod non vult fieri; cùm offenſa ſit comes fruſtratæ voluntatis, ſi offenditur, debet iraſci: ſi iraſcitur debet ulciſci: nam & ultio fructus eſt iræ, & ira debitum offenſæ, & offenſa ut dixi, comes fruſtratæ voluntatis.*

Controverſia eſt duntaxat Catholicos inter & Heterodoxos, num Lex humana obliget in conſcientia & ſub peccato? Hi quippe abſolutè negant; illi verò affirmant, cum quibus ſit noſtra reſponſio.

R. Lex humana obligat in conſcientia & ſub peccato quandoque etiam mortali.

Probatur 1. ex Scriptura Matthæi 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Rom 13. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi dominationem acquirunt. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram; ſed etiam propter conſcientiam.* 2. Petri 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum . . . . quia ſic eſt voluntas Dei.*

Probatur 2. ex cenſuris Summorum Pontificum Alexandri VII. Innocentii XI. & Cleri Gallicani, qui ſequentes propoſitiones damnarunt: *Præceptum ſervandi Feſta non obligat ſub mortali. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam. Subditi poſſunt juſta tributa non ſolvere.*

Proba-

Probatur 3. ratione duplici. Prima in communitatibus imperfectis, præceptum Superioris obligat ſub peccato, Epheſ. 5. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino.* Et cap. 6. *Filii, obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt. Servi obedite dominis carnalibus .... ſicut Chriſto, non ad oculum ſervientes ..... ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo ..... ſcientes quoniam unuſquiſque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino.* Ergo à fortiori in communitatibus perfectis (in quibus major eſt poteſtas) lex obligat ſub peccato. Secunda, peccat qui tranſgreditur Legem naturalem & divinam: atqui tranſgreditur Legem naturalem & divinam, qui tranſgreditur humanam; ait enim Dominus, *qui vos audit, me audit.* Unde S. Bernardus Lib. de Præcept. & Diſp. c. 8. & 9. ait: *Diſcretio eſt in mandatis, conſequenter & in culpis, ut majorum gravior, leviorque minorum cenſeatur tranſgreſſio mandatorum, ſed mandantium non ita; ſive enim Deus, ſive homo Vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reverentia deferendum; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.*

Dices 1. Ex hac doctrina duo ſequuntur abſurda. Primum, inferiorem poſſe obligare in foro ſuperioris; conſcientia quippe eſt forum Dei proprium, utpotè qui ſolus ſcrutetur renes & corda. Secundum, homines poſſe ligare ad pœnam, putà æternam, quam nec infligere nec ſolvere poſſunt, cùm tamen ejuſdem ſit ligare & ſolvere.

Diſtinguo ſequelam, inferiorem, ut ſuperioris miniſtrum & auctoritate ejus munitum, Conc. Inferiorem independenter à voluntate & authoritate Superioris, Nego ſequel. Enimverò ſicut in poli-

politicis Princeps vult eos morte plecti, qui in re gravi imperium ministri sui contempserunt, quamvis ipse minister tantam pœnam nec inferre, nec solvere possit: sic Deus æternæ damnationi obnoxios reddit, qui jussis vel parentum, vel Pastorum, vel Principum non obtemperant.

Ergo falsa est recentiorum quorumdam doctrina, & à Clero Gallicano damnata anno 1700. legem humanam non præcipere actus interiores, v. gr. attentionem in precibus, hac ratione ducti, quòd potestas humana de internis judicare non possit; nam Lege naturali & divina tenentur filii obedire parentibus, servi dominis, plebs Pastori & Principi: atqui nulla est obedientia, nisi sit voluntaria, ut docet S. Bernardus Serm. 41. de diversis, ubi sic habet: *Quamlibet grave sit* (suam relinquere voluntatem) *non potest tamen primum obedientiæ ascendere gradum, qui voluntatem præcipientis suam non fecerit. Undè voluntariè, inquit, sacrificabo tibi. Sola ergo voluntas est, quæ totius operis ornat effectum, sine qua etiam nec bene aliquid agitur, etiamsi bonum esse videatur. Ex voluntate igitur suscipienda sunt imperia Prælatorum, & ipsum cor à suis voluntariis reflexionibus abducendum, donec propria voluntas mactata mandatum dirigat imperantis.*

Dices 2. Sequeretur omnia præcepta humana esse Juris naturalis & divini. Falsum consequens, ergo & antecedens.

Distinguo majorem: Esse Juris naturalis, & divini remotè, Concedo: Lex enim naturalis, & divina dictant obediendum esse justis Superiorum mandatis: esse Juris naturalis & divini proximè, Nego majorem: Non enim est Juris naturalis, aut divini, quòd hæc mulier matrimonium contrahat

cum

cum tali viro; quòd famulus locet operas suas huic diviti, quòd privatus vendat agrum suum; quòd Ecclesia venationem Clericis prohibeat: hæc quippe omnia sunt Juris merè humani. Sed præsuppositis hujusmodi contractibus, aut legibus, Jus naturale & divinum cogit servare leges, contractus, & præceptum Superioris adimplere.

Ergo, inquies, vera erit Gersoni doctrina l. de Vita spiritali lect. 4. nempe leges humanas non obligare in conscientia, nisi quatenus sunt determinationes Juris naturalis & divini.

Distinguo sequel. Quatenus sunt determinationes, vel propriè, vel impropriè, Concedo: Quatenus sunt determinationes propriè & strictè loquendo, Nego sequel.

Lex humana propriè est determinatio Legis Divinæ, quando Lex Divina præfixit aliquod opus in particulari, putà Sacramentalem Confessionem, Eucharistiæ perceptionem, ita tamen, ut Ecclesiæ determinandum relinquat modum & tempus, quibus illud opus perfici debeat, v. g. quoties, & quando Confessio Sacramentalis sit facienda, aut Eucharistia percipienda.

Tum verò lex humana impropriè dicitur determinatio Legis naturalis & divinæ, cùm ea opera injungit, quæ Lex naturalis aut divina non præscribit, qualia sunt jejunium quadragesimale, abstinentia à carnibus qualibet feria sexta, recitatio Horarum Canonicarum, & alia hujusmodi, quæ accedente & mediante Legislatoris voluntate determinant naturale ac divinum illud præceptum, *obedite præpositis vestris*, Hebr. 13.

Porrò sententia Gersoni priori sensu intellecta, falsa est, & omninò rejicienda, ut patet tum ex laudatis

laudatis Scripturæ textibus, tum ex conſtanti Eccleſiæ Traditione, quæ multa ſub gravibus pœnis ſanxit, de quibus nullum extat divinum præceptum. Poſteriori verò ſenſu veriſſima eſt quia ad Superioris juſſionem, ſi Deo contraria non ſit divinum præceptum ſemper accedit.

Q. 3. *Unde colligi poteſt Legem ſive divinam, ſive humanam obligare ſub mortali peccato?*

R. Ex materiæ gravitate. Namque vis & efficacia Legis pendet ex voluntate Legislatoris, qui alia plus, alia minus expetit: atqui certum eſt quòd voluntas recta, qualis agnoſcitur in Deo, & ſupponitur in homine Legislatore, magis expetat ſervare ea, quæ ſunt graviora, ac proinde magis offendi, & ſeveriùs ulciſci, ſi ea negligi contingit; quia ex Tertulliano ſupra laudato, offenſa eſt comes fruſtratæ voluntatis. Ergo tranſgreſſio Legis tum divinæ, tum humanæ in materia gravi, eſt culpa lethalis; in materia verò levi venialis duntaxat, modo tamen abſit contemptus; nam ex S. Bernardo, Lib. de Præcep. & Diſp. cap. 8. *Ubique culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis.*

Dices 1. Si peccatum ex contemptu ſit mortale & damnabile, ſequitur, nullum eſſe peccatum leve; quia omne peccatum procedit ex aliqua negligentia & incuria: atqui omnis negligentia eſt contemptus; ſi enim ſubditus reveretur, ut par eſt, Superioris mandatum, promptè & alacriter obtemperaret: Ergo.

Nego ſequelam: Cujus confirmationis diſtinguo minorem; omnis negligentia eſt contemptus materialis & interpretativus, Conc. eſt contemptus formalis, Nego min. Differunt autem

neglectus & contemptus, ex sancto Bernardo citato cap. 8. *Quòd neglectus languor inertiæ est, contemptus verò superbiæ tumor*: hoc est, subditus nonnunquam negligit mandatum, vel quia leve est, vel si grave, quia difficilius, & repugnans naturæ corruptæ; ideóque in minimis non acquiescit, linguam, v. gr. solvit in vaniloquium aut mendacium officiosum: in gravioribus verò segniùs se gerit; & in alterutro casu non commodam Superiori reverentiam exhibere videtur. Qui reverentiæ defectus dicitur contemptus materialis & interpretativus. Cùm autem ex odio & displicentia personæ præcipientis non vult acquiescere, & elata mente contra ejus auctoritatem rebellat, tum est contemptus formalis, & semper damnabilis, ut disertè docet ibid. S. Bernardus his verbis: *Porrò hujusmodi elatio in minimis mandatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis. Non est enim idipsum nolle obedire, & non obedire. Hoc quippe interdum erroris est, nonnunquam & infirmitatis: illud verò aut odiosæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ*; quia licèt illud posterius Legislatorem deprimit, & ejus auctoritatem minuit, quod gravissimum est, & damnabile.

Dices 2. Prævaricatio Adæ, sicut & Israëlitæ ligna colligentis die Sabbati, Num. 15. fuit lethalis quamvis in re levissima. Ergo levitas materiæ in Lege divina non excusat à mortali. Idem videre est in Legibus humanis; nam Sacerdos, si ex proposito modicissimam aquam vino non admisceat, dum sacra peragit, reus fit peccati mortalis secundùm communem sententiam: suspensionem quoque incurrit, si contra Diœce-

seos

ſeos ſtatutum in taberna epuletur, etiam ſervatis temperantiæ & honeſtatis Legibus. Denique Miles, qui inconſulto Præfecto è caſtris egreditur, eo ipſo morte plectendus judicatur. Ergo ex levitate, aut gravitate materiæ non colligitur, an peccatum ſit mortale, aut veniale.

Diſtinguo conſequens, ex levitate materiæ ſecundùm ſe ſpectatæ, Concedo; ex levitate materiæ ſpectatæ per ordinem ad finem & circumſtantias, Nego conſequentiam. Itaque materia, in qua Lex verſatur, ponderanda eſt ex fine & circumſtantiis, ex quibus ſæpè evadit graviſſima, ut patet in allatis exemplis. Lex quippe abſtinendi à ligno ſcientiæ boni & mali, habuit pro fine teſtificationem humanæ ſubjectionis ad Deum; & mixtio aquæ cum vino in ſacris Myſteriis præcipitur ad ſignificandam unionem Fidelium cum Chriſto, ſimulque denotandam integram Sacrificii hoſtiam ex capite & membris, quæ duo ſunt quid graviſſimum. Prævaricatio quoque tum Iſraëlitæ, tum Sacerdotis, tum Militis in propoſitis exemplis, magna poſt ſe traheret incommoda, & neceſſariam diſciplinam ſubverteret, niſi ſeverè corriperetur. Sed quia privati iſta perpendere non valent, nec ſatis Legislatoris mentem aſſequuntur, Legislator pœnas decernit tranſgreſſoribus, quarum gravitas certè demonſtrat materiæ & peccati gravitatem.

Quæ cùm ſint certa & indubitata; omninò cavenda eſt, quam non ſemel experti ſumus in Parochis benemultis, & aliis Clericis perniciosa ſecuritas, qua ſine Dei timore, ſine gehennæ metu, promulgata Prælati mandata, & ſtatuta nihili pendunt, vel ad ſummum reputant veluti monita

& consilia, quæ negligentibus obesse nequeunt, observantibus verò plerumque in opprobrium vertuntur, quasi sua sedula obedientia Prælati favorem fratrum suorum dispendio ambitiosè quærant. Quo fit, ut Prælati labores pro stabilienda, vel restituenda Diœceseos disciplina, prorsùs fiant irriti, subordinatio à Christo instituta inter Prælatos majores & minores planè solvatur, & inobedientes quotidianis prævaricationibus contemptum addentes usque ad mortem miserabiliter pereant. Nempè, ut sæpiùs inculcat sanctus Bernardus laudato opere: *Toties Deo resistere convincuntur, quoties ejus, qui pro Deo ipsis præest hominis mandatum prætergrediuntur, contestante Apostolo, qui hæc spernit: non hominem spernit sed Deum.* 1. Thes. 4. & iterùm, *qui potestati resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, Rom. 13.

Contra hanc fundatissimam doctrinam opponere solent aranearum telas, nempe statuta illa non fuisse ab omnibus acceptata, acceptationem verò secundùm plures Theologos non minùs pertinere ad rationem Legis, quàm promulgationem, quod nobis jam incumbit examinandum.

CAPUT III.

De Legis acceptatione.

Q. *Acceptatio Legis estne necessaria, ut vim habeat obligandi?*

Primò, certum est Legem naturalem non pendere ab acceptatione. Quia Lex naturalis, ut infra dicetur, nec prohibet, nisi ea quæ per se mala sunt, ut mendacium; nec jubet nisi necessaria,

ria, quæ ſine peccato omitti nequeunt, ut amor & cultus Dei, pietas erga parentes; ac proinde peccat quiſquis Legi naturali reluctatur.

Secundò, certum eſt, Legem divinam poſitivam vim habere independenter à populi conſenſu; quia nulla creatura jus habet contradicendi & reſiſtendi Deo, qui habet imperium abſolutum & illimitatum.

Tertiò, certum eſt, ad Legem humanam ſatis eſſe, ſi acceptetur à primatibus, & ſaniori parte communitatis, nec requiri, ut à ſingulis recipiatur, alioquin nullæ eſſent Leges humanæ, cùm in communitate perfecta nunquam deſint flagitioſi & contumaces, qui, quantùm in ipſis eſt, omnem diſciplinam abjiciunt.

Quartò, denique certum eſt, in regimine Monarchico, quod habet admixtum Ariſtocraticum, ut in Imperio Romano, in quo Principes, quamvis Imperatori ſubordinati, proprio tamen nomine & juriſdictione ordinaria dominantur in ſua ditione, Leges juribus & moribus hujuſmodi populorum contrarias non obligare, niſi ab ipſis acceptentur: quia ſupremus Monarcha, nimirum Imperator non habet omnimodam auctoritatem, ſed ad eos caſus limitatam, in quibus agitur de totius Imperii unitate ſervanda, & pace vindicanda.

Controverſia itaque ſolùm eſſe poteſt, num ad Legem humanam requiratur conſenſus ſanioris patris communitatis, vel immediatè ſubditæ, ut Diœceſeos Epiſcopo, vel ſub regimine purè Monarchico conſtitutæ.

R. Verior videtur eorum Theologorum sententia, qui asserunt, Legem humanam habere vim obligandi independenter ab acceptatione.

Probatur; Quia ex dictis Lex est præceptum: atqui nisi Lex obligaret subditos ad sui acceptationem, jam non esset præceptum, sed consilium: Ergo. Deinde si Leges humanæ vim & efficaciam acciperent à subditorum consensu, potestas Legislativa minùs esset penes superiorem, quàm penes subditos. Iste enim subministraret duntaxat materiam Legis eo ferè modo, quo Consiliarii Regii suggerunt quæ expedire videntur ad regimen politicum; subditi verò sua approbatione votis superioris annuentes tribuerent vim & efficaciam obligandi, in qua consistit Legis forma & essentia. Denique quia Alexander VII. & Clerus Gallicanus anno 1700. sequentem propositionem quorumdam Modernorum damnarunt uti scandalosam, seditiosam, & Apostolicæ doctrinæ contrariam, *populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat Legem à Principe promulgatam.*

Dices 1. Cap. *In istis*, dist. 4. habetur: *Leges instituuntur, cum promulgantur & firmantur, cùm mores utentium approbantur.* Ergo ad Legem requiritur consensus communitatis.

Distinguo anteced. Firmantur, id est, firmiter permanent, nec abeunt in dissuetudinem, sicut contingit ubi subditi contradicunt, Concedo: Firmantur, id est, non habent vim obligandi, nisi recipiantur, Nego anteced. Nam in prima canonis parte expressè dicitur Leges promulgatione institui: Lex autem non est instituta, nisi habeat vim obligandi, ut patet in ejus definitione.

Ergo

Ergo peccant qui ſine juſta cauſa Legi promulgatæ primi contradicunt, reſiſtunt enim poteſtati obedientiam exigenti.

Dixi, *qui primi contradicunt*. Primò, quia licet cum debita reverentia Principi exponere, ſi quæ prævideantur ex Lege incommoda ſecutura, & interim executionem differre. Secundò, quia cùm Superior Legi à ſe latæ non inſiſtit propter ſubditorum reſiſtentiam, præſumitur acquieſcere, ut effectu careat; cùm enim Lex feratur in bonum publicum, optimi Principis eſt obligationem relaxare, cùm videt Legem à ſe latam pacem turbare, & vergere in boni publici detrimentum.

Dices 2. Qui præeſt communitati, auctoritatem ſuam habet à populo: ergo non poteſt illum obligare, niſi conſentiat.

Reſpondeo 1. negando abſolutè antecedens. Namque 1. Prælati Eccleſiæ à Deo ſunt inſtituti, Epheſ. 4. verſ. 11. *Ipſe* (Chriſtus) *dedit quoſdam quidem Apoſtolos . . . . alios autem Paſtores & Doctores*, quibus dixit Matth. 18. verſ. 18. *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.* Secundò Principibus quoque politicis dicitur, Sap. 6. verſ. 4. *Data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo.* Enimverò electio Principis politici eſt quædam determinatio juris naturalis; quia, ut advertit S. Thomas 1. part. quæſt. 97. art. 4. *Homo naturaliter eſt animal ſociabile: ſociabilis autem vita multorum eſſe non poſſet niſi aliquis præſideret, qui ad bonum commune intenderet: multi enim per ſe intendunt ad multa, unus verò ad unum.* Ergo populi ex Dei ordinatione præficiunt ſibi Principes & Duces, juxta illud Rom. 13. *Non eſt . . . . poteſtas niſi à Deo.* Sed tranſeat antecedens.

Respondeo 2. Negando consequentiam; Quia etsi quis ex libera electione addicat se famulatui alterius; ex illo tamen contractu tenetur præceptis ejus obtemperare: ergo & communitas, quæ elegit sibi Principem.

CAPUT IV.

De Subjecto Legis.

Q. I. *Quinam Legibus astringuntur?* R. Omnes & soli adulti, si subditi sint, astringuntur Legibus quæ eos spectant. Quia illi Legibus astringi possunt, qui præcepti, & obedientiæ sunt capaces: atqui omnes, & soli adulti sunt præcepti, & obedientiæ capaces: Ergo

Dixi 1. *Si subditi sint;* Quia ex definitione Legis constat, Superiorem non posse præcipere nisi subditis.

Dixi 2. *Quæ eos spectant;* Quia Leges non semper diriguntur ad singula communitatis membra; aliæ enim spectant Clericos, aliæ Laicos: aliæ Nobiles, aliæ Milites, &c.

Dices: Parvuli tenentur Lege Baptismi: ergo non soli adulti Legibus astringuntur.

Distinguo anteced. Tenentur quatenus Baptismus spectatur ut medium, sine quo nec remissionem peccati originalis, nec beatitudinem consequi possunt, Concedo: Quatenus Baptismus est Lege præceptus, Nego antecedens: Duplex itaque est Baptismi, sicut & ciborum corporalium necessitas, scilicet medii & præcepti. Necessitas medii æquè ligat parvulos ac adultos; quia parvuli

vuli æquè ac adulti nec vitam æternam ſine Baptiſmo obtinere, nec vitam corporalem ſine ciborum uſu conſervare poſſunt. Neceſſitas verò præcepti adultos duntaxat aſtringit, eoſque ſolos conſtituit reos, ſi vel Baptiſmum negligant, vel omnem cibum reſpuant.

Ergo non peccant parentes, qui diebus jejunii carnes miniſtrant parvulis, qui nondum rationis ſunt compotes.

Ergo omnes adulti, etiam infideles non baptizati, tenentur Lege Baptiſmi, & aliis Evangelicis præceptis; quia ſubditi ſunt Deo, qui omnibus divinam illam Legem impoſuit

Ergo iidem infideles non ligantur Eccleſiæ Legibus, quia Eccleſiæ non ſubjacent: *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare;* inquit Apoſtolus, 1. Cor. 5. v. 12.

Ergo Leges civiles obligant Clericos (ſalvo tamen illorum privilegio) quia ſubſunt Principi politico, ut partes communitatis, cui præeſt: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, Rom. 13. in quem locum Theodoretus ſic ſcribit, *& Sacerdos, & antiſtes, & monaſticam vitam profeſſus, iis debent parere, quibus demandati ſunt principatus.*

Dices 1. Lex vetus, quamvis eſſet à Deo, Gentiles tamen non aſtringebat: ergo neque Lex nova, ſeu Evangelica infideles non baptizatos.

Nego conſequent. Quia Lex vetus ſolis Judæis fuit impoſita, Deut. 4. *Quæ eſt alia gens tam inclyta, quæ habeat cæremonias ac juſta judicia?* At Lex nova pro omnibus lata eſt; Eccleſiæ enim Chriſtianæ dicitur, Iſ. 60. verſ. 12. *Gens & regnum quod non ſervierit tibi, peribit.*

Dices 2. Omnes infideles, etiam non baptizati, tenentur Ecclesiæ Christianæ subjici, ut patet ex laudato mox Isaiæ textu: ergo æquè peccant, sive Legem divinam, sive Ecclesiasticam non observent.

Nego consequent. Quia Lex divina ad omnes gentes dirigitur, Ecclesiastica verò ad solos Christianos; neque enim Ecclesia intendit obligare infideles non baptizatos, dum aliquam Legem, v. gr. jejunii instituit.

Dices 3. Per Evangelium fideles, maximè justi, solvuntur ab omni Lege: *Nolite iterum jugo servitutis contineri; vos enim in libertatem vocati estis, fratres*, ait Apostolus, Galat. 5. ergo Christiani, præsertim justi, non astringuntur Legibus. Ita Lutherus, qui, ut refert Bellarminus, Libro 4. de Justificat. cap. 2. sic concionans exhortabatur auditores: *Caveamus à peccatis, sed multò magis à Legibus & bonis operibus, & tantùm attendamus ad Dei promissionem & fidem.*

Distinguo anteced. Solvuntur à Lege veteri, à Lege carnis & peccati, Concedo: A Lege naturali, divina, & humana, in quibus præcipiuntur opera justitiæ, Nego antecedens; Ait enim Apostolus, Rom. 6. *Liberati à peccato servi estis justitiæ.*

Instabis 1. ad Tim. dicitur: *Lex justo non est posita*: ergo saltem justi non astringuntur Legibus, utpotè qui ducantur spiritu, & ad illos pertineat quod scribit Apostolus, Gal. 5. *Quòd si spiritu ducimini, non estis sub Lege.*

Distinguo anteced. Lex metu cogens & premens, Concedo: Lex quæ demonstrat honesta, & ad ea amore dirigit, Nego anteced. Duo itaque

in

in Lege ſpectanda ſunt. Primum, eſt ordinatio rationis in bonum publicum. Secundum, eſt vis cogendi renitentes pœnarum metu. Primum ſine altero non conſtituit Legem, ut jam monuimus, ſed merum conſilium, quod juſtis ſufficit; cùm enim toto corde, quæ recta ſunt, appetant, juſtitiamque eſuriant ac ſitiant, fruſtra Legislator minis eos urgeret, ſine quibus tamen impii & ſcelerati ad obtemperandum non adigerentur; ac proinde meritò dicitur, Legem adæquatè ſumptam ſolis impiis eſſe impoſitam; quemadmodum dicimus, patibula & furcas non erigi pro manſuetis & pacificis civibus, ſed pro homicidis & ſeditioſis. Senſus enim non eſt, quòd cives manſueti & pacifici non teneantur Legibus, quæ prohibent homicidia & ſeditiones; nec pœnam mortis Lege latam incurrant, ſi vim facientes ingenitæ ſuæ indoli ſanguinem fundant innocentem, aut ſeditionem commoveant; ſed hæc loquendi ratio innuit duntaxat, cives ſic affectos homicidia & ſeditiones fugere independenter à Lege. Ita ſancti Patres & antiquiores Theologi explicuerunt laudatos Apoſtoli textus, ut S. Ambroſius Lib. 3. Offic. cap. 5. *Lex*, inquit, *non juſto eſt poſita, ſed injuſto; quia juſtus Legem habet mentis ſuæ, æquitatis ac juſtitiæ ſuæ normam: ideóque non timore pœnæ revocatur à culpa, ſed honeſtatis regula.* Et S. Anſelmus in 1. ad Cor. ſic ſcribit, *juſto non eſt Lex poſita, id eſt, impoſita, ut ſupra illum ſit; in illa enim eſt potiùs, quàm ſub illa, quia non ſua vita vivit, cui coercendæ Lex imponitur: injuſtus verò ſub illa eſt, quia ſua vita vivit, cui coercendæ Lex imponitur.* Denique S. Thomas in eundem locum, *ſi omnes eſſent juſti, nulla neceſſitas eſſet dandi Leges, quia omnes eſſent ſibi Lex.*

Q. 2. *Peregrini tenenturne propriis ſuæ patriæ Legibus?*

R. Non tenentur, niſi abſint in fraudem, primò, ſi peregrini diverſentur extra Legislatoris territorium, v. g. extra Diœceſim; quia Legislatoris jurisdictio extra proprium territorium non extenditur. Secundò, ſi Leges ſint merè locales; quale eſſe poſſet Feſtum Patroni ſub præcepto, & Lex abſtinendi à carnibus; quia intentio Legislatoris limitata eſt ad illum locum. Unde Parochianus in alia Parochia ejuſdem Diœceſeos bona fide exiſtens, non tenetur obſervare Feſtum & abſtinentiam, ſi ibidem non ſint in præcepto.

Ergo, inquies, Sacerdos, cui in ſua Diœceſi abſolutè & illimitatè ſub pœna ſuſpenſionis interdicitur ſacri Ordinis uſus, in alia Diœceſi ſacerdotalia munia obire poterit. Item Parochus è Diœceſi abſens, & civis è regno, non tenentur parere ſive Epiſcopo, ſive Regi eos revocantibus.

Nego ſequelam. Quia in primo exemplo Sacerdos jam erat præcepto ligatus, antequam egrederetur. In ſecundo verò exemplo Parochus & civis reſidere tenentur, ille in Parochia ſua, iſte in regno, peccaruntque eò ipſo, quò contra Superioris voluntatem recedere præſumpſerunt, ideoque cogi poſſunt ad redeundum. Adde hujuſmodi peccare, vel contra jus naturale & divinum, quo Paſtores ſuo gregi invigilare tenentur, vel contra jus gentium, juxta quod ſinguli obedientiam & reverentiam ubique debent Principi, quem origine ſortiti ſunt. Porrò jus naturale & jus gentium ubique obligant.

Dixi: *Niſi in fraudem abſint.* Quia Lex eſt generalis ubique recepta & obligans, *fraus nemini*

patro-

patrocinari debet; alioquin ordo ſervari non poſſet, ſi cuique liceret fugere ad eludendas Leges, quibus diſciplina continetur. Ergo peccant qui eo fine aliò tranſmigrant, ut ſervilibus operibus vacent, & carnibus veſcantur ibidem licitis, ſed in ſua Parochia prohibitis.

Q. 3. *Advenæ ſubjiciunturne Legibus territorii, per quod tranſeunt?*

R. Subjiciuntur; Quia cùm eximantur à patriis Legibus, par eſt, ut ligentur Legibus locorum, per quæ tranſeunt.

Confirmatur ex capit. *In illa*, diſtinct. 12. quod ſumptum eſt ex Epiſtola 54. aliàs 118. Sancti Auguſtini, ubi ſic ſcribit S. Doctor, *nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiana, quam ut eo modo agat, quo viderit Eccleſiam, ad quamcunque fortè devenerit.* Refertque, hoc fuiſſe reſponſum à ſancto Ambroſio datum matri ſuæ, *ad quam fortè Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalum, nec quemquam tibi.* Et capit. *quæ contra*, diſtinctione 8. quod exceptum eſt ex Lib. 3. Confeſſ. cap. 8. ejuſdem ſancti Auguſtini, ſic ſcribitur, *quæ contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate vitanda ſunt, ut pactum inter ſe civitatis aut gentis conſuetudine, vel Lege firmatam, nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens.*

Dices: Grave eſt, & nimis oneroſum iter facientibus, ſi propter Feſtum locale ſiſtere debeant ad audiendam Miſſam: Ergo.

Nego antecedens: Nam duplex poteſt eſſe præceptum locale, aliud negativum, quo prohibentur aliqui actus, v. g. eſus carnium, opus ſervile, quod præceptum in tranſitu & abſque mora ſervari poteſt

test & debet: aliud positivum, quo præcipitur actus, putà auditio Missæ: & ad illud præceptum implendum non tenetur peregrinus cessare ab itinere, nec ad Ecclesiam currere, si in loco quiescat ad cibum sumendum duntaxat, vel ad dormiendum summo manè profecturus. Nostra itaque responsio intelligenda est de peregrino, qui per aliquod tempus v. gr. matutinis horis moratur in oppido, in quo est dies festus; hic enim tenetur sacrum audire, etiamsi statim à prandio sit discessurus.

Q. 4. *Quid si incola propter urgentia negotia die festivo è Parochia summo mane discedit, Missam auditurus in itinere; ubi festum non est, satisfacitne præcepto?*

R. Dissentiunt Theologi. Alii negant, quia per actum non præceptum, non satisfit præcepto: atqui auditio Missæ non est præcepta in loco ubi auditur: ergo. Alii contra probabiliùs affirmant; quia peregrinus ille reverà ponit actum sibi imperatum: nec dici potest Legislatorem non minùs loco quàm diei præceptum affixisse, alioquin, sicut qui sacrum prætermisit die festo, audire non tenetur altero die feriali, ita, qui in propria Parochia die festo non potuerit interesse Missæ sacrificio, liber esset ab audienda Missa, quæ in altera ejusdem oppidi Parochia superest celebranda; quia festum ad illam oppidi partem non extenditur, quod videtur absurdum. Nec refert quòd locus ille Legislatoris jurisdictioni non subjacet; quia Parochianus ad illum accedit jam ligatus præcepto audiendæ Missæ.

Q. 5. *Legislator subjiciturne suis Legibus?*

Certum est, Legislatorem peccare etiam mortaliter: si in re gravi palam & publicè Legem suam

ſuam tranſgrediatur; quia hujuſmodi prævaricatio non eſt ſine gravi communitatis offenſione & ſcandalo, vergit in Legis & boni publici contemptum, ordinem perturbat, & audaciores efficit ſubditos ad non parendum; exempla enim ſuperioris plus movent, quàm dicta.

Tota difficultas in eo verſatur, an peccet Legislator, qui Legem à ſe latam privatim & ſine ſcandalo tranſgreditur?

R. Communior eſt Theologorum ſententia, illum peccare.

Probatur 1. auctoritate. Capit. *Juſtum*, diſtinct. 9. dicitur, *Juſtum eſt, Principem Legibus obtemperare ſuis; tunc enim jura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimat, quando & ipſe illis reverentiam præbet.* Et Capit. *Cùm omnes*, tit. de Conſtit. ſic reſpondet Innocentius III. Epiſcopo Trecenſi, *cùm igitur quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe debeat uti eo, & ſapientis* (Catonis) *dicat auctoritas, patere Legem, quam tu tuleris, mandamus*, &c. Sanctus quoque Ambroſius, Lib. 2. Epiſtolarum Epiſtola 13. ſic alloquitur Valentinianum Imperatorem, *quodcunque præſcripſiſti aliis, præcripſiſti etiam tibi. Leges enim Imperator fert, quas primus ipſe cuſtodiat.*

Probatur 2. ratione duplici. Prima, quia ex S. Auguſtino ſupra laudato turpis eſt pars ſuo univerſo non congruens: ſecunda, quia Lex fertur in bonum publicum: atqui Legislator non minùs, imò multò magis quàm ſubditi bonum publicum curare tenetur: Ergo.

Dices 1. Legislator non habet in ſeipſum juriſdictionem, cùm non ſit ſeipſo inferior: ergo non ſubjicitur ſuæ Legi.

Diſtin-

Distinguo conseq. Non subjicitur quoad vim coactivam, Concedo: Unde non incurrit pœnas transgressoribus impositas, putà suspensionem, excommunicationem, &c. non subjicitur quoad vim directivam, subdistinguo: non subjicitur directè, quasi sibi ipsi imperet, Conc. Præceptum enim est superioris ad inferiorem: non subjicitur indirectè; quatenus debet conformem se exhibere aliis communitatis partibus, & bonum publicum promovere, Nego consequent. Hoc quippe æquitas & jus naturale exigunt.

Dices 2. Legislator quemlibet ex subditis à Lege eximere potest: ergo & seipsum.

Respondeo 1. Distinguendo anteced. Eximere potest justa de causa, & quatenus ad bonum publicum confert, Conc. Sine causa, & contra bonum publicum, Nego antec. Porrò in pravum exemplum verteretur, si superior non servaret, quod ab aliis servandum præcipit.

Respondeo 2. Negando consequentiam; Quia subditus obligatur Legi ex voluntate Legislatoris; Legislator verò ex æquitate naturali, quæ non subjacet ejus arbitrio.

CAPUT V.

De Legis observatione.

Q. 1. *Quotuplici modo Lex observari potest?*

R. Duplici, scilicet, quoad substantiam, & quoad modum.

Lex servatur quoad substantiam, quando ponitur opus à Lege præscriptum, v. gr. quando auditur Sacrum, Eucharistia in Paschate recipitur.

Tum

Tum verò ſervatur quoad modum, cùm perficitur opus eo modo, & cum iis, quæ decent, circumſtantiis.

Tria autem à ſubdito expetenda videntur, ut Legem debito modo obſervet. 1. Ut advertat ad Legem, opereturque animo eam implendi. 2. Ut volens & minimè invitus obtemperet. 3. Ut recta ſit ejus intentio, & honeſtum finem ſibi conſtituat. Porrò circa ſubſtantiam operis, & ejus modum, nonnulla expendenda. Itaque

Q. 2. *Circa ſubſtantiam operis, utrùm per unum & eundem actum pluribus præceptis ſatisfieri poſſit?*

R. Non poteſt, niſi aliunde colligatur, ſuperiorem contrarium intendere; quia ſuperior videtur fruſtra imponere novam obligationem, ſi à ſubditis aliud non exigeret, quàm quod jam debent vi præcedentis mandati.

Ergo, qui ex duplici juſtitiæ titulo, putà ex contractu mutui, & ex damno illato centum debet, creditori non facit ſatis, ſi centum duntaxat ſolvat; ſed tenetur ducenta refundere, alioquin æqualitatem non reponeret.

Ergo Sacerdos, qui duo ſtipendia accepit, aut duas Capellanias poſſidet, quibus annexa eſt obligatio celebrandi, non ſatisfacit per unum ſacrificium.

Ergo ſi Confeſſarius in ſatisfactionem jejunium imponat, pœnitens Confeſſarii præcepto non ſatisfaciet jejunio, quod vel ipſe vovit, vel Eccleſia præcipit.

Dixi in reſponſione, *niſi aliunde colligatur ſuperiorem contrarium intendere.* Namque Eccleſia concedit, ut Capellanus, qui pro unaquaque Capel-

lania Horas Canonicas recitare tenetur, una recitatione ſatisfaciat.

Q. 3. *Unde colligitur ſuperiorem concedere, ut duplici præcepto per unum & idem opus fiat ſatis?*

R. Colligitur vel ex ejus verbis expreſſis; aliquando enim Confeſſarius v. g. pœnitenti declarat, ſe in ſatisfactionem imponere jejunia, quæ occurrunt ab Eccleſia præſcripta, ea ſcilicet mente, ut pœnitens ſenſum doloris ob peccata præterita conſervet, & pro iis Deo ſatisfacere curet: vel ex communi hominum uſu & interpretatione, ut ſi Confeſſarius pœnitenti injungat audire ſacrum ſingulis diebus per menſem, idem pœnitens non tenetur bis audire ſacrum qualibet die Dominica occurrente; quia ex benigna interpretatione Confeſſarius præſumitur concedere, ut eodem actu duplici obligationi ſatisfaciat.

Q. 4. *Poteſtne quis eodem tempore ſatisfacere duplici præcepto per actus diſtinctos?*

R. Poteſt, ſi unus actus alterum non impediat. Hinc qui ex voto meditationi vacare tenetur, & votum & præceptum audiendi ſacrum die feſto ſimul implet; quia meditatio non impedit attentionem & devotionem, quæ debetur Miſſæ ſacrificio.

Sed difficultas eſt, num recitatio Horarum Canonicarum, ad quam Beneficiarius tenetur, obſit attentioni ad Miſſæ ſacrificium?

Graves Theologi, ut Sylveſter, Angelus à Clavaſio, & alii affirmant. Communior tamen ſententia, quæ eſt Navarri, Soti, &c. & quam plerique in praxi ſequuntur, negat impedire; quia ad ſacrificium Miſſæ, & ad recitationem horarum ſufficit attentio generalis ad Deum, aliamque

vix

vix habere possunt idiotæ, qui nihilominus præcepto Ecclesiæ satisfaciunt, quamvis distinctè non cognoscant, quæ sit ratio sacrificii, & qua mente celebrari debeat. Verùm, etsi hujusmodi generalis attentio absolutè sufficiat ad implendum utrumque præceptum, fatendum tamen est, perfectiorem expetendam esse ab iis, qui intersunt Missæ sacrificio, ad quod Fideles conveniunt, ut passionem Christi recolant, & unà cum ipso sese Deo offerant perfectam hostiam.

Q. 5. *Circa modum implendi præcepti satisfacitne, qui de præcepto non cogitans, facit tamen quod præscriptum est? Aliquis, v. gr. audit sacrum, nesciens, aut non advertens esse diem festum. Item Clericus ignorans, nec advertens quosdam fructus Beneficii sui non fecisse suos, ideoque teneri restituere pauperibus vel Ecclesiæ, largas interim facit eleemosynas.*

R. Vel opus est debitum ex justitia, vel non? Si non est debitum ex justitia, satisfacit, juxta communem Theologorum sententiam, nec in allato exemplo tenetur quis aliud sacrum audire, postquam resciverit esse diem festum, quia reverà exercuit actum Religionis, quam Ecclesia diebus festis imperat. Si autem opus sit ex justitia debitum, communis est Theologorum sententia non satisfacere; quia in rei veritate non restituit, sed liberaliter donat, nec potest donationem jam factam revocare, ut restitutionis locum suppleat. Crederem tamen Clericum, qui in exemplo adductus est, excipiendum esse, si pauperibus multa largitus est ea mente, quòd Beneficiarii ex justitia teneantur dare superflua pauperibus; is enim verè restituit omne, quod debet in

hypotheſi, quòd plus erogandum non eſſet ratione fructuum malè perceptorum.

Q. 6. *Impletne præceptum, qui illius implendi non habet voluntatem? Aliquis v. g. ſacrum audit die feſto, vel Euchariſtiam recipit tempore Paſchali, ut privatæ ſuæ devotioni indulgeat, proponens aliud audire ſacrum, vel iterum ad ſacram menſam accedere, ut Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat; ſed talia impedimenta ſuperveniunt, propter quæ non impleret quod propoſuerat, ſi jam præcepto feciſſet ſatis.*

Reſp. Theologorum major pars, præceptum in iis circumſtantiis impleri propter rationem in priori præcedentis reſponſionis parte allatam. Sed illi longiùs progrediuntur, qui affirmant, eum etiam præcepto ſatisfacere, qui voluntatem gerit abſolutè contrariam, poſitivéque ſtatuit ſe nolle ex præcepto facere, quod exteriùs perficit, nam ex regula juris in 6. *Cenſetur agere contra legem, qui verba legis complexus contra voluntatem legis nititur.*

Dixi: *Voluntatem abſolutè contrariam;* Qui enim involuntarius eſt ſecundùm quid, & ſimpliciter voluntarius, ægrè v. gr. præcepto jejunii obtemperat, legi ſatisfacit, quamvis non ſine aliquo defectu.

Q. 7. *Eſtne neceſſaria recta intentio ad legem humanam implendam? nam de naturali & divina nullum poteſt eſſe dubium.*

Negant multi ex modernis Theologis moralibus, apud quos receptum eſt illud effatum, *modus præcepti non cadit ſub præceptum.* Ex quo concludunt ſatisfieri præcepto annuæ Confeſſionis & Communionis per ſacrilegam Confeſſionem & Communionem; quam doctrinam damnarunt

Summi

Summi Pontifices Alexander VII. & Innocentius XI. Deinde Clerus Gallicanus anno 1700. cum quibus

R. Recta intentio cadit sub præceptum humanum.

Probatur 1. ex Scriptura, Eph. 6. *Servi obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus.*

Probatur 2. ratione: Quia vera lex non præcipit nisi actus bonos, atqui actus non potest esse bonus sine recta intentione. Ergo Minor est certa.

Major probatur ex S. Thoma q. 62. art. 1. Ubi expressè docet, hunc esse proprium Legis effectum, efficere homines bonos, juxta illud Philosophi, 1. Ethic. cap. 14 *Voluntas cujuslibet Legislatoris hæc est, ut faciat homines bonos.* Et hanc rationem affert Angelicus Doctor, quia omnis lex est ordinatio in bonum commune: *Impossibile autem est*, inquit, *quòd bonum commune civitatis bene se habeat, nisi cives sint virtuosi, hoc est, bene subdantur ei, à quo gubernantur, sicut virtus irascibilis, & concupiscibilis in hoc consistit, quòd sint bene obedientes rationi, & per hunc modum virtus cujuslibet subjecti est, ut bene subjiciatur principanti.*

Dices, ex sancto Thoma quæst. 91. art. 4. *De his potest homo legem facere, de quibus potest judicare: atqui judicium hominis esse non potest de interioribus motibus qui latent, sed solùm de exterioribus actibus qui apparent.* Porrò modus præcepti pertinet ad actus interiores: ergo modus præcepti non cadit sub præceptum humanum.

 Confir-

Confirmatur ex Jure tum Civili, tum Canonico: ex civili quidem; nam Lege *cogitationis*, digeſt. de pœnis, habetur, *cogitationis pœnam nemo patitur:* ex Canonico verò cap. *Tua nos*, de ſimonia, *nobis datum eſt tantùm de manifeſtis judicare.* Et cap. *Erubeſcant:* diſtinctione 32. *de manifeſtis loquimur; ſecretorum autem & cognitor Deus & Judex eſt.*

Diſtinguo maj. De his duntaxat poteſt homo legem facere ſecundùm vim omnem coactivam, de quibus poteſt judicare, Concedo: ſecundùm vim directivam & coactivam ex parte, Nego maj. Enimverò Jure Canonico, cap. *ſi quis* 8. diſtinct. 30 excommunicatur, qui ex interna ſuperſtitione Jejunium Eccleſiaſticum non ſervaverit, Clementina 1. de Statu Monach. Monachus Benedictinus ſine licentia ſe conferens ad curiam animo accuſandi Prælatum, excommunicationem incurrit. Et Clementina 2. §. *Verum* de Hæreticis eadem pœna feriuntur Inquiſitores, qui ex odio, & ex intentione turpis lucri contra juſtitiam & conſcientiam omittunt procedere. Denique in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 45. Martinus V. ſuſpectos de hæreſi jubet interrogari ab Inquiſitoribus, an Joannem Huſs, & Hieronymum à Praga reputaverint Sanctos, an credant, quòd ab Eccleſia ſint injuſtè condemnati. Atqui in his exemplis lex humana directè cadit in modum operis; illum enim præciſè prohibet, punitque excommunicationis cenſura, in quo elucet aliqua vis coactiva, ſed imperfecta & inſufficiens, quia cùm prohibiti illi affectus in corde lateant, Legislator nec juridicè declarare poteſt, quis ex harum legum tranſgreſſoribus incurrerit excommunicationis pœnam, nec proinde à ſocietate Fidelium

lium removere. Unde concludit Angelicus Doctor præter Legem humanam divinam esse necessariam, cujus forum occulti peccatores declinare nequeunt.

Ex hac solutione facilè explicantur Leges in contrarium allatæ, nempe Ecclesia non judicat de internis per sententiam declinatoriam, & judicio plenè coactivo. Addo, nec in eos animadvertit, nisi conjuncti sint actibus externis.

Instabis: sola Lex naturalis & divina, quæ semper concurrit cum humana, modum operis præscribit. Ergo peccatum in modo operandi Legem Divinam duntaxat impetit, non humanam.

Nego antec. Namque in laudatis Clementinis ipsa Lex humana, non divina, modos operis excommunicatione ferit.

Confirmatur responsio, ideo Lex humana non caderet in actus interiores, vel quia Deus hanc auctoritatem hominibus concedere non potest: vel quia, cùm possit, concedere tamen noluit: Atqui neutrum dici potest. Non primum, ipsi enim Adversarii ultro fatentur Deum potuisse dare Ecclesiæ potestatem directam in actus internos. Non secundum, quia Christi verba, *quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata in cœlis*, nullam exceptionem admittunt, nec licet Adversariis illa ad actus externos restringere contra communem Ecclesiæ sensum & usum, quæ hactenus imperavit actus internos, ut patet ex laudatis Canonibus.

At, inquies, potestas Apostolis à Christo concessa limitatur ex fine Regiminis Ecclesiastici: atqui finis ille est bonum commune & publicum, ad quod actus interiores nihil conferunt; modò

enim ſingula Eccleſiæ membra benè ſe habent ad invicem, Eccleſia ſumma pace fruitur, ergo.

Conceſſa majore, Diſtinguo minorem: finis Regiminis Eccleſiaſtici proximus eſt bonum commune publicum, Concedo: ultimus, nego minorem. Omne enim Regimen ſive Eccleſiaſticum, ſive Politicum, ſive Oeconomicum ordinatur ad Deum, qui omnia propter ſe operatus eſt, & infima per media, domeſticos per patremfamilias, Fideles per Prælatum, Cives per Principem, tanquam per ſuos Miniſtros ad ſe adducit: actus autem à Legislatore imperati ad Deum non tendunt, niſi boni ſint. Deinde tranquillitas publica ſtare nequit, niſi ſuperior bene imperet, & ſubditi bene obtemperent, ut ſupra docebat ſanctus Thomas. Denique Religio, ex ſancto Auguſtino, tota eſt ad animam excolendam, commune ejus bonum eſt Dei cultus, quem ſi omnes pro virili exhibeant exoptata pace & felicitate gaudet. Porrò *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare*, Joan. 4. Ergo ad Regimen præſertim Eccleſiaſticum, maximè conferunt actus interni.

Q. 8. *Satisfacitne, qui ſine recta intentione obtemperat, v. g. qui jejunat ex vana gloria, aut ex avaritia?*

R. 1. Si præceptum ſit negativum, hoc eſt, prohibens actum, putà homicidium, uſum ciborum diebus jejunii; certum eſt ei ſatisfacere; nec eſſe reum homicidii, aut violati Jejunii Eccleſiaſtici, niſi fortè ex affectu. Difficultas ſolùm eſt de præceptis affirmativis, quæ imperant actum. Quare

R. 2. Non ſatisfacit præcepto affirmativo, qui ponit opus ſine ea animi rectitudine, quæ vel eſt eſſen-

essentialis actui externo, ut attentio orationi vocali, contritio saltem imperfecta Sacramento Pœnitentiæ, vel per Legislatorem præscribitur, ut perceptio Eucharistiæ in Paschate; Ecclesia enim præcipit communionem moralem simul & spiritalem. Ergo qui sine pia attentione adfuit sacro, preces recitavit, vel sine sufficienti attritione confessus est, vel sacrilegè Eucharistiam percepit, non satisfecit præcepto; quia non facit quod revera præcipitur; non orat, non percipit Sacramentum Pœnitentiæ; nec spiritaliter Corpus Christi manducat. Idem dicendum videtur de eo, qui ex voto, vel ex Confessarii præcepto jejunat; neque enim satisfacit, qui ex præcedenti crapula per totam diem à cibis abstinet absque ullo pietatis sensu; quia vovens sibi, & Confessarius pœnitenti imponunt obligationem actus honesti.

R. 3. Quando honestas expressè non præcipitur, nec est conditio essentialis actui externo, sine ea adimpletur præceptum humanum. Filius v. g. honorat patrem, eique obtemperat, quamvis utrumque præstet ex vanitatis motivo, atque ideo peccet contra legem naturalem.

CAPUT VI.

De Legis Divisione.

Q. 1. *Quotuplex est Lex?*

R. Generatim dividitur in æternam, naturalem, & positivam.

Q. 2. *Quid est Lex æterna?*

R. Est summa ratio, secundùm quam Deus

cuncta regit & gubernat, diciturque à sancto Bernardo Lex Dei.

Q. 3. *Lex æterna estne quid idem cum ideis divinis, aut cum providentia?*

R. Realiter est quid idem; quia omnia in Deo unum sunt: sed virtualiter & secundùm nostrum concipiendi modum est diversa; namque idea spectat rerum creationem, Lex verò æterna earundem gubernationem, estque regula creaturarum dirigendarum, quam regulam sequitur providentia in actuali rerum gubernatione.

Explicatur responsio. Idea formaliter est exemplar, seu repræsentatio rei faciendæ in mente agentis dianœtici, ad cujus similitudinem conficit opus præconceptum. Architectus v. g. speciem domus, quam ædificare intendit, priùs in mente sibi efformat. Diximus autem, ubi de Attributis; ideas divinas esse ipsammet essentiam divinam prout imitabilem & participabilem. Lex vero æterna formaliter concipitur in Deo, ut actus intellectus & voluntatis, præscribens quibus mediis, quove ordine res creatæ ad suos fines dirigantur. Tum denique providentia regulam illam in tempore exequitur, & subministrat media per Legem æternam præscripta, quibus unaquæque res congruenter ad finem suum perducatur; ac proinde ideæ divinæ, Lex æterna, & providentia inter se virtualiter distinguuntur.

Ergo quamvis creaturæ in tempore gubernentur, ratio tamen illas gubernandi est æterna.

Ergo cùm nemini liceat ignorare existentiam Dei & providentiam, notum quoque omnibus esse debet, Legem æternam existere; evidens quippe est, Deum utpote sapientissimum & optimum,

ea

ea regere, quæ ipſe condidit. Nam, ut argumentatur S. Ambroſius Lib. I. de Offic. c. 13. *Quis operator negligat operis ſui curam? quis . . . deſtituat, quod ipſe condendum putavit? cùm aliquid non feciſſe nulla injuſtitia ſit, non curare quod fecerit, ſumma inclementia.*

Ergo omnes creaturæ ſubjacent Legi æternæ, juxta illud Sap. 6. *magnum & puſillum ipſe fecit, & ipſi cura eſt de omnibus.* Æterna tamen illa ratio in Deo non habet rationem Legis propriè dictæ, niſi reſpectu creaturarum rationalium; quia irrationales capaces non ſunt præcepti & obedientiæ, ut ſupra monuimus.

Dixi expreſſè, *omnes creaturæ ſubjacent Legi æternæ*, quia nec natura, nec voluntas divina illi ſubjiciuntur, ſed realiter ſunt ipſa Lex. Si enim juſtus, quamvis non ſit ſine Lege, Legi tamen non ſubjacet eo ſenſu, quo ſupra explicuimus, ſed rectitudo voluntatis ejus ipſi Lex eſt; quantò magis id ſentiendum eſt de Deo, cujus intellectus eſt ipſa veritas, & voluntas ipſa rectitudo? Deus itaque non eſt ſine Lege, & tamen nulli ſubjacet Legi, ſed ipſe ſibi Lex eſt.

Ergo Lex æterna una eſt, immutabilis, & indefectibilis, quia realiter eſt Deus ipſe unus & immutabilis.

Ergo à Lege æterna omnes Leges derivantur; quia in Regimine Monarchico omnes Miniſtri ad mentem & voluntatem Principis attendere debent, à quibus ſi devient, iniqua illorum ſtatuta cenſentur. Hinc ſanctus Auguſtinus Lib de vera Relig. cap. 32. ſic ſcribit: *Conditor legum temporalium, ſi vir bonus eſt & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam, de qua nulli animæ judicare tutum eſt; ut ſecundùm*

cundùm ejus incommutabiles regulas, quid ſit pro tempore jubendum, vitandumque diſcernat. Et quæſt 57. in Exod. *Lex Dei*, inquit, *ſempiterna eſt, quam conſulunt omnes piæ mentes; ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, ſecundùm quod illa incommutabili veritate perceperint.*

Dices: contrariæ leges ab eodem fonte dimanare nequeunt: atqui plures è legibus humanis ſibi ſunt contrariæ; in quibuſdam enim regionibus præcipiuntur, quæ in aliis prohibentur: ergo non omnes leges ab æterna derivantur.

Nego majorem; namque ex S. Auguſtino Lib. de vera Relig. capit. 17. ſicut ars medica nonnunquam præſcribit varia & contraria remedia pro varietate & contrarietate morborum: ita Lex æterna exigit, ut variæ & contrariæ leges condantur juxta diverſas temporis circumſtantias, & contrarios nationum mores. Verba S. Doctoris ſunt: *Ut ars medicinæ, cùm eadem maneat, neque ullo pacto ipſa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis eſt noſtra valetudo; ita Divina Providentia, cùm ſit omninò immutabilis, mutabili tamen creaturæ variè ſubvenit, & pro diverſitate morborum alia aliis jubet aut vetat, ut à vitio, unde mors incipit, & ab ipſa morte ad naturam ſuam & eſſentiam, ex qua deficiunt, id eſt, ad nihilum tendunt, reducat & firmet.*

Q. 4. *Quid eſt Lex naturalis?*

Eſt Legis æternæ radius, creaturæ rationali à Deo impreſſus, dictans & præſcribens quid agere aut fugere debeat.

Dicitur 1. *Legis æternæ radius*, ſeu fulgor & irradiatio, quo ſignificatur legem naturalem non diſtingui à Lege æterna, niſi ſecundùm modum habendi.

bendi. In Deo quippe Lex æterna, juxta S. Thomam q. 91. art. 2. eſt tanquam regulans & menſurans, in homine verò tanquam in regulato & menſurato; in Deo realiter eſt ipſamet natura divina, indefectibilis veritas & rectitudo: in homine verò diſtinguitur ab ejus natura defectibili, ineſtque per participationem.

Dicitur 2. *creaturæ rationali*; quia, ut advertit S. Thomas cit. art. etſi creaturæ irrationales participent aliqualiter Legem æternam, quatenus ex ejus impreſſione inclinantur in proprios actus & fines; in iis tamen Lex æterna non habet rationem legis; quia non participant illam intellectualiter & rationaliter.

Dicitur 3. *à Deo impreſſus*, quia ex S. Auguſtino Lib. 14. de Trinitate c. 15. *in cor hominis non migrando, ſed tanquam imprimendo transfertur, ſicut imago ex annulo in ceram tranſit, & annulum non relinquit.* His autem definitionis particulis duo declarantur. Primum, legem naturalem eſſe divinam, cùm ſit à Deo. Secundum, differre à lege poſitiva, quæ mentibus noſtris impreſſa non eſt, ſed prorſus extrinſeca, ut leges ſuſcipiendi Baptiſmi, à carnibus abſtinendi die Veneris, quarum nullum veſtigium in natura humana reperitur.

Dicitur 3. *dictans & præſcribens, quid creatura rationalis agere, aut fugere debeat.* Quibus verbis duo denotantur, quæ ad rationem legis pertinent, nempe promulgatio, & vis obligandi; intimat enim hoc ipſo quo dictat, & præſcribendo obligat.

Q. 5. *Lex naturalis eſtne idem ac ſyndereſis, aut conſcientia?*

R. Miſi-

R. Minimè; quia ſynderesis eſt habitus propriè dictus, quo intellectus dirigitur circa principia practica, quale eſt illud: bonum eſt proſequendum, & malum fugiendum: atqui habitus propriè dictus, non eſt Lex, cùm non ſit præceptivus, ſed eſt mera facilitas & inclinatio ad benè agendum, ſi bonus ſit; & malè agendum, ſi malus: atqui Lex naturalis eſt præceptiva & obligans. ergo non eſt habitus propriè dictus. Non eſt etiam conſcientia, quia conſcientia poteſt eſſe erronea & mala, quod de Lege naturali dici nequit.

Q. 6. *Quid igitur eſt præciſè ille radius Legis Divinæ?*

Reſpondet S. Thomas cit. artic. 2. qu. 91. eſſe ipſummet divinum lumen mentibus noſtris impreſſum, juxta illud Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine.* Quod ſanctus Doctor ſic interpretatur: *quaſi lumen rationis naturalis, quo diſcernimus quid ſit bonum, & quid malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud ſit quàm impreſſio divini luminis in nobis. Unde patet, quòd lex naturalis nihil aliud eſt, quàm participatio legis æternæ in rationali creatura*, quemadmodum illuminatio oculorum eſt ipſamet lux Solis in oculos ſeſe diffundens. Sed audiendus eſt ſanctus Auguſtinus in laudata Pſalm. verba: *Hoc lumen*, inquit, *eſt totum hominis & verum bonum. Signatum autem dicit in nobis, tanquam denarius ſignatur Regis imagine, homo enim factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Et ad hoc credo pertinere illud, quòd Dominus, viſo Cæſaris nummo, ait, reddite Cæſari, quod Cæſaris eſt, & Deo, quod Dei eſt. Tanquam ſi diceret: quemadmodum Cæſar à vobis exigit impreſſionem imaginis ſuæ,*

suæ, sic & Deus. Ut quemadmodum illi redditur nummus, sic Deo anima lumine vultus ejus illustrata, atque signata. Non ergo foris quærenda est lætitia, sed intus, ubi signatum est lumen vultus Dei. Sed homines temporalia sectantes, nihil aliud noverunt dicere nisi quis ostendit nobis bona? cùm vera & certa bona intra semetipsos videre non possint. Et Lib. 14. de Trinitate cap. 15. docet, illud nomen esse ipsam veritatem mentes humanas desuper illuminantem: *Etiam impii*, inquit, *multa rectè reprehendunt, rectéque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis judicant? nisi in quibus vident, quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant. Ubi eas vident? neque enim in sua natura, cùm procul dubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has verò regulas immutabiles videat quisquis in eis & hoc videre potuerit; nec in habitu suæ mentis, cùm illæ regulæ sint justitiæ, mentes verò eorum constet esse injustas. Ubinam sunt istæ regulæ scriptæ . . . . . . nisi in libro lucis illius, quæ veritas dicitur, unde omnis lex justa describitur?*

Q. 7. *Potestne deleri lex naturalis?*

R. Obumbrari quidem potest in conclusionibus, præsertim remotioribus, ut dictum est ubi de ignorantia, Tractatu de Actibus humanis: deleri omninò non potest, alioquin homo desineret esse rationalis & imago Dei. Ita Tertullianus Lib. de Anima cap. 41. ubi sic scribit: *Potest obumbrari, quia non est Deus; extingui non potest quia à Deo est. Itaque sicut lumen aliquo obstaculo impeditum manet, sed non comparet, si tanta densitas obstaculi fuerit: ita & bonum in anima à malo oppressum pro qualitate ejus, aut in totum vacat occulta salute, aut quæ datur radiat, inventa libertate.*

Ergo

Ergo cùm natura rationalis una ſit ubique & in omnibus, lex quoque naturalis, ſi ſecundùm ſe ſpectetur, ubique & in omnibus eſt una, quamvis in applicatione propter varias circumſtantias ſit diverſa, ut docet S. Thomas qu. 94. art. 4. Lex enim naturalis, quæ docet depoſitum eſſe reddendum, prohibet tum reddi furioſo arma depoſita, cùm inde prævidetur damnum illaturus proximo.

Q. 8. *Quid eſt lex poſitiva?*

R. Eſt ea, quæ legi naturali ſuperaddita eſt ex libera Legislatoris voluntate.

Q. 9. *Quomodo dividitur lex poſitiva?*

R. Dividitur in divinam, quæ habet Deum Auctorem; & humanam, quæ ab homine ſancita eſt.

Q. 10. *Quotuplex eſt Lex Divina?*

R. Duplex, nempe vetus ſeu ſcripta, quam vocamus vetus Teſtamentum; & nova, ſeu gratiæ, quæ dicitur novum Teſtamentum.

Q. 11. *Quotuplex eſt Lex humana?*

R. Duplex, alia eſt communis omnibus ferè nationibus, diciturque Jus Gentium; alia, in qua non omnes conveniunt, & hæc, ſi à Poteſtate Eccleſiaſtica procedat, dicitur Lex Canonica, ſeu Eccleſiaſtica, ſi à Poteſtate politica, dicitur Lex Civilis.

Q. 12. *Quid eſt Jus Gentium?*

R. Definitur ab Imperatore Juſtiniano, quod uſu exigente & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ ſibi conſtituerunt. Conſtituerunt, ait, ut diſtinguatur Jus Gentium à Jure naturali, quod hominibus innatum eſt, nec ab ipſis conſtitutum: Ad Jus Gentium pertinent dominiorum diſtinctiones, agrorum diviſiones, pacifica Legatorum

torum receptio, etiamsi ab hostibus mittantur.

Dices: S. Thomas qu. 95. art. 4. docet, ad Jus Gentium pertinere ea, quæ derivantur ex Lege Naturæ, sicut conclusiones ex principiis, ergo Jus Gentium pertinet ad Legem naturalem.

Distinguo antec. Quæ derivantur secundùm quid necessariò, absolutè verò liberè, Concedo: quæ derivantur absolutè, & simplicitèr necessariò, Nego antecedens. Porrò ut conclusio censeatur Juris naturalis, debet necessariò elici ex principiis naturalibus, adeo ut peccet contra Legem naturalem, qui in praxi conclusionem non sequitur. Sic filius protervus, & usurarius in Legem naturalem peccant, quia quòd honorandi sint parentes, quódque lucrum ex mutuo non sit captandum, sunt conclusiones necessariò deductæ ex principiis Legis naturalis, nec homines constituerunt sibi has leges, sed à Deo sibi inditas acceperunt.

At verò, quòd dividendi sint agri, inducendæ servitutes, manumissiones, & alia hujusmodi, quæ ad Jus Gentium pertinent, quamvis omnibus videantur media longè commodiora ad societatem humanam conciliandam, non sunt tamen absolutè necessaria: ac proinde eorum institutio ex arbitrio hominum pendet, & ad legem humanam revocanda est.

CAPUT VII.

De Differentia Legis naturalis & positivæ.

Q. 1. *Quotuplex est discrimen inter legem naturalem & positivam, sive divinam, sive humanam?*

R. Triplex. 1. Lex naturalis ſimul cum natura indita eſt, nihilque præſcribit, quod quiſque in corde ſuo (ſi attendere velit) cernere non valeat, v. g. Deum colendum, parentes honorandos, nemini nocendum; Lex verò poſitiva extrinſecùs ſupervenit, & ordinat, quæ alioquin ratio naturalis non dictaret obſervanda, v. g. Baptiſmum ſuſcipiendum, abſtinendum à carnibus ſexta qualibet feria. 2. Præcepta legis naturalis neceſſaria ſunt, nec pendent à libera Dei, aut cujuſvis Legislatoris voluntate: præcepta verò legis poſitivæ ſunt merè arbitraria. Deus v. g. nec prohibere poteſt juſtitiam, religionem, pietatem erga parentes, nec imperare mendacium, fornicationem, odium proximi, hæc quippe repugnant, tum infinitæ ejus bonitati & ſapientiæ, tum naturæ rationali, quæ eſt ad ejus imaginem condita; ſed liberum illi fuit priùs præcipere circumciſionem: eſum Agni Paſchalis, quæ ſunt legis poſitivæ, & poſtea in Lege nova prohibere. Hinc 3. quæ prohibentur lege naturali, ſunt per ſe mala, & ideo prohibita, ut mendacium, injuſtitia: quæ verò vetantur lege poſitiva, per ſe ſunt licita, plerumque etiam indifferentia, nec mala evadunt, niſi quia prohibita, ut apud Judæos eſus carnis ſuillæ, & ſuffocatæ, & apud Chriſtianos opera ſervilia, carniſque uſus certis quibuſdam diebus.

Ergo ex craſſa ignorantia Clerici obmurmurarent contra Diœceſeos ſuæ ſtatuta, quibus prohibentur venatio, ludus aleæ & chartarum, popinarum frequentatio, & alia ſimilia, eo prætextu, quòd hæc per ſe mala non ſint; nulli enim Clericorum ignorare licet allatum diſcrimen inter legem

legem naturalem & positivam, Prælatisque à Deo concessam potestatem statuendi & sanciendi, quæ ad bonum publicum promovendum expedire judicaverint.

Ergo lex naturalis est immutabilis, nullam abrogationem, derogationem, dispensationem admittit, nec adversus illam usu contrario præscribi potest; quia nunquam licet facere, quæ per se mala sunt, quæve repugnant naturæ seu divinæ, seu rationali. Lex verò positiva his modis mutari potest; quia præcepta ejus sunt arbitraria, pendentque à libera Legislatoris voluntate. Sed de mutatione legis positivæ postea.

Dices 1. Deus sæpius dispensavit in lege naturali; namque permisit 1. fratres in matrimonium ducere sorores in prima generis humani generatione. 2. Judæos auferre Ægyptiorum vasa, & usuras ab alienis accipere. 3. Plures simul habere uxores, & matrimonia dissolvere dato libello repudii. 4. Abrahamum immolare filium suum. 5. Prophetam Oseam filios fornicationum suscipere ex meretrice. 6. Potestatem concessit Ecclesiæ dispensandi in votis & juramentis, quæ omnia sunt juris naturalis. Ergo lex naturalis Dei dispensatione mutari potest. Unde S. Bernardus Lib. 1. de Præcepto & Dispensat. c. 3. sic scribit: *Quod inviolabile nominavi, illud intelligo, quod non ab homine traditum, sed divinitus promulgatum, nisi à Deo, qui tradidit, mutari omninò non patitur, ut exempli causa: Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legiscita: quæ etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo solvere aut licuit, aut licebit: Dominus*

nus tamen horum, quod voluit, & quando voluit, ſolvit.

Diſtinguo anteced. Diſpenſavit diſpenſatione impropriè dicta, Concedo: propriè dicta, Nego antecedens.

Diſpenſatio impropria eſt, quando mutatur objectum & materia legis per circumſtantias concurrentes. Res patefiet duobus exemplis. Promiſſarius, cùm ſponſori remittit, & condonat rem promiſſam, impropriè diſpenſat à fide ſervanda, quod eſt juris naturalis; quia mutat objectum & materiam legis naturalis, quatenus per condonationem efficit, ut res promiſſa non ſit amplius debita. Item, Paſtor ex lege naturali tenetur proprio gregi invigilare: ſed ſi urgens Eccleſiæ neceſſitas aliò eum vocet, jam reſidentia deſinit eſſe objectum & materia legis naturalis.

Diſpenſatio propriè dicta, eſt relaxatio obligationis per legem inductæ facta alicui ex cauſa, quæ tamen ſola non ſufficeret obligationi tollendæ. Exemplum affero: Titius vult ex cauſa nubere cum conſanguinea; ſed Lex Eccleſiaſtica reſiſtit, & ſtante illa cauſa, inceſtuoſas declararet Titii nuptias, niſi Summus Pontifex illum à vinculo legis abſolveret. En verè & propriè dicta diſpenſatio, quam diximus legem naturalem nunquam admittere.

Porrò Deus in exemplis allatis hoc poſteriori modo non diſpenſavit, ſed priori duntaxat, quatenus nempe in circumſtantiis notatis actus in objectione recenſiti deſierunt eſſe objectum & materia legis naturalis.

Enimverò, cùm Deus ſic inſtituerit genus humanum, ut non niſi carnali generatione propagaretur,

garetur, ratio naturalis dictavit, nedum prohibuerit, ut fratres in prima generatione sororibus copularentur; quanquam non desint Theologi, Cajetanus, qui absolutè negant, matrimonium inter fratrem & sororem jure naturali esse prohibitum.

Deinde polygamia & matrimonii dissolutio per libellum repudii, vel fuerunt à Deo duntaxat toleratæ, ut contendunt nonnulli Theologi, vel revera concessæ, quod de polygamia verisimilius est, cùm plures Viri sancti, ut Abraham & David, in ea usque ad mortem permanserint. Si primum, corruit objectio. Si secundum, Deus, qui est naturæ Auctor, & humanæ societatis supremus Moderator, potuit quod non possunt homines, nempe justis de causis uni & eidem viro tribuere jus in corpora plurium fœminarum, & libello repudii revocare quod priùs concesserat, nec in extraordinaria illa dispositione violavit jura societatis humanæ, quemadmodum cùm operatur miracula, vim naturæ non infert, sed agit supra naturalem rerum ordinem, ut docent Theologi.

Denique Deus, cujus dominio subjacent omnium hominum fortunæ, corpora, & vita, dedit Abrahamo potestatem mactandi filii unigeniti; dedit Judæis bona Ægyptiorum, & aliarum gentium, à quibus usuras exigebant; nisi tamen hoc posterius potiùs toleravit, quàm concesserit: dedit & Oseæ dominium in corpus meretricis; ac etiam nunc ministerio Prælatorum condonat promissa, quibus Fideles per vota & juramenta sese illi obstrinxerunt. His autem Dei condonationibus præsuppositis, jure Abraham ad

Dei præceptum accinxit se ad mactandum unigenitum; Judæi abstulerunt vasa Ægyptiorum & usuras ab alienigenis acceperunt: Prælati Ecclesiæ Fideles à votis & juramentis, si causa subsit, absolvunt; & Osee Propheta cum meretrice conjunctus est. *Osee*, inquit S. Thomas q. 100. art. 8. *accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non est mœchatus, vel fornicatus, quia accessit ad eam, quæ sua erat secundùm mandatum divinum, qui est auctor institutionis matrimonii.* Alio modo S. Augustinus Lib. contra Secundianum cap. 21. factum Oseæ excusat, scribens Prophetam mulierem illam fornicariam in uxorem duxisse: *quid inimicum Fidei Christianæ*, inquit, *si meretrix, relicta fornicatione, in castum conjugium commutetur?* Hanc explicationem Theologi communiter amplectuntur. Nec refert quòd filii ex illo connubio progeniti, vocentur filii fornicationis; sic enim appellantur, quia nati sunt ex matre, quæ priùs fuerat fornicaria.

Dices 2. Præceptum observandi Sabbati ad Legem naturalem pertinet; cùm in prima Decalogi tabula tertium locum obtineat: atqui præceptum illud, adveniente Lege Evangelica, mutatum est: ergo Lex naturalis non est immutabilis.

Distinguo majorem: Ad Legem naturalem pertinet sub aliquo respectu, Concedo: sub omni respectu, Nego maj. In præcepto itaque observandi Sabbati, duo spectanda sunt, nempe res ipsa, quæ præcipitur; & tempus, quo executioni est demandanda. Præcipitur 1. ut homo aliquandiu vacet rebus divinis, & propriæ saluti prospiciat: deinde determinatur tempus, quo id præstare

præstare debeat, scilicet septima die cujusque hebdomadis. Primum est naturale: ratio quippe naturalis dictat, propriæ saluti consulendum, & media necessaria ad illam assequendam eligenda. Media autem illa sunt meditatio rerum cœlestium, & oratio, quibus mens amore Dei & patriæ cœlestis inardescit. Quòd autem his spiritualibus exercitiis vacandum sit per diem integram, eamque septimam, & non per interpolatas hebdomadæ horas, præceptum est cæremoniale pertinens ad legem positivam. Porrò præceptum observandi Sabbati, promulgata Lege nova, quoad priùs stat immobile, mutatumque est duntaxat quoad illud posterius, & ut loquitur S. Thomas qu. 100. art. 3. ad 2. quantum ad taxationem temporis.

Ergo Pastores verbi ministerium nunquam prætermittere debent diebus Dominicis & Festis, ut rudiores & idiotæ in ventre memoriæ, quemadmodum scribit S. Gregorius, reconditum habeant quod identidem ad considerationem suaviter revocent, alioqui vacuos traducturi sacros illos dies.

Ergo, qui in Republica terrenis occupationibus, hisce diebus toti detinentur, ut Coqui, Laniones, &c. si spiritale damnum, quod inde incurrunt, aliis hebdomadæ diebus resarcire negligant, Legem naturalem transgredientes, propriæ salutis periculum subeunt. Qua de re graviter eos monere debent Confessarii; opus enim salutis perficitur, non corporis, sed animi viribus, quæ sicut uberiori Dei cognitione atque amore excitantur, ita ejusdem oblivione sensim evanescunt.

Q. 2. *Omnia Legis naturalis præcepta admittuntne indirectam & impropriam dispensationem mox explicatam?*

R Minimè, ut patet vel ex solo mendacio, quod nulla ratione potest fieri licitum.

Q. 3. *Quænam igitur præcepta Legis naturalis omnem dispensationem respuunt, quæve impropriam admittunt?*

R. Respuunt, quæ versantur circa materiam ita intrinsecè malam, ut ne divinitus quidem immutari possit, ut idololatria, falsæ Religionis professio, odium Dei, mendacium, blasphemia, perjurium. Contra verò admittunt, quorum materia est sub dominio & dispositione sive Dei, sive hominis, & ideo mutari potest; vel à Deo solo, vel etiam ab homine.

Ergo solus Deus indirectè dispensare potest circa homicidium, quia solus directum habet dominium in vitam innocentis.

Ergo Princeps impropriè dispensat circa restituendi præceptum, quatenus per legem præscriptionis efficit, ut quod alienum est, fiat proprium ejus, qui bona fide & tempore competenti possedit, ut suo loco dicetur. Imò privatus sic dispensat, dum debitori aut promissori remittit debitum, aut fidem sibi datam. Ergo regula à S. Bernardo supra tradita, nempe Deum indirectè dispensare posse in præceptis secundæ tabulæ, non verò in præceptis primæ aliquam patitur exceptionem; namque circa mendacium, quod pertinet ad secundam tabulam, Deus sic dispensare nequit: in voto autem & juramento promissorio, quæ sunt præcepta primæ tabulæ, hoc modo per Præpositos Ecclesiæ dispensat.

Dices:

Dices : Princeps ergo exigente bono publico, indirectè diſpenſare poteſt circa uſuras : quia cùm habeat dominium altum in bona ſubditorum, poteſt transferre in uſurarium pecuniæ uſurariæ dominium , quemadmodum per præſcriptionem transfert dominium rei alienæ in poſſeſſorem bonæ fidei.

Nego ſequelam ; obſtat enim Lex Divina, quam nulla poteſtas humana ſolvere poteſt : *mutuum date, nihil inde ſperantes* , Luc. 6. quapropter Concilium Viennenſe excommunicatione ferit Principes, qui ſua auctoritate fovent uſuras.

CAPUT VIII.

De Interpretatione Legis.

Q. I. *Quotuplex eſt Legis interpretatio?* R. Duplex, alia minùs propria , alia propriè dicta.

Minùs propria eſt explicatio legis, ubi ſenſus ejus manifeſtus non eſt , vel propter verborum obſcuritatem & ambiguitatem , vel propter circumſtantias , quæ dubium generare poſſent, num ad illas lex extendatur , v. g. an contractus ſic initus, ſit injuſtus, an mendacium ad vitandam mortem neceſſarium, ſit Lege prohibitum.

Interpretatio propriè dicta , eſt Legis correctio in his caſibus , in quibus deficere judicatur. Et hæc interpretatio dicitur fieri per epichiam, ſeu æquitatem ; ſiç v. g. Lex, quæ prohibet, ne Moniales extra ſepta Monaſterii exeant, per epichiam corrigitur in hypotheſi , quòd Monaſterii ædes incendio conflagrent.

Q. 2. *Lex admittitne interpretationem?*

R. 1. Omnis Lex, ſive naturalis, ſive poſitiva, admittit interpretationem impropriè dictam; quia ſæpiùs explicatione indiget, ut conſtat tum ex Chriſti exemplo, qui Matth. 5. Legem naturalem explicuit: tum ex conſtanti Eccleſiæ Traditione, quæ ex poteſtate ſibi divinitus conceſſa, Matth. 18. *quæcunque ſolveritis ſuper terram*, &c. hactenus controverſias circa ſenſum Legis naturalis & poſitivæ natas diremit: v. g. non licere pejerare ad vitandam mortem, occidere ad conſervandam famam, &c. tum ex judiciis forenſibus, quibus Leges civiles explicantur.

R. 2. Interpretatio propriè dicta, quæ fit per epichiam, non cadit in Legem naturalem; quia interpretatio propriè dicta, eſt correctio Legis: atqui Lex naturalis, cùm ex dictis ſit ipſa veritas, ipſa recta ratio corrigi non poteſt; alioquin veritas poſſet eſſe falſitas, & recta ratio error, quod eſt contradictorium: Ergo.

R. 3. Lex poſitiva patitur interpretationem propriè dictam: quia Lex, quæ ita univerſaliter fertur, ut ſi applicetur ſingularibus quibuſdam caſibus, noxia evadat, per epichiam exponi debet: atqui talis eſt Lex poſitiva, ut patet ex ſequentibus exemplis, Lib. 1. Machab. cap. 2. Mathathias, & alii Judæi improbarunt conſilium fratrum ſuorum, qui Religione ducti, maluerunt interfici ab impugnantibus hoſtibus diebus Sabbatorum, quibus prohibentur opera ſervilia, quàm loca, in quibus deliteſcebant, obturare, & armis repugnare. Chriſtus quoque Luc. cap. 14. epichia uſus eſt contra Phariſæos, qui curare infirmos diebus Sabbatorum illicitum arbitrabantur.

Denique

Denique Moniales in allata hypothesi conflagrationis interpretari debent humanum præceptum servandæ clausuræ deficere in illis circumstantiis.

Dices 1. contra secundam responsionis nostræ partem: Glossa in illud Eccli. 17. *addidit eis disciplinam & legem vitæ*, ait, legem litteræ quantùm ad correctionem Legis naturalis scribi voluit.

Respondent S. Thomas q. 94. art. 5. ad primum, Legem scriptam dici datam ad correctionem Legis naturalis, *vel quia per Legem scriptam suppletum est quod Legi naturæ deerat; vel quia Lex naturæ in aliquorum cordibus, quantùm ad aliqua, corrupta erat, & talis corruptio correctione indigebat.*

Instabis: non minùs deficit Lex naturalis in singularibus casibus, quàm Lex positiva: Ergo æquè corrigi debet per epichiam.

Antecedens ostenditur exemplis. Lex naturalis reddendi depositi, servandi secreti, & juramenti implendi, deficit in iis circumstantiis, nempe si dominus ensem depositum repetat ad confligendum duello, vel occidendum innocentem: si fides secreti vergat in publicum damnum; si juramentum sit de re illicita.

Nego ant. Quia Lex naturalis comprehendit omnes & singulas circumstantias, in quibus præcipit aut prohibet; est quippe recta ratio, quæ sanè non jubet, quin potiùs prohibet reddi ensem in perniciem alterius, servari secretum in grave damnum tertii; & stare promisso injustè agendi, etiamsi juramento confirmatum sit. Contra verò Lex positiva, sive divina, sive humana universaliter fertur, v.g. omnes Eucharistiam percipiant in Paschate, peccata sua integrè confiteantur quolibet anno, Sacro intersint singulis diebus

festis,

festis, nec sigillatim explicare debent omnes circumstantias, in quibus Legislator obligare non intendit; sed explicandum relinquit rectæ rationi, & æquitati naturali.

Dices 2. nullus potest esse defectus in Lege Divina: Ergo Lex Divina corrigi nequit.

Distinguo anteced. Nullus potest esse defectus positivus, & quem Legislator vitare debeat, Concedo; nullus defectus negativus, quem Legislator permittere potest & debet, Nego anteced. Verum quidem est, quòd Lex Divina positiva careat illa perfectione, quæ competit Legi naturali, ut se extendat ad omnes & singulas circumstantias, quæ occurrere possunt. Sed ex dictis illa perfectio non convenit Legi positivæ; qualis enim esset Lex his verbis concepta: Omnes peccata sua integrè confiteantur, nisi ratio ipsis aliter suadeat?

Q. 3. *Cujus est interpretari Legem?*

R. Vel evidens est, Legem non extendi ad has circumstantias, vel est dubium.

Si primum, cujusvis est Legem interpretari ex S. Thoma q. 91. art. 1. quia cùm manifesta sit Legislatoris intentio, frustra de ea inquireretur. Ratio autem evidenter demonstrat, Legem in iis casibus non esse servandam, in quibus vel est Reipublicæ noxia, vel pugnat cum Lege superiori, ita ut sine peccato servari nequeat, ùt ensem depositum reddere furioso, Sacrum audire die sacro, cùm charitas prohibet ne ægrotus derelinquatur. Utrùm autem Lex obliget cum gravi incommodo, expendemus capite sequenti.

Si

Si ſecundum, nempe ſi dubium ſit, num Lex comprehendat has circumſtantias, triplex poteſt eſſe interpretatio.

Alia dicitur uſualis, quæ petitur ex communi uſu; conſuetudo enim eſt optima Legum interpres, ut habetur in regulis juris, & cap. *Cùm dilectus*, tit. de Conſuetudine.

Altera dicitur authentica, id eſt, cum auctoritate prolata; quia fit per ipſum Legislatorem vel ejus Succeſſorem, vel Superiorem, vel denique per Miniſtros ab ipſo conſtitutos; habetque vim Legis. Sic Eccleſia auctoritate Dei Legem Evangelicam interpretatur, & Principes politici Legem civilem.

Tertia dicitur doctrinalis; quia habetur per Doctorum reſponſa, qui doctrinaliter definiunt, quid ſit juris in his aut illis circumſtantiis. Quamvis autem hæc interpretatio non habeat vim Legis, temerè tamen, & contra dictamen rationis rejiceretur, ſi Theologi & Juriſperiti in eam communiter conſentiant. Quòd ſi diſſentiant, ſtandum eſt his, quæ ſupra tradidimus de conſcientia probabili.

Q. 4. *Quid obſervandum Confeſſariis, & Parochis, cùm Fideles dubia proponunt, & Legis interpretationem ab ipſis requirunt?*

R. 1. Ante omnia habeant præ oculis illud Eccli. 5. verſ. 13. *Si eſt tibi intellectus, reſponde proximo: ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiaris in verbo indiſciplinato;* hoc eſt, noverint quid ferat jus, quidve probati Auctores ſentiant circa materiam, de qua quæritur, alioquin ipſimet conſilium quærant à ſapientioribus, priuſquam reſpondeant. Nimis quippe grave eſt, & prorſus intole-

intolerabile, quòd plurimi Sacerdotes Legum ignari, sola duce conscientia ad omnem quæstionem in quacunque materia, ex proprio cerebro intrepidè respondeant, *non puto, ita sentio, sic mihi videtur.* Duces planè cæci, qui cum sequentibus se in foveam cadunt, Matth. 15. v. 14.

Enimverò constat ex dictis, conscientiam non esse solam morum regulam, eumque peccare, qui propria conscientia ductus, contra Legem agit, aut consulit; quia conscientia ad omnem favoris humani, & timoris mundani flatum verti solet, nisi Lege firmetur, & dirigatur.

Quanquam conscientia in iis, quæ sunt juris merè positivi, sine doctrina prorsus cæcutit. Parochus ergo, sive Confessarius nunquam respondeat juxta id, quod sibi videtur, nisi sciat quid ferat jus, quidve periti sentiant circa propositum dubium.

R. 2. Si non pateat quid statuerit Lex, nodum difficultatis secundùm regulas doctrinalis interpretationis cautè dissolvant, respondeantque ad mentem Legislatoris, non ad suam. Hoc quippè interest authenticam inter & doctrinalem interpretationem, quòd in illa Legislator aliquando Legi suæ derogare possit, prout magis congruere videbitur: privatus verò Interpres voluntatem Legislatoris per omnia sequi teneatur, ut docet S. Augustinus Lib. de vera Religione cap. 11. ubi sic scribit: *In temporalibus legibus, quamvis homines judicent de his, cùm eas instituunt; tamen quando sunt institutæ & firmatæ, non licebit de ipsis judicare, sed secundùm ipsas.* De Legibus autem judicant, qui præ Legislatore sapere præsumentes, agunt & consulunt, prout magis expedire ipsis videtur, spreta lege,

&

& Legislatoris voluntate. Sed detur illis, quòd utilius foret aliter ſtatuere; alios ritus v. gr. in ſacris Myſteriis peragendis præſcribere, & alia ordinare, propter quæ, ſi in conſilium Legislatoris vocati fuiſſent, fortè non ita ſanxiſſet: attamen Lege jam lata & firmata, quamvis minùs utiliter, ut ipſis videtur, non licet de ea judicare: alioquin Lex ipſa, de qua injuſtè judicant, ipſos uti tranſgreſſores juſtè judicabit damnabitque.

Addit S. Thomas, quæſt. 97. art. 2. nequidem licere Legislatoris mutare Legem à ſe latam, quoties aliquid melius occurrit. Et in reſponſione ad primum, docet in hoc differre artem à Lege, *quòd ea, quæ ſunt artis, habent efficaciam ex ſola ratione; & ideò, ubicumque melioratio occurrit, eſt mutandum quod priùs tenebatur, ſed Leges habent maximam virtutem ex conſuetudine, ut Philoſophus dicit in 2. polit. & ideo non ſunt de facili mutandæ*; Ergo in doctrinali interpretatione non proprio ſenſui, ſed Legi adhærere oportet.

R. 3. Noverint inſuper, quòd ad aſſequendam Legislatoris mentem, non tam attendenda ſit ejus ratio, quàm verba; quia ubi de Lege poſitiva agitur, ratio non eſt Lex, nec Legem facit, niſi ad eam acceſſerit Legislatoris voluntas, ſeu præceptum. Unde Legis Interpres non argumentabitur ex paritate rationis, niſi fortè in relativis; namque eadem ratio, quo v. g. Pariſiis pediſſequi vetantur procedere enſe accincti, militare videtur etiam contra Scholares, ad quos tamen Lex non extenditur. Quid ita, cùm videatur par ratio? quia Legis verba eos non comprehendunt.

Dixi,

Dixi, *nisi in relativis*; quia Lege finali cod. de indicta viduitate sic sancitur, *dispositum in uno correlativo, censetur esse dispositum in alio*, v. gr. si ob sponsi absentiam sine licentia sponsæ dissolvuntur sponsalia, possunt & dissolvi ob absentiam sponsæ, sine sponsi licentia.

Verba autem Legis juxta eorum proprietatem accipienda sunt, nisi sic accepta vel sensum absurdum reddant, vel Legem inutilem efficiant. Si sint æquivoca, ex antecedentibus & consequentibus spectanda est verbi significatio, Legis intentio & ratio, & servanda regula 68. de Regulis juris, *quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipietur, quæ rei gerendæ aptior est.*

Si secundùm communem Interpretum sententiam dubium sit, an verba Legis humanæ hunc casum comprehendant, licet perinde agere, ac si casus ille Lege non comprehenderetur; quia sicut in dubio num detineam rem alienam, non teneor me spoliare post adhibitam diligentiam, sic nec Legi obedire, si revera dubium sit secundùm Legis Interpretes, num Legislator me obligare voluerit. Si verba Legis sint universalia, non sunt limitanda, nisi pugnent contra aliam Legem, aut aliter constet de mente Legislatoris, aliàs pateret via innumeris interpretationibus, quæ Legem enervarent, & ferè inutilem redderent. Exemplum affero. Si Lex municipalis irritas reddit quascunque donationes conjugum factas causa mortis, non licet excipere casum, in quo uxor, viro insignem exhibuisset operam.

Dixi, *Nisi verba universaliter sumpta pugnent contra aliam Legem?* Quia Legislator non censetur alteri derogare voluisse, nisi expresserit. Hinc maritus

ritus in allato exemplo poteſt retinere quod ſibi ab uxore donatum eſt cauſa mortis, ſi illud ex juſtitia erat debitum. Similiter Epiſcopus, qui abſque limitatione delegavit Sacerdotem ad excipiendas confeſſiones, non præſumitur derogaſſe vel legi, qua ſibi reſervat quoſdam caſus, vel Canoni: *Omnis utriuſque ſexus*, quem vult obſervari in ſua Diœceſi, niſi utrumque in ſuo Mandato expreſſerit.

Juvant etiam ad Legis interpretationem illa juris axiomata: *Conſuetudo eſt legitima Legis interpres. Beneficium Principis eſt interpretandum largiſſime . . . . odia reſtringi, favores convenit ampliari.* Verùm ſcitè iis uti oportet; Namque 1. conſuetudo eſt ſæpè verus abuſus, & mera Legis prævaricatio, ut dicetur infrà. 2. Quod pugnat contra Leges & bonum commune, etſi faveat votis & cupiditati alicujus privati, favor dicendus non eſt, ſed odium. Unde nec diſpenſatio eſt amplianda (ſed ſtrictè explicanda; quia per eam plaga infertur Legibus) nec privilegium, quando oneroſum eſt communitati. In jure itaque beneficium favor eſt, quod ita uni prodeſt, ut alteri non noceat: odium verò, ſi, dum unum levat, alios gravet.

R. 4. Non innitantur prudentiæ ſuæ, nec pares ſe eſſe præſumant ſolvendis omnibus dubiis, quæ in Parochia, & tribunali pœnitentiæ occurrere poſſunt; ſed conſilium Prælati, ubi neceſſe eſt, requirant, juxta Eccleſiaſt. 6. *In multitudine Presbyterorum ſta, & ſapientiæ illorum ex animo conjungere;* namque ex S. Thoma 2. 2. qu. 49. art. 3. ad 3. *nullus in his, quæ ſubſunt prudentiæ, ſibi quantùm ad omnia ſufficit.* Atque inde probat, doci-

litatem à Philoſophis rectè conſtituti partem prudentiæ. *Namque prudentia*, inquit, *conſiſtit circa particularia operabilia, in quibus cùm ſint quaſi infinitæ diverſitates, non poſſunt ab uno homine ſufficienter omnia conſiderari. Unde in his, quæ ad prudentiam pertinent, maximè indiget homo ab alio erudiri . . . . hoc autem pertinet ad docilitatem, ut aliquis ſit bene diſciplinæ ſuſceptivus; & ideò convenienter docilitas ponitur pars prudentiæ . . . . dum ſcilicet homo ſollicitè, frequenter, & reverenter applicat animum ſuum documentis majorum, non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens propter ſuperbiam.*

Confirmatur exemplo celeberrimorum Doctorum, qui, licèt in interpretandis Legibus verſatiſſimi, hærent nonnunquam in caſibus difficilioribus, & ad Libros, conſiliumve aliorum ſapientum recurrere opus habent. Ipſemet S. Auguſtinus præcipuum Eccleſiæ lumen, fatetur Lib. 21. de Civit. cap. 27. ſe aliquando dijudicare non poſſe inter peccata, quæ pœnam æternam, & ea, quæ temporalem duntaxat merentur, additque periculoſiſſimum eſſe in his præcipitem ferre ſententiam. Denique totum ferè Corpus Juris Canonici nihil eſt aliud, quàm collectio reſponſionum ad conſulta, quibus Epiſcopi, & alii viri inſignes ex variis orbis partibus, Sedem Apoſtolicam pulſare conſueverant.

Nec dicas, in pagis & villulis non ita difficiles caſus occurrere, namque quotidiana experientia conſtat, ex iiſdem locis quæſtiones valdè intricatas proponi. Nec mirum; quia ubi ignorantia ampliùs viget, ibi homines frequentiùs in erroris laqueos ſe conjiciunt, ex quibus non facile ſit eos expedire.

CAPUT

CAPUT IX.

Utrùm Lex obliget cum gravi nocumento, atque etiam cum vitæ periculo?

Hæc quæstio ad Legis interpretationem pertinet, estque solvenda ex præmissis principiis. Juxta quæ

R. 1. Præcepta Juris naturalis, quæ versantur circa materiam, quæ est vel intrinsecè mala, ut prohibens mendacium, perjurium, blasphemiam, vel solius Dei dominio subjicitur, ut Lex prohibens homicidium, polygamiam, obligant etiam cum vitæ periculo.

Probatur 1. Ecclesiast. cap. 4. *Pro justitia agonizare usque ad mortem.* Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Joan. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam.*

Probatur 2. Traditione: Namque Ecclesia hactenus damnavit tanquam gravioris peccati reos, qui tormentorum vi aut metu fidem abjurarunt. Clerus Gallicanus anno 1700. proscripsit doctrinam quorumdam Modernorum, qua docebant, licitum esse ad vitandam mortem, jurare absque intentione jurandi; aut cum amphibologia, & cum restrictione mentali; occidere pro defensione famæ, & bonorum fortunæ, Susannam in extremis angustiis constitutam potuisse pati libidinem infandorum Seniorum passivè se habendo. Præiverant Innocentius XI. anno 1679. & Facultas Parisiensis anno 1665.

Probatur 3. ratione; Quia nisi præcepta illa obligarent cum vitæ periculo, sequeretur, vel

quod intrinſecè & eſſentialiter malum eſt, in extremis anguſtiis fieri bonum, aut ſaltem indifferens, vel honeſtum eſſe juxta Legem æternam, & rectam rationem aliquando malè agere: atqui utrumque eſt longè abſurdiſſimum, & prorſus contradictorium: Ergo. Hinc non licet fœtum in utero materno præfocare, quamvis non poſſit aliter conſuli ſaluti matris; quia occidere innocentem eſt res per ſe mala.

R. 2. Præcepta Legis naturalis, quæ ex contractu, & hominum diſpoſitione exurgunt, non obligant cum mortis periculo, & ex iis aliqua nequidem cum gravi nocumento. Reſponſio exemplis patebit quoad utramque partem.

Quoad primam, 1. præſuppoſita rerum diviſione exurgit naturale præceptum, *non furtum facies;* ſed homines illam diviſionem facere nequiverunt in naturæ præjudicium, pro cujus conſervatione Deus terram dedit filiis hominum: ergo res in extrema neceſſitate redeunt ad ſuum priſtinum ſtatum, fiuntque communes; ac proinde non tenetur quis fame perire, cùm in promptu adeſt panis alterius; nec ſegetibus parcere, ſi aliter gladium perſequentis ſe fugere non poſſit. 2. Ex emptione mancipii, & ex contractu matrimonii naſcitur in mancipio naturalis obligatio obediendi domino, & in conjuge reddendi debitum conjugale: ſed illa obligatio non extenditur ad eum caſum, in quo iſta præſtari nequeunt ſine vitæ diſcrimine, putà ſi dominus mancipium evidenti mortis periculo exponit, ſi alter conjugum ſit lepra, & alio peſtifero morbo infectus; ſi uxor Medicorum judicio in partu mortem non

ſit

ſit evaſura; quia contractus humani fieri intelliguntur, ſalvis naturæ juribus.

Quoad ſecundam etiam partem, ſuadetur reſponſio exemplo voti & reſtitutionis. Votum quippe, v. gr. jejunandi, Horas Canonicas recitandi, jure naturali eſt obſervandum, non obligat tamen cum ſanitatis diſcrimine, quia ex dicendis ubi de voto, intentio voventis præſumitur excluſiſſe tantum incommodum; alioquin fuiſſet temeraria. Item, debitor in gravi neceſſitate conſtitutus, licitè differt reſtitutionem, quia ſi creditor pari neceſſitate non laboret, ex charitate vel miſericordia tenetur hanc dilationem concedere.

R. 3. Præcepta Legis poſitivæ, ſive divinæ, ſive humanæ, ordinariè non obligant cum gravi nocumento.

Probatur 1. ex Scriptura. Chriſtus judicio ſuo comprobat, Matth. 12. verſ. 4. quòd David in neceſſitate gravi comederit Panes propoſitionis, quos ſecundùm Legem divinam edere non licebat, niſi ſolis Sacerdotibus; & Luc. 14. v. 5. Quòd Judæi Sabbato ſervilibus operibus vacarent ad extrahendum jumentum, ſi fortè ſacro illo die in puteum incidiſſet.

Probatur 2. ratione; Quia cùm præcepta illa verſentur circa materiam minimè neceſſariam, & impoſita ſint in bonum publicum, interpretari licet eam eſſe Legislatoris mentem, ut non obligent cum gravi ſubditorum detrimento, tum maximè, cùm bonum publicum id non poſtulat.

Dixi, *ordinariè;* Quia Lex poſitiva ſive divina, ſive humana, obligare poteſt cum mortis periculo.

1. Quando præceptum omitti non poteſt, vel ſine gravi aliorum ſcandalo, vel ſine contemptu Religionis, ut ſi hæreticus in odium præcepti Eccleſiaſtici, cogeret ad manducandas carnes die Veneris: in his enim caſibus imitandum eſt exemplum Eleazari, & fratrum Machabæorum, qui elegerunt magis mori, quàm manducare carnem ſuillam in veteri Lege prohibitam, 2. Mach. 7.

2. Quando commune Reipublicæ bonum exigit v. gr. ut Cives cum vitæ diſcrimine pugnent, ut miles ex ducis præcepto ſtationem non dimittat propter mortis periculum; rationi quippe conſentaneum eſt, quòd pars propter ſalutem totius periculo ſeſe objiciat. Hinc laudabilis cenſetur Lex Carthuſianorum, juxta quam à carnibus abſtinent, etiam cùm Medici judicio neceſſariæ ſunt ad ſanitatem reſtaurandam; ſatius enim eſt unius privati vitam periclitari, quàm januam in ſancto illo Ordine aperire multis abuſibus. Et ita ſenſiſſe fertur Patres Tridentinos, cùm quæſtio apud eoſdem moveretur, num ille Carthuſianorum rigor eſſet mitigandus.

Confirmatur. Si paterfamilias periculoſè decumbens, ne nimis familiam gravet, licitè parcit magnis impenſis ad comparandum pretioſiſſimum remedium, & morbo depellendo aptiſſimum, quidni & Carthuſianus, ne ſolvatur Ordinis ſui obſervantia, laudabiliter abſtinebit à carnibus, alioqui ſaluti corporis neceſſariis? is tamen uti deberet, ſi nullus alius cibus præſto eſſet, modò tamen id fieret citra aliorum ſcandalum.

Dices 1. contra primam reſponſionem; Seipſum occidere, eſt quid intrinſecè malum: atqui ille ſeipſum occidit, qui medium rejicit, putà menda-

mendacium vel cibum, ſine quo vita conſervari non poteſt: ergo vel Lex naturalis non obligat in extremis anguſtiis: vel ſi obligat juxta reſponſionem, homo in iis conſtitutus erit perplexus, peccabitque quocumque ſe verterit; ſi enim mentiatur, peccabit juxta reſponſionem: ſi à mendacio abſtineat, non minùs erit ſui homicida, quàm ſi omnem cibum reſpueret.

Conceſſa majore, diſtinguo minor. Si uſus medii ſit honeſtus & ad ultimum finem ordinari poſſit, ut uſus alimentorum, Concedo: Si ſit inhoneſtus & malus, Nego minor. Nam ex S. Thoma, quod ſine peccato fieri nequit, illud ſimpliciter impoſſibile eſt: quæ autem ſunt impoſſibilia, non cadunt ſub præceptum, ac proinde qui mortem ſine mendacio effugere nequit, non minùs caret medio ad vitam conſervandam, quàm cui nullum ſuppetit alimentum. Probroſum namque foret Chriſtianum id non ſentire, quod Poëta Juvenalis, licèt Ethnicus, veriſſimè cecinit:

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſas.

Vivendi cauſas vocat honeſtatem & virtutis opera, quia ſicut cauſa excolendæ arboris, ſunt fructus ex ea percipiendi, adeò ut omnium judicio ſuccidi debeat arbor, quæ nullos aut malos fructus producit, ſic cauſa finalis vitæ humanæ, ſunt actus laudabiles, ac proinde nihili facienda eſt, quando honeſtè & ſine peccato conſervari nequit; perabſurdum enim eſt fini præferre media, ſanitati remedia, & virtuti vitam temporalem. Hæc ſolo lumine naturali vidit homo ethnicus in nocte infidelitatis conſtitutus, ad quæ nonnulli

Christiani in meridiana Evangelii luce cæcutiunt.

Dices 2. Infans censetur pars matris, quamdiu in ejus utero continetur: atqui licet amputare membrum, quando est toti corpori noxium: Ergo.

Distinguo majorem: Est pars moraliter, & civiliter: Concedo: Physicè, Nego major. Est enim persona realiter à matre distincta, in cujus vitam nec mater, nec Respublica habent dominium directum.

Instabis: Principes animadvertunt in eos, qui aliis sunt noxii; non enim sine causa gladium portant, Rom. 13. Ergo, cùm infans matrem in vitæ periculum conjiciat, licitè interficitur.

Distinguo antecedens: qui aliis sunt noxii injustè, Concedo: Inculpatè, quemadmodum infans, Nego anteced.

Urgebis: furibundi & rabie perciti licitè suffocantur, quamvis sine sua culpa aliis noceant: Ergo.

R 1. Negari potest anteced. Recludi quippe debent hujusmodi homines, non occidi. Sed quidquid sit de antecedente,

R. 2. Negando conseq. Disparitas est quòd rabiosi, quamvis non sint formaliter injusti ob defectum libertatis, injusta tamen faciunt, & cùm obvios quosque directè & sævè nimis aggrediuntur, vim vi licet repellere. At infans intra materna viscera nihil injustum contra eam molitur, nec mortis periculum, quod ipsa ejus occasione incurrit, ipsi imputari potest, etiam in hypothesi quòd esset mentis compos. Unde nec mater, nec quivis alius plus juris habet illum

lum occidendi, quàm eques hostem insequentem fugiens proterendi obvios, qui præter intentionem sunt fugæ obstaculum.

CAPUT X.

De Dispensatione in Lege positiva.

Q. 1. *Quid est dispensatio?*

R. Est relaxatio juris communis cum cognitione causæ facta in quibusdam casibus ab eo, qui habet jurisdictionem.

Dicitur 1. *Relaxatio juris communis*, ut distinguatur 1. ab interpretatione, quæ est mera Legis explicatio, in qua superior simpliciter & juridicè declarat Legem ad casum sibi propositum non extendi, v. gr. votum non obligare in iis circumstantiis. Vulgò tamen hæc interpretatio vocatur dispensatio, sed impropriè. 2. A permissione, quæ Legem non relaxat, sed conditionem apponit, sub qua Lex non obligat, ut prohibitione ingrediendi Monasteria Monialium sine permissione Ordinarii. 3. A privilegio, quod plerumque non est contra, sed præter Legem, ut privilegium Clericale.

Dicitur 2. *Cum cognitione causæ;* Quia Lex non est relaxanda, nisi adhibita diligenti consideratione, ut habetur capit. *Necessaria*, causa 1. quæst. 7.

Dicitur 3. *Facta in quibusdam casibus*, in quo iterum differt à Privilegio, quod conceditur in perpetuum, & per modum Legis.

Dicitur 4. *Ab eo qui habet jurisdictionem;* Quia ex S. Thoma qu. 97. art. 4. *Periculosum esset, ut hoc judicio cujuslibet committeretur, nisi fortè propter evi-*

dens & subitum periculum; & ideò ille, qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in Lege humana, quæ sua auctoritate nititur, ut scilicet in personis, vel in casibus, in quibus Lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum Legis non servetur.

Q. 2. *Lex positiva admittitne dispensationem propriè dictam?*

R. Admittit, præsertim humana; quia ut ratiocinatur S. Thomas cit. qu. 97. art. 4. Leges latæ sunt, ut proficiant, non verò ut noceant: atqui aliquando contingit Legem positivam, quæ lata est in bonum commune, noxiam esse in quibusdam circumstantiis, quas Legislator aut fortè non prævidit; aut si præviderit, exprimere non debuit. Nam ex dictis hoc discrimen est inter Legem naturalem & positivam, quòd Lex naturalis se extendat ad omnes & singulos casus, solaque explicatione, seu interpretatione indigeat; Lex verò positiva spectet duntaxat, quæ communiter fieri, aut vitari debent.

Ergo fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, debet attendere, quod cuique utile sit, & severitatem Legis relaxare, ubi aliquem è subditis nimis gravari contigerit; Legi enim insistere, cùm ejus observantia infert præjudicium, crudelitatem sapit, ex Symmacho Papa Epistola ad Avitum.

Ergo dispensatio non est mera gratia, quam superior pro libitu concedere, vel denegare possit; sed est necessarium levamen, quod ex officio & ex justitia distributiva impendere tenetur iis qui indigent, ut colligitur ex laudato capit. *Necessaria*, ubi summus Pontifex sic loquitur: *Necessaria rerum dispensatione constringimur, Apostolicæ Sedis*

dis moderamine convenimur, ſic canonum paternorum decreta liberare . . . ut quæ præſentium neceſſitas temporum reſtaurandis Eccleſiis, relaxanda depoſcit, adhibita diligenti conſideratione (quantum poteſt fieri) temperemus. Sic Apoſtolus 2. Cor. 2. partem impoſitæ ſatisfactionis inceſto remiſit, ne abundantiori abſorberetur triſtitia. Sic S. Cyprianus pœnitentiæ tempora reſtrinxit propter imminentem perſecutionem: ratus eum non eſſe idoneum ad martyrium, quem accepta Euchariſtia armaret ad prælium.

Dixi in reſponſione, *præſertim Lex humana*; Non enim deſunt Theologi, qui docent Legem divinam non admittere diſpenſationem proriè dictam, ſed interpretationem duntaxat, hoc eſt, ſuperiorem non ſolvere vinculum Legis divinæ, ſed juridicè tantùm declarare, eàm non extendi ad hunc aut illum caſum. Verùm S. Thomas cit. art. 4. agnoſcit diſpenſationem in utramque Legem cadere; ſic enim habet in reſponſione ad tertium, *ſicut in Lege humana publica non poteſt diſpenſare, niſi ille à quo Lex auctoritatem habet, vel is, cui ipſe commiſerit: ita in præceptis juris divini, quæ ſunt à Deo, nullus poteſt diſpenſare niſi Deus, vel is, cui ipſe ſpecialiter committeret.*

Q. 3. *Quis poteſt diſpenſare in Lege poſitiva?*

R. 1. Certum eſt ipſummet Legislatorem poſſe diſpenſare in Lege à ſe lata, cùm ex dictis tota ex ejus voluntate pendeat. Sed difficultas eſt, utrùm inferior poſſit diſpenſare in Lege Superioris?

R. 2. Inferior non poteſt diſpenſare in Lege Superioris niſi id ipſi ſit conceſſum vel jure, vel conſuetudine, vel delegatione. Ita habetur Clementina, Capit. *Romani*, de Elect. *Lex Superioris*

per

per inferiorem tolli non poteſt. Et ratio eſt, Inferior ipſe Lege Superioris conſtringitur, eique parere debet ſicut cæteri.

Dixi, *Niſi id ſit ipſi conceſſum*, &c. Ex uſu enim Epiſcopi diſpenſant in Canonibus & præceptis univerſalis Eccleſiæ, niſi diſpenſatio ſit ſpecialiter reſervata Summo Pontifici: quin & hæc ipſis committitur, quando non patet recurſus ad Sedem Apoſtolicam.

Q. 4. *Diſpenſatio ſine cauſa eſtne licita?*

R. Minimè, colligiturque ex allata definitione diſpenſationis, in qua dicitur debere fieri cum cognitione cauſæ.

Probatur autem 1. ex Concilii Tridentini Seſſ. 25. cap. 18. de Reform. ubi ſic habetur: *Quòd ſi urgens juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverint cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis, à quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum, aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.* Et Seſſ. 24. cap. 5. de Reform. *in contrahendis matrimoniis, vel nulla omninò detur diſpenſatio, vel rarò, idque ex cauſa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.*

Probatur 2. ex Patribus. Sanctus Bernardus, Lib. 3. de Conſiderat. cap. 4. ſic alloquitur Eugenium Summum Pontificem: *Quid ergo, prohibeo diſpenſare? non ſum tam rudis, ut ignorem poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Denique quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt; ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas, dico, communis, non propria; nam cùm nihil horum eſt,*

non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Et ad confirmandam suam sententiam profert sanctorum Patrum testimonia Lib. de Præcept. & dispens. c. 2. *Numquid autem hoc dico, vel solus sentio, vel primus dico? Annon hoc ipsum & Papa Gelasius sentit? ait siquidem, ubi necessitas non est, inconvertibilia maneant sanctorum Patrum Decreta. Leo quoque Papa, ubi, inquit, necessitas non est, nullo modo sanctorum Patrum constituta violentur.* Et cap. 4. de statutis Monachorum, sic habet: *Neque enim Abbas supra regulam est, cui semel, & ipse spontanea se professione submisit; etsi (quod negandum non est) Dei regula charitas, regulæ S. Benedicti jure præponitur. Esto proinde ut interdum regulæ littera cedat pro tempore charitati, cùm ratio necessitatis, vel charitatis exegerit: absit tamen ut hominis cujuspiam subdatur voluntati.* Sanctus quoque Thomas, qu. 197. art. 4. sic scribit: *Si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret.*

Probatur 3. ratione triplici. Prima, Prælatus ex officio tenetur invigilare legum observationi, *defensores divinorum Canonum, & custodes sumus, non prævaricatores*, inquit Martinus I. Epist. 5. Ergo infidelis est erga Ecclesiam, si Leges ejus impunè transgredi patiatur, magìs si ipse sit transgressionis auctor. Secunda, quia ex dictis Legislator peccat, si sine causa non servet Legem à se latam: ergo à fortiori, si eam concedat ab aliis negligi. Tertia tangitur à Patribus Tridentinis laudato cap. 18. Sess. 25. his verbis: *Frequentiùs, Legem observare, exemploque potiùs, quàm certo personarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est,*

quàm unicuique ad Leges tranſgrediendas aditum aperire. Enimverò ſubditi facilè credunt idem ſibi licere, quod aliis, tum maximè, cùm nulla ſpecialis cauſa, aut ratio exiſtit, cur Lex ab uno potiùs quàm ab alio ſervari debeat, ſicque infidelis diſpenſatio in malum exemplum trahitur, & eſt plurium tranſgreſſionum occaſio. Itaque non minùs cautè diſpenſandum eſt, quàm membrum corporis incidendum, hoc eſt, quatenus neceſſarium, & expedit ſaluti totius; Nam diſpenſatio ad mentem S. Auguſtini eſt quædam diſciplinæ plaga: *Fit quidem*, inquit, *aliquid tanquam in cortice arboris matris contra integritatem ſeveritatis.*

Q. 5. *Quale eſt peccatum diſpenſare ſine cauſa?*

R. Eſt ex natura ſua mortale juxta communem Theologorum ſententiam; quia hujuſmodi diſpenſatio ex natura ſua pugnat contra charitatem & bonum commune, multiſque eſt peccandi occaſio. Levitas tamen materiæ excuſare poteſt à mortali, ſicut in qualibet alia materia.

Q. 6. *Diſpenſatio ſine cauſa eſtne valida?*

R. 1. Si facta ſit ab ipſo Legislatore vel ab ejus ſucceſſore, valida eſt, quamvis illicita; quia ex dictis Lex poſitiva non habet vim obligandi, niſi ex voluntate Legislatoris: atqui Legislator non vult ſubditum obligari in eo caſu, in quo cum illo diſpenſat: Ergo.

R. 2. Si diſpenſatio procedat ab inferiori, irrita eſt & prorſus nulla; quia inferior non poteſt diſpenſare in Lege ſuperioris. Nec refert quòd inferior habeat à ſuperiore diſpenſandi facultatem; namque ſuperior non præſumitur id conceſſiſſe, quod ſine peccato concedere non poteſt: atqui ſuperior non minùs peccaret, ſi inferiori deman-

demandaret dispensare absque causa, quàm si ipsemet sine ratione dispensaret: ergo recta ratio postulat, ut interpretemur ipsum concessisse inferiori facultatem dispensandi secundùm regulas juris, & non aliàs, velleque legem suam ab omnibus observari, quantùm fieri potest, absque eorum præjudicio, & boni communis dispendio.

Confirmatur. Prælatus inferior non potest absque causa secum dispensare in lege Superioris, Episcopus, v. g. in lege abstinendi à carnibus diebus Veneris, jejunandi per Quadragesimam, recitandi Horas Canonicas; quia sunt præcepta universalis Ecclesiæ, quibus parere tenetur: ergo nec cum subditis in hujusmodi præceptis validè dispensare potest, si desit dispensandi causa.

Ergo nulla est dispensatio sine causa à Summo Pontifice obtenta in voto, & juramento; quia lex voti & juramenti est Juris Divini, cui subest Summus Pontifex.

Ergo sine causa validè non dispensaret Episcopus in impedimentis matrimonii; quia hujusmodi impedimenta sunt Leges universalis Ecclesiæ, quæ est supra Episcopum.

Q. 7. *Licetne petere dispensationem sine causa?*

R. Minimè; Quia per hujusmodi supplicationem Legislator inducitur ad peccandum: ergo si talis dispensatio sit grave peccatum in superiore, juxta præcedentem responsionem, erit & in supplice, nisi excuset ignorantia & bona fides, qua rem totam committit judicio Superioris.

Viderint ergo Parochi, qua conscientia, nedum Parochianos avertant ab hujusmodi illicitis supplicationibus, sicut tenentur ex officio; quin potiùs illas suadent, & pro iis intercedunt apud Superiorem.

Q. 8.

Q. 8. *Subditus poteſtne uti diſpenſatione, quam ſine cauſa obtinuit?*

R. 1. Si diſpenſatio eſt valida, validè ea utitur; quia per diſpenſationem illam ſolutus eſt à lege quoad hunc effectum. Uſus tamen ille eſt illicitus; quia quamvis ablatum ſit humanæ legis vinculum, ſupereſt tamen obligatio legis naturalis, juxta quam pars non debet abſque cauſa diſcrepare à ſuo toto, nec aliis præbere ſcandalum, ſive malum exemplum.

R. 2. Si diſpenſatio eſt irrita & prorſùs nulla, nullum parit effectum, & irritum eſt, quod inde conſequitur: putà matrimonium.

Dices: In Curia Romana plures diſpenſationes obtinentur ſine cauſa, atqui hujuſmodi diſpenſationes effectum ſortiuntur, matrimonia, v. g. validè contrahuntur: Ergo.

Diſtinguo major. Obtinentur obreptitiè, aut ſubreptitiè, Concedo: Obtinentur abſque ulla apparente cauſa, Nego major. Namque Summus Pontifex in ſuis Bullis, ſive Reſcriptis teſtatur ſe motum fuiſſe ex rationalibus cauſis ad concedendam gratiam, remittitque ad examen Ordinarii, num preces veritate nitantur. Si quæ ſit ergo hìc culpa, potiùs tribuenda eſt Mandatario, quàm Mandanti.

Inſtabis: Expeditionarii, ſeu Bancharii diſtinguunt inter diſpenſationes in Curia Romana obtentas; alias vocant diſpenſationes cum cauſa, alias ſine cauſa: ergo reverà Summus Pontifex aliquando ſine cauſa diſpenſat.

Nego conſequentiam; Illæ enim dicuntur ſine cauſa, pro quibus obtinendis ſolvitur Cameræ Apoſtolicæ notabilis pecuniæ ſumma, quæ, cùm inſer-

inserviat ad sustinenda gravia Summi Pontificis onera Reipublicæ Christianæ necessaria, censetur in eadem Curia rationabilis causa, ex qua dispensatur cum iis, qui aliam dispensandi causam non exponunt.

Q. 9. *Quid est obreptio & subreptio?*

R. Obrepere dicitur, qui in sua supplicatione narrat falsa: subrepere verò, qui tacet, quæ exponi debent juxta Legem, Cancellariæ regulas & stylum.

Q. 10. *Estne irrita dispensatio, quoties in narratione fuit obreptio, vel subreptio?*

R. 1. Generatim. Rem dilucidè explicat Innocentius III. Cap. *Super litteris*, de Rescriptis, ubi decernit eum, qui mala fide falsum narrat, aut verum reticet, carere impetratis. Si autem bona fide, & sine ipsiusmet impetrantis culpa, obreptio vel subreptio contigerit, observandum docet, num summus Pontifex, cognita causa gratiam fuisset concessurus, aut negaturus? Si primum, valet dispensatio: si secundum, caret effectu: in dubio, ad delegati examen & judicium remittit. Quia celebre est illud Capitulum, & ad enodandas plures difficultates pernecessarium, non abs re erit illud majori ex parte exscribere: *Nos igitur inter eos, qui per fraudem vel malitiam, & illos, qui per simplicitatem, vel ignorantiam, litteras à nobis impetrant, hujusmodi credimus discretionem adhibendam, ut hi, qui priori modo falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem; in suæ perversitatis pœnam, nullum ex illis litteris commodum consequantur . . . . inter alios autem, qui posteriori modo litteras impetrant, duximus distinguendum, quæ falsitas suggesta fuerit, vel quæ veritas sit suppressa. Nam si talis expressa sit falsitas,*

vel veritas occultata, quæ quamvis fuisset tacita, vel expressa; nos nihilominus (saltem in forma communi) litteras dedissemus; Delegatus non sequens formam in litteris ipsis appositam, secundùm ordinem juris in causa procedat. Si verò per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis litteræ fuerint impetratæ, qua tacita vel expressa, nos nullas prorsus litteras dedissemus, à Delegato non est aliquatenus procedendum, nisi forsitan eatenus, ut partibus ad suam præsentiam convocatis, de precum qualitate cognoscat, ut sic in utroque casu eadem ratio, quæ delegantem moveret, moveat etiam Delegatum.

Ergo in hypothesi, quòd in libello supplici ad obtinendam dispensationem in aliquo consanguinitatis gradu, ab Expeditionario inter graves dispensandi causas falsò expositum sit, Oratore ignorante, intercessisse copulam inter partes, vel contra suppressum præcessisse incestam copulam, quæ reverà præcessit, sed Orator ignorabat crimen illud esse exprimendum; nec obreptitia, nec subreptitia est illa dispensatio, potestque à Judice, ad quem dirigitur Rescriptum Apostolicum, executioni demandari; quia in narratione nulla mala fides ex parte supplicis, & gratia nihilominus fuisset concessa, etiamsi falsum non esset expressum, nec verum suppressum.

Ergo obreptitia & irrita est dispensatio in forma pauperum obtenta à divite; quia falsitas est cum mala fide conjuncta. Quis autem censendus sit dives aut pauper, non una est omnium sententia. Is nobis videtur pauper, qui sine gravi rei familiaris incommodo expensas facere nequit, sive sit nobilis, sive ignobilis.

R. 2.

R. 2. Speciatim. Subreptio, qua tacetur quod exprimendum est juxta consuetudinem Curiæ Romanæ, sed libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ contrariam, dispensationem in Gallia non reddit irritam. Dispensatio, v. g. obtenta suppresso propinquiori consanguinitatis gradu, apud nos subreptitia non habetur; licèt Pius V. Constitutione sua sanxerit inæqualitatem graduum consanguinitatis & affinitatis in supplicatione ad effectum matrimonii, esse exponendam; quia hæc Constitutio pugnat contra veterem Ecclesiæ Gallicanæ usum, & contra cap. *Vir qui à stipite*, cui eadem Ecclesia adhæret, ut constat ex Senatusconsulto anni 1672.

CAPUT XI.

Expenduntur reliquæ difficultates circa dispensationes & alias gratias.

Cum in praxi difficultates, & quidem graves, circa dispensationes, indulta & alias gratias frequenter recurrant, præcipuas duximus expendendas sequentibus quæstionibus. Itaque,

Q. 1. *Utrùm dispensatio super uno impedimento suppresso altero, sit subreptitia: v. g. impetrans erat affinitate & consanguinitate conjunctus cum ea, quam ducere optabat, & mentionem fecit solius consanguinitatis?*

R. Non una est Theologorum sententia. Navarrus & alii negant esse subreptitiam, contenduntque, valere quantum ad unius impedimenti solutionem, sed communior sententia cui subscribendum est, distinguit inter impedimenta. Alia sunt prorsus disparata, ut duæ irregularitates, al-

tera ex defectu natalium, altera ex bigamia. Alia sunt impedimenta sic inter se conjuncta per ordinem ad effectum dispensationis, ut nisi singula tollerentur, dispensatio redderetur omninò inutilis, v. gr. frustrà dispensaretur in tertio gradu consanguinitatis, vel in voto castitatis ad effectum matrimonii, si impetrans esset aliunde in quarto gradu consanguinitatis; vel præter votum castitatis emisisset votum ingrediendæ Religionis. Impedimenta prioris generis non debent necessariò exponi ad effectum dispensationis; quia nullum jus id præscribit, nullave suadet ratio; dispensatio enim super irregularitate orta ex defectu natalium, suppressa bigamia, vel super voto Religionis, nulla mentione facta alterius voti castitatis, potest esse utilis impetranti; ergo honestè & rationabiliter concedi.

Singula verò posterioris generis impedimenta exponi debent, quia alioquin inutilis ac proinde inhonesta esset dispensatio, nec præsumi debet, Summum Pontificem sine ratione dispensare, ut reverà sine ratione dispensaret, vel in voto castitatis remanente voto Religionis; vel in impedimento tertii gradus consanguinitatis, adhuc stante impedimento quarti gradus. Quare meritò in Curia Romana hujusmodi dispensatio censetur subreptitia & nulla.

Q. 2. *Sed quid si impetrans quartum gradum consanguinitatis reticuit bona fide, & ex mera ignorantia, estne recurrendum ad Summum Pontificem?*

R. Ex Cap. *Super litteris* supra laudato & explicato, pag. 417. dispensatio non est subreptitia; cùm verisimile sit Summum Pontificem etiam concessurum fuisse gratiam cognita veritate. Sed impetrans

petrans alia diſpenſatione indiget, quam Epiſcopus concedere poteſt, ſi juxta Eccleſiæ ſuæ uſum in quinto gradu diſpenſare ſoleat.

Q. 3. *Utrùm ad obtinendam diſpenſationem in Curia Romana circa impedimentum matrimonii impetrans exprimere debeat, ſe rem turpem habuiſſe cum conſanguinea, quam vult habere uxorem?*

R. Si inceſtus præivit, ut facilior eſſet diſpenſatio, utpotè petita ob gravem cauſam, exprimenda ſunt & crimen, & intentio ex qua patratum eſt; quia impia illa intentio inceſtos gratia efficit prorſùs indignos, ex Trident. Seſſ. 25. cap. 5. de ref. matr. Sed ſecluſa ejuſmodi intentione, negat Pontius, inceſtum exprimendum, quin hæc expreſſio prodeſſet potiùs, quàm obeſſet gratiæ obtinendæ.

Verùm ex praxi Curiæ & declaratione Cardinalium, ſubreptitia foret diſpenſatio; Quia cap. *Si quis*, & cap. *Tranſmiſſæ*, tit. *de eo, qui cognovit*, &c. inceſti matrimonium contrahere non debent.

Q. 4. *Quid ſi impetrantes poſt diſpenſationem in idem crimen relabuntur?*

R. Novum non incurrunt impedimentum, propter quod ad Sedem Apoſtolicam recurrere neceſſe ſit. Nam relapſus contigit, vel poſt, vel ante latam Ordinarii ſententiam, atqui in neutro caſu parit impedimentum: non in priori; quia in omnium ſententia impetrantes virtute diſpenſationis non ſunt conjuncti in gradu prohibito, nec proinde per relapſum fiunt inceſti. Non in poſteriori, quia vel ipſe Summus Pontifex actu & de facto diſpenſat, committitque duntaxat Ordinario examen, num preces veritate nitantur, ut nonnulli contendunt: vel mandat *Ordinario*,

ut ipſe diſpenſet, cognita veritate, quemadmodum Galli communiter ſentiunt: atqui in neutra ſententia relapſus parit impedimentum, propter quod impetrantes indigeant nova Summi Pontificis diſpenſatione. Non in priori; quia, ut jam diximus, impetrantes poſt obtentam diſpenſationem, non ſunt conjuncti in gradu prohibito. Non in poſteriori; tum quia in narratione apud Sedem Apoſtolicam neceſſe non eſt, ut crimen exponatur quoad numerum, ſed ſufficit quòd exprimatur inceſtus ſpecies, quam ſupponimus impetrantes expoſuiſſe: tum quia nullum jus, nullave ratio exigit, ut in Curia Epiſcopali, ubi concedenda eſt gratia, exponatur occultum crimen. Quòd ſi opponas laudatum cap. *Si quis*, reſpondebitur, ipſi derogatum contraria conſuetudine: nam inceſtus hodie non computatur inter impedimenta matrimonii.

Ex hac reſponſione patet, quid ſit ſentiendum in caſu, quod impetrans, poſt mandatum de diſpenſando ſuper affinitate orta ex copula illicita cum conſanguinea ejus, quam vult uxorem ducere, relapſus ſit. Si enim relapſus contingit poſt judicium Mandatarii, novum procul dubio incurrit impedimentum. Idem dicendum in ſententia eorum, qui volunt, Mandatarium non eſſe Judicem, ſed Executorem gratiæ à Summo Pontifice conceſſæ, *qualis* vulgò præſumitur prudens Confeſſarius. Sed ſi Mandatarius agat Judicem ordinarium, ut creditur in Gallia, diſpenſat etiam ſuper affinitate orta ante ſuam ſententiam.

Q. 5. *Eſtne neceſſe, ut pro obtinenda nova gratia, fiat mentio prioris, vel conceſſæ, vel denegatæ?*

R. 1. Gratia jam conceſſa exprimi debet, quoties

ties poteſt eſſe cauſa & ratio denegandi novam. Reſponſionis ratio patebit exemplis. Clericus obtinuit Beneficium, & poſtulat ſecundum; à ſex menſibus non reſidet in Beneficio, & petit, ut ſibi adhuc liceat abeſſe per alios ſex menſes: niſi faciat mentionem præcedentium gratiarum, ſubreptitiè novam quærit; utpotè quæ non debeat concedi; niſi gravior ſupervenerit cauſa; cauſa enim conferendi Beneficium alicui, non ſufficit ut eidem duo conferantur; nec ratio, non reſidendi per ſex menſes, valet ad non reſidendum per annum integrum. De Beneficiis expreſſè habetur cap. *Ad aures*, &c. *Ad Audientiam*, de Reſcriptis, ubi vult Summus Pontifex, fieri mentionem etiam penſionis Clericalis. Et C. *Si proponente*, de Reſcriptis in 6. habens Beneficium exiguum, quod ſupprimit: ſubreptitiè obtinet Reſcriptum ad ſecundum.

R. 2. Si prior gratia ſit omninò diſparata, nec ſit cauſa denegandæ poſterioris, ut ſi quis olim à vinculo irregularitatis abſolutus poſtulet Beneficium, neceſſe non eſt ut exprimatur; quia nulla Lex, nullave ratio boni communis id exigit.

R. 3. Abſolutè valet gratia, quamvis impetrans tacuerit eam ſibi olim denegatam, ſive ab ipſomet concedente, ſive ab ejus Superiore, v. g. ſupplex repulſam paſſus eſt ab Epiſcopo, accedit fortè (improbandus tamen) ad ejus Vicarium Generalem, qui annuit ejus poſtulatis, licèt ita affectus, ut non recederet à ſententia Epiſcopi, ſi eſſet illi nota; quia poteſtas Vicarii non eſt revocata, nec reſtricta per denegationem Epiſcopi: habitualis autem ejus intentio non reddit actum invalidum; aliàs improbatio ad excipiendas Confeſſiones, nul-

la cenſeri deberet ex eo quòd non fuiſſet conceſſa, ſi noti fuiſſent nonnulli impetrantis defectus.

Q. 6. *Utrùm ceſſante diſpenſationis cauſa, ceſſet & ipſa diſpenſatio?*

R. Effatum eſt apud Canoniſtas, ceſſante cauſa totali, ceſſat effectus, nempe diſpenſatio. Dicitur, *cauſa totalis;* quia ſi ſuperſit cauſa partialis, propter quam nihilominus Summus Pontifex gratiam conceſſiſſet, rata eſt diſpenſatio ex cap. laudato. *Super litteris.*

Q. 7. *Quid ſi cauſa adfuit, dum litteræ in Curia expediebantur, & deſiit priuſquam ab Ordinario, vel à Confeſſario executioni mandarentur?*

R. Extinguitur gratia, nec debet diſpenſatio executioni mandari; quia Litteræ Pontificiæ ſub hac conditione ad Mandatarium diriguntur, nempe ſi preces veritate nitantur. Ergo ſi poſt expeditionem lis, propter quam diſpenſatio ſuper gradu conſanguinitatis conceſſa eſt, ante judicium Ordinarii extinguatur; vel dos competens obveniat puellæ ex hæreditaria ſucceſſione, Mandatarius non poteſt exequi Mandatum Apoſtolicum.

Q. 8. *Quid ſi poſt judicium Mandatarii cauſa diſpenſationis deſinit?*

R. Oppoſitæ ſunt Theologorum ſententiæ, quæ nobis videntur ſic conciliandæ; nempe ſi diſpenſatio ſit in Lege humana, permanet firma, niſi ex communi omnium ſenſu intelligatur alia mens Superioris: ſi in Lege Divina, diſpenſatio evadit nulla, niſi impetrantes bona fide amplexi ſint ſtatum, putà matrimonium, à quo recedere non liceat ſine ſcandalo, aut graviori incommodo. Et ratio eſt, quòd Summus Pontifex vera exiſtente diſpenſandi cauſa, vinculum Legis humanæ in perpetuum

petuum tollere possit, præsumaturque ita voluisse, ne impetrantes continuis conscientiæ scrupulis, & animi anxietatibus exponantur, num scilicet dispensationis causa perseveret: Legem verò naturalem non solvat, sed interpretetur duntaxat illam non obligare in quibusdam circumstantiis, quibus sublatis interpretatio locum non habet. Ergo facultas transeundi ad strictiorem rejici debet ab Ordinario, tamquam obreptitia, quando impetrans elegit benevolum receptorem, in cujus Monasterio nulla est disciplinæ regularis observantia, nullus paupertatis & obedientiæ actus. Quod & Confessarii advertent, quando hujusmodi fraudulenti ad eos accedunt, peccata deposituri.

Dixi: *Nisi ex communi omnium sensu intelligatur fuisse alia mens superioris.* Quis enim non intelligat in dispensatione ad usum carnium per Quadragesimam, tacitam esse conditionem, si impetrantis infirmitas per totum illud tempus duraverit?

Dices: ex nostra responsione sequi absurda. 1. Eum, cum quo dispensatum fuit super irregularitate ad suscipiendos Ordines, manere irregularem, si Ordines non suscipiat. 2. Voto castitatis iterum astringi, qui causa matrimonii dispensationem in voto obtinuit, si hoc matrimonium inire noluit.

Nego sequel. Namque actualis susceptio Ordinum, vel matrimonii celebratio ordinariè non sunt dispensationis causæ, nisi remotæ. Unde Mandatarius non tenetur inquirere, an impetrans de facto Ordines suscepturus sit, aut matrimonium contracturus; sed satis est, si ipsi appareat, quòd aliæ dispensationis causæ veritate nitantur; propter quas ponatur in statu, in quo possit vel

Ordines suscipere, vel matrimonium contrahere, si ipsi expediat.

Dixi, *ordinariè;* Nam extraordinariè matrimonium potest esse causa proxima & necessaria dispensationis circa Votum castitatis, ut si concessa esset cupienti ducere puellam, quæ licèt jam provectæ ætatis, hactenus nubere non potuit propter dotis defectum. In quo casu nulla esset dispensatio, si impetrans mutato consilio nollet eam ducere.

Q. 9. *Utrùm liceat uti gratia, antequam litteris sit exarata?*

R. Licet; modò constet esse concessam: tum quia Scriptura requiritur duntaxat in testimonium gratiæ concessæ: tum quia nulla Lex universaliter irritat gratias, quæ Scripturis non fuerint traditæ.

Dixi: *Universaliter;* Nam Extravag. cap. *Injunctæ*, titul. de Electionibus, & Julii II. & Bulla, *Romani*, censetur intrusus, qui Beneficii à Sede Apostolica collati iniit possessionem ante litterarum expeditionem. Concilium quidem Tridentinum præcipit facultatem tum ingrediendi septa monialium, Sess. 25. cap. 5. tum non residendi Sess. 23. cap. 1. de Reformat. scriptis esse tradendam, sed non declarat aliàs fore irritam. Unde excommunicationem citat. cap. 1. latam non incurreret, qui cum consensu, sed sine litteris Episcopi, aut Superioris eadem septa ingrederetur. Sic multi Episcopi Statutis suis cavent, ne approbatio ad excipiendas Confessiones detur sine scripto; sed eam sic datam non irritant.

Dices: ex regula 25. Cancellariæ, gratia censetur informis ante litterarum expeditionem.

R. 1.

R. 1. Regulam illam ſpectare duntaxat gratias à Summo Pontifice conceſſas, nec extendendam ad alias. 2. Valere tantùm pro foro externo.

Q. 10. *An gratia expiret morte concedentis?*

R. 1. Certum eſt, quòd ſi res non ſit integra, hoc eſt, ſi Mandatarius ante mortem mandantis, mandatum exequi cœperit, v. g. citaverit, vel vocaverit partes ad veritatem cognoſcendam, Confeſſarius pœnitentis confeſſionem exceperit ex parte, gratia non extinguitur. Ita Urbanus III. Cap. *Gratum*, de officio & poteſtate Judicis delegati, ubi ſic habet: *Reſpondemus quòd cùm in caſu priori, citatione facta, negotium ſit quaſi cœptum, maximè ſi delegatus non ſit certus de morte delegantis, poteſt ac debet in cauſa procedi.*

R. 2. In materia juſtitiæ, & ad litem terminandam, gratia ſive facta ſit, ſive facienda, deſinit morte concedentis, re adhuc integra ex cap. *Licet*, de officio delegati: quia mandatum re integra, *morte mandatoris expiravit*, ut ibi dicitur.

R. 3. In alia materia quam juſtitiæ gratia jam facta, non expirat morte concedentis, etiamſi res ſit adhuc integra, ex cap. *Si cui nulla*, de Præbendis in 6. & c. *Si ſuper gratiam*, de officio delegati in 6. Et ratio eſt, quia donatio non extinguitur morte donantis: atqui gratia jam facta eſt quædam donatio: ergo privilegium alicui conceſſum eligendi Confeſſarium, non perit morte concedentis, quamvis nondum electus ſit Confeſſarius; quia gratia eſt jam facta. Propter eandem rationem mortuo Epiſcopo, valent litteræ dimiſſoriæ, quas ante mortem conceſſerat ad Ordines ſuſcipiendos.

R. 4. Gratia facienda extinguitur morte concedentis; si res sit adhuc integra. Ita expressè habetur cit. cap. *Si cui nulla.*

Q. 11. *Quomodo dijudicari potest, an gratia sit facta, vel facienda, maximè cùm nondum sortita est unum effectum?*

R. Hæc à Theologis communiter statuitur regula. Si gratia sit in favorem ejus, ad quem dirigitur, quamvis ulteriùs cedat in aliorum commodum, ut facultas excipiendi Confessiones indefinitè, est gratia facta; quia in hac concessione Superior vult favere accipienti. Ergo Confessarius, cui Episcopus dederat facultatem absolvendi à casibus sibi reservatis, non hunc aut illum determinatè, sed quoslibet è subditis, validè & licitè utitur ea facultate post mortem Episcopi; quia est gratia jam facta. Contra verò, si Superior spectet duntaxat commodum alicujus tertii, mandetque prudenti Confessario, ut à casibus reservatis, censuris & irregularitatibus absolvat determinatam personam, est gratia facienda illi personæ, ac proinde desinit morte concedentis.

Colligitur autem hæc regula ex laudato cap. *Si cui nulla*, ubi sic loquitur Summus Pontifex: *Si cui nulla personarum facta expressione, sit gratiosè concessa facultas, ut auctoritate Apostolicâ possit aliquibus personis idoneis in certa Ecclesia providere, vel Beneficia conferre . . . bujusmodi concessa, (quam, cùm specialem gratiam continent, decet esse mansuram) non expirat, etiam re integra; per obitum concedentis. Secus si super provisione certæ personæ facienda, sit data potestas eidem non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur, gratiam vel favorem: illa quidem expirat omninò, si concedens re integra moriatur.*

Sed

Sed contra hanc regulam objicitur 1. praxis contraria ; namque in Gallia mortuo Summo Pontifice, executioni demandantur Reſcripta, quæ vivens conceſſerat, quamvis contineant gratiam faciendam ; Ordinarii Beneficium conferunt impetranti , diſpenſant ſuper gradu conſanguinitatis, & affinitatis, irrita declarant Religionis vota gravi metu èmiſſa , Confeſſarius abſolvit impetrantem à cenſuris & irregularitatibus. 2. Hujuſmodi Reſcripta non expirarent cum Summo Pontifice ſine magno boni publici præjudicio , & evidenti animarum periculo.

Omiſſis variis rationibus , quas Theologi excogitarunt ad conciliandam praxim cum allata regula,

Reſpondeo , duplicis generis eſſe Reſcripta, alia emanant à Dataria , alia à Pœnitentiaria , & hæc valent duntaxat pro foro interno, unde prudenti Confeſſario committi ſolent , ut dictum eſt capite præcedenti. Illud autem eſt diſcrimen inter officium Pœnitentiariæ & Datariæ, quòd prius ſit perpetuum ; poſterius verò expiret cum Summo Pontifice. Ex quo ſequitur, Reſcripta Pœnitentiariæ, etſi contineant gratiam faciendam, non extingui morte Pontificis ; quia vivit & perſeverat Officium , ex quo emanant.

Difficultas ergo ſolùm ſupereſt circa Reſcripta Datariæ , cujus officium extinguitur morte Pontificis.

R. Sanchez Lib. 8. de Matrim. Diſp. 20. num. 42. eam ſolvit , & quidem ad mentem Eccleſiæ Gallicanæ , contendens hujuſmodi Reſcripta Ordinario demandata, non eſſe attributiva, ſed excitativa tantùm , hoc eſt , non tribuere poteſta-

tem

tem Ordinario; ſed excitare ſolùm ordinariam ejus poteſtatem ad conferendam gratiam. Porrò regula laudata non cadit in Reſcripta excitativa, ſed in attributiva duntaxat; quia per Reſcripta excitativa, nova poteſtas non datur Ordinario: ſed excitatur ea, quæ ipſi competit, & ex qua confert gratiam.

Rebuffus de Mandatis Apoſt. in Concord. Sanbovius Tomo ſecundo caſ. 113. & alii benemulti cenſent gratiam ipſo Reſcripto eſſe factam; quia impetrans acquirit jus, ut Reſcriptum executioni demandetur, ſi preces veritate nitantur: nec Officialis ſine injuſtitia miniſterium ſuum illi denegaret; ac proinde poſt obtentum Reſcriptum res non eſt integra, *cùm quæſitum ſit jus ad rem*, inquit Rebuffus, *vel ſaltem jus impetrandi officium Judicis, vel executoris, tunc non expirat morte concedentis.*

CAPUT XII.

De Conſuetudine.

Q. 1. *Conſuetudo eſtne morum regula?*

R. Negari non poteſt, quin aliqua conſuetudo ſit morum regula; namque ex Lege tum civili 57. Digeſt. de Legibus; tum Eccleſiaſtica, c. *cùm dilectus*, tit. de Conſuetudine, conſuetudo eſt optima Legum interpres. Et c. finali eodem titulo dicitur, quòd longævæ conſuetudinis non ſit civilis auctoritas, & quòd juri poſitivo deroget, ſi ſit rationabilis & legitimè præſcripta. S. quoque Auguſtinus Epiſt. 36. aliàs 86. de conſuetudine ſic ſcribit: *Mos populi Dei, & inſtituta Majorum pro lege ſunt tenenda; & ſicut prævaricatores*

ricatores Legum Divinarum ita & contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coercendi sunt.

Ergo aliqua consuetudo agnoscenda est morum regula. Ut autem definiatur, quæ tandem sit illa consuetudo, priùs exponendæ sunt præcipuæ consuetudinum species. Itaque

Q. 2. *Quomodo dividitur consuetudo?*

R. Generatim dividitur in eam, quæ est facti, & eam, quæ est juris.

Prior dici potest consuetudo popularis: posterior verò legalis.

Q. 3. *Quid est consuetudo facti?*

R. Est usus & frequentia actuum externorum exercitorum à majori, sed non à saniori parte communitatis perfectæ.

Dicitur 1. *usus & frequentia;* quia unus actus bis aut ter repetitus non efficit consuetudinem.

Dicitur 2. *actuum externorum;* quia ex actibus internis sæpius repetitis exurgit quidam habitus, qui nonnunquam dicitur consuetudo benè vel malè agendi, de qua hìc non est sermo. Agimus enim de consuetudine communitatis, quæ non exurgit nisi ex actibus externis.

Dicitur 3. *exercitorum à majori parte:* frequentes enim paucorum actus dici nequeunt consuetudo communitatis.

Dicitur 4. *non à saniori parte:* ut distinguatur consuetudo facti à consuetudine juris, quæ debet esse à saniori parte communitatis.

Dicitur 5. *Communitatis perfectæ*, ut excludatur consuetudo privatæ familiæ, sive sodalitii, quæ si pugnet contra jus commune, secluso speciali privilegio, est mera corruptela.

Q. 4. *Quid est consuetudo juris, seu legalis?*

R. Defi-

R. Definitur à S. Isidoro, & refertur dist. 1. cap. *Consuetudo*, jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, ubi deficit Lex.

Dicitur 1. *jus*, quia si legitimæ conditiones adsint, vim legis habet. Per hanc autem vocem consuetudo convenit cum Lege scripta; utraque enim est jus, differtque à consuetudine facti, quæ jus non constituit.

Dicitur 2. *moribus institutum*, ut distinguatur à Lege scripta; hæc enim à Legislatore petitur; illa verò ab usu, quem populus invexit.

Dicitur 3. *ubi lex ipsa deficit*: quia cùm Lex positiva nec sé extendat ad omnes & singulos actus, nec semper sat clarè loquatur, consuetudo utpote ejus supplementum ordinat, quæ Lex positiva non attingit, & explicat, quæ dubia relinquit. His præmissis,

Q. 5. *Utrùm consuetudo facti supra descripta, sit regula morum?*

R. Minimè, sed plerumque est morum corruptela.

Probatur 1. ex Scriptura. Christus Matth. 7. v. 13. asserit, eum recta tendere ad perditionem qui multitudinem secutus, viam latam & spatiosam ingreditur. Unde S. Aug. Lib. 1. Confessionum cap. 16. consuetudinem illam vocat flumen tartareum, in quo navigantes rapido cursu ad tartara devolvuntur; & Cardinalis Bellarminus Ep. ad Nepotem recens Episcopum monet actum de ejus salute, si se aliorum moribus conformet contra Apostoli præceptum, Rom. 12. *nolite conformari huic sæculo.*

Probatur 2. ex sanctis Patribus relatis dist. 8. cit. cap. *Si solus*, ex S. Cypriano, *neque hominis consuetu-*

consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Cap. *Frustra*, ex sancto Augustino, *Frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis objiciunt; quasi consuetudo major sit veritate.* Et cap. *Qui contempta*, ex eodem *in Evangelio Dominus ait: Ego sum veritas; non dixit: Ego sum consuetudo. Itaque cedat consuetudo veritati.*

Probatur 3. ratione. Cùm actuum humanorum bonitas consistat in conformitate ad rectam rationem, necesse est, ut eorum regula sit recta quædam ordinatio rationis in bonum: atqui consuetudo facti plerumque non est rationis, sed ignorantiæ & cupiditatis ordinatio; virtus enim sapientiæ & prudentiæ, cujus est ordinare, non est quærenda apud promiscuum vulgus, nec in multitudine; quia existit in paucis. Hoc advertit Tertullianus scribens contra consuetudinem cap. 1. Lib. de velandis Virginibus, ubi sic habet: *Ostendatur hoc exigere veritatem, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia nationum. Ex his enim ferè consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita in usum per successionem corroboratur, & ita adversùs veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit.* Enimverò venit ipse veritas contra consuetudinem pugnaturus, & etiam nunc contra eam pugnat in fortissimis suis membris. *Nihil* quippe *inimicius veritati*, ait S. August. Lib. 5. Musicæ, nihil ad decipiendum potentius, nihil ad corrumpendos mores efficacius, ut habetur cap. *Mala consuetudo:* cit. dist. 8. *Mala consuetudo, nisi citiùs radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur: & incipiunt prævaricationes, & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ*

pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari.

Ergo ſola conſuetudo juris eſt morum regula, utpote quæ ſola habeat teſtimonium à lege, & à ſapientibus.

Q. 6. *Quotuplex eſt conſuetudo juris?*

R. Triplex; alia dicitur præter legem; quia nec Lege præſcribitur, nec Legi adverſatur, ut conſuetudo jejunandi in pervigilio Pentecoſtes, quæ in quibuſdam locis viget: alia quæ eſt contra Legem (ſcilicet humanam) ut conſuetudo veſcendi carnibus in quibuſdam Diœceſibus ſingulis Sabbatis, à feſto Nativitatis Domini, uſque ad Feſtum Purificationis incluſivè: alia ſecundùm Legem; quia eſt Legi conformis, ut conſuetudo ſatisfaciendi præcepto Confeſſionis annuæ in Feſto Paſchatis.

Harum conſuetudinum prima novam Legem conſtituit. Secunda veterem Legem abrogat. Tertia Legem authenticè interpretatur; quælibet autem habet vim obligandi, modò concurrant conditiones requiſitæ.

Q. 7. *Quot conditiones requiruntur, ut conſuetudo habeat vim legis, & obliget in conſcientia?*

R. Quinque.

Prima, debet conſuetudo eſſe rationalis, & utilis bono publico; omnis enim Lex eſſentialiter eſt ordinatio in bonum publicum. Ergo conſuetudo prorſus inutilis, & ad bonum publicum nihil conferens, non habet rationem Legis; poteſt tamen abrogare Legem veterem, ſi aliæ conditiones adſint. Et in eo caſu dicenda eſt potiùs derogatio vel abrogatio Legis veteris, quàm Lex. Uſus v. g. comedendi carnes diebus Sabbati

Sabbati poſt Nativitatem Domini, non eſt Lex obligans, ſed quædam juris communis derogatio.

Secunda, eſt tempus ſufficiens ad inducendam conſuetudinem. Sed quæritur quale debeat eſſe illud tempus?

R. 1. Si conſenſus Legislatoris accedat, eo ipſo conſuetudo vim legis obtinet, & legem contrariam abrogat. Reſponſio per ſe patet.

R. 2. Si Legislator conſuetudini nec conſentit, nec contradicit, quia fortè illam ignorat, vel ad illam non attendit; conſuetudo nec rationem legis ſortitur, nec antecedentem legem abrogat, niſi ſit præſcripta præſcriptione longi temporis, ex jure, tum civili, Codice, *quæ ſit longa conſuetudo, lege ſecunda*; tum Eccleſiaſtica, *cap. finali de conſuetudine.* Præſcriptio autem longi temporis eſt ad minimum decem annorum, ut diximus ubi de præſcriptione Tract. de Juſtitia & Jure.

Porrò ſicut litis conteſtatio impedit præſcriptionem dominiorum: ita Legislatoris, vel Miniſtrorum ejus contradictio interrumpit præſcriptionem conſuetudinis, reoſque conſtituit, qui conſuetudine nondum præſcripta contra legem operantur; ita ut in eos cadat Vincentii Lirinenſis ſententia *condemnantur magiſtri, abſolvuntur diſcipuli;* hoc eſt peccarunt priores, qui contradicente Legislatore, vel nondum elapſo tempore ad præſcriptionem requiſito, Legem non obſervarunt; & non peccant poſteriores, qui conſuetudine legitimè præſcripta, Legem contrariam non cuſtodiunt; quia Lex per præſcriptionem evaſit irrita.

Dixi, *ad minimum;* nam ex dictis ubi de præſcriptione, non præſcribitur contra Eccleſiam, nec pro-

proinde contra ejus leges, nisi spatio 40. annorum.

Dices 1. Communitas, quæ non est sui juris, sed sub Principe constituta, non habet potestatem legislativam, ergo consuetudo ejus nunquam vim legis obtinebit sine consensu Principis.

Nego consequentiam. Nam ex dictis Jus tum Civile, tum Ecclesiasticum definiit, consuetudinem legitimè præscriptam esse observandam, inobedientesque puniendos, tanquam Legum Divinarum prævaricatores; ac proinde communitas, quamvis non sit sui juris, habet à Jure communi, ut consuetudines ejus præscriptæ habeantur pro Lege.

Ergo sicut peregrini tenentur observare Leges locorum, ad quæ demigrant; ita & consuetudines ibidem legitimè præscriptas.

Dices 2. Nullus præscribit cum mala fide: atqui consuetudo contra Legem, est cum mala fide; incipit enim ab inobedientia contra Superiorem, quæ sanè peccatum est, ergo consuetudo contra Legem nunquam præscribere potest.

Distinguo maj. Nullus præscribit cum mala fide ad acquirendum dominium rei alienæ, Concedo: ad abrogandam Legem humanam, cujus observationem Legislator à longo tempore non curat, Nego maj. Ratio autem disparitatis est, quòd Jus commune semper resistat possessori malæ fidei, definiatque, eum rem alienam nunquam facere suam, si possessio ejus cum mala fide cœperit: faveat verò consuetudini, cui Legislator longo tempore non contradixit.

Tertia conditio necessaria, ut consuetudo Lex evadat, sunt actus externi, voluntarii & liberi. Quare si per vim & errorem inducatur populus

ad

ad agendum, consuetudo non habet vim Legis; quia vera consuetudo essentialiter pendet à consensu populi, tanquam à causa; sicut Lex scripta à voluntate Superioris.

Quarta. Actus, ex quibus oritur consuetudo, debent exerceri cum animo inducendæ obligationis; quia sicut Lex nulla est sine intentione obligandi, ita consuetudo vim Legis non sortitur, si desit in populo, à cujus voluntate pendet intentio se obligandi. Hinc licèt Fideles consuetudine immemoriali cineres die prima Quadragesimæ accipiant, nulla tamen Lege ad eos accipiendos astringuntur; quia sine animo se obligandi illam cæremoniam observant.

Colligitur autem, inductam esse consuetudinem cum animo se obligandi, si viri timorati malè sentiant de iis, qui illam non servant, si populus inde scandalizetur, si transgressores puniantur. In dubio, num consuetudo cœperit cum animo se obligandi, judicandum est non cœpisse.

Quinta. Oportet consuetudo sit majoris & sanioris partis communitatis: quia mos unius aut alterius privati non facit nisi consuetudinem privatam: agitur autem hìc de consuetudine communitatis perfectæ, quæ vim legis habere possit. Non est tamen necesse, ut in consuetudinem consentiant singula communitatis membra; quia sicut Lex dicitur à communitate acceptata, quando major & sanior pars illam acceptavit: ita consuetudo censetur universalis, si à majori & saniori parte inducatur; quamvis nonnulli resistant.

Dixi, *à saniori parte;* si enim à sapientibus & viris timoratis rejiciatur, non est nisi consuetudo

facti inter regulas morum minimè numeranda, licèt pars numerosior ei adhæreat.

Q. 8. *Consuetudo poteståne præscribere contra quamlibet legem?*

R. Non potest, nisi contra Legem humanam; quia nulla alia Lex pendet à voluntate hominum, ut pro eorum nutu, & contrariis moribus mutari possit. Non Lex naturalis: quia est ipsamet veritas & recta ratio, contra quam agere est per se malum. Non Lex Evangelica, quæ ex Dei institutione illibata permanebit usque ad consummationem sæculi, juxta illud Apostoli Gal. 1. *Licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis; anathema sit.*

Ergo consuetudo, quæ in aliquibus Provinciis obtinuit, lucrum percipiendi ex mutuata pecunia etiam pupillorum, mera corruptela est; quia adversatur Legi naturali & divinæ, contra quam non præscribitur, c. *Cùm tanto*, de consuetudine: *nemo sanæ mentis* (inquit Summus Pontifex) *intelligit naturali juri, cujus transgressio periculum salutis inducit, quacunque consuetudine, quæ dicenda est veriùs in hac parte corruptela, posset aliquatenus derogari.*

Ergo posteriora Ecclesiæ sæcula non præscripserunt contra priora, nisi in iis, quæ sunt meræ disciplinæ, ut Canones Pœnitentiales, ritus absolvendi ante vel post peractam pœnitentiam, & aliæ ejusmodi Leges Ecclesiasticæ. Nam Præcepta Evangelica, v. g. de contemptu voluptatum, & rerum temporalium, de carnis mortificatione, & de pœnitentiæ fructibus, qui respondeant gravitati & multitudini peccatorum, nulla consuetudine quantumvis longæva & universali abrogantur; quia Deus ea in æternum mandavit, & in novissimo

mo die ex iisdem judicabuntur homines, quia ut scribit Apostolus 2. Tim. 3. tunc communiter *erunt seipsis amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem pietatis*, (nempe ex quadam observatione exterioris cultus) *virtutem autem ejus abnegantes*, id est, rem ipsam & naturam pietatis.

Q. 9. *Utrùm consuetudo legitimè præscripta, abrogari possit contraria lege?*

R. Vel consuetudo, quamvis non sit rei per se malæ, nec Evangelio prohibitæ, noxia tamen evadit, & viam aperit pluribus corruptelis; vel est admodum utilis, & idonea ad promovendum bonum publicum: vel est superflua aut minùs utilis.

Si primum, consuetudo lege contraria abrogari potest & debet, sed circumspectione, & accurata consideratione opus est, ne Superior, dum colligit zizania, eradicet & triticum, mutationeque consuetudinis pacem perturbet.

Si secundum, Lex consuetudinis admodum utilis abrogatoria non esset vera Lex, utpote bono publico contraria, ac proinde nec ferri, nec acceptari debet.

Si tertium, tolerandam esse consuetudinem, scribit sanctus Augustinus Epist. 54. aliàs 118. quia *ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.* Propterea ibidem censet quasdam cæremonias Religioni Christianæ minùs consentaneas ferendas potiùs, quàm cum populorum offensione tollendas; Medicus enim dici non debet, sed homicida, qui lethale vulnus infligit, ut lege corporis vitium amputet. Talem meritò dixeris Parochum, qui dominandi studio potius, quàm boni publici zelo receptos Parochiæ usus subvertit majoris boni prætextu; quid enim Pa-

rochianorum odia inde in ipſum concepta, oblocutiones, detractiones, & alia ſcandala, niſi exitialis parochiæ morbus? Ergo ſi nequidem Lex mutari debet quoties aliquid melius occurrit, ut ſupra docebat ſanctus Thomas, multò minùs conſuetudo, quæ noxia non eſt, cùm Lege ſit firmior, longéque difficiliùs evellatur.

CAPUT XIII.

De Lege humana.

Jam diximus, quid & quotuplex ſit Lex humana; quam obligationem inducat; quæ ſit ejus cauſa efficiens; ad quos actus & ad quas perſonis ſe extendat; quam interpretationem, & diſpenſationem admittat. Superſunt duntaxat nonnulli dubia ſequentibus quæſtionibus ſolvenda. Itaque

Q. 1. *Utrùm præter Legem naturalem & divinam, neceſſaria ſit humana?*

R. Eſt neceſſaria; quia ſi ſocietas humana indiget artibus, ut provideantur corporis neceſſaria, putà victus, veſtitus, habitatio; à fortiori indiget diſciplina Legum ad excolendam animam; quia judicium rationis in iis, quæ ſpectant mores, multò magis impeditur cupiditatibus & delectationibus, quàm in iis, quæ pertinent ad arte facta. Unde 1. polit. c. 2. dicitur: *ſicut homo, ſi ſit perfectus virtute, eſt optimum animalium; ſic ſi ſit ſeparatus à lege & juſtitia, eſt peſſimum omnium.*

Dices 1. Lex Evangelica ſufficit ad regendos hominum mores: ergo temerè Lex humana ſuperadditur.

Nego

Nego anteced. Tum quia in ſocietate humana inveniuntur protervi, & ad vitia proclives, qui ut ſcribit ſanctus Thomas quæſt. 96. art. 1. *verbis de facili moveri non poſſunt*, (nempe ad Legem divinam & naturalem obſervandam.) *Neceſſarium ergo fuit, quòd per vim & metum cohiberentur à malo . . . . . ut aliis quietam vitam redderent, & ipſi tandem per bujuſmodi aſſuetudinem ad hoc perducerentur, quod voluntariè facerent, quæ pœnæ metu implebant, & ſic fierent virtuoſi.* Tum quia in humana ſocietate plura ordinanda occurrunt, putà circa cultum divinum, & contractus, quæ Lex Divina prætermiſit, nec ex Lege naturali neceſſariò deducuntur.

Dices 2. In dubiis homines confugiunt ad ſapientem, ſicut ad juſtitiam animatam, ut dicitur 5. Ethic. cap. 4. ergo Lex humana neceſſaria non eſt.

Nego conſequentiam. Namque, ut obſervat S. Thomas q. 95. art. 1. ad 2. juſtitia animata præterquam quod invenitur in paucis, paſſionibus facilè flectitur; ac proinde neceſſe fuit legibus determinare quid faciendum, quidve fugiendum, & pauciſſima hominum arbitrio committere, ut ſingularia, quæ lege comprehendi nequeunt. Unde melius eſt omnia ordinari lege, quàm dimitti Judicum arbitrio, ut habetur 1. Rhetoric. cap. 1.

Q. 2. *Utrùm lex humana prohibere debeat omnia vitia?*

R. Negat S. Thomas q. 96. art. 2. & ratio eſt, quia quælibet Lex eſſentialiter eſt ordinatio ad bonum commune: atqui Lex humana omnia vitia prohibens eſt bono communi noxia, Ergo.

Minor probatur. Lex obſervatu difficilior, & moraliter impoſſibilis eſt bono communi noxia;

posita enim hac lege multiplicantur transgressiones, & ita Cives evadunt pejores, cùm tamen legis officium sit efficere bonos: atqui Lex humana omnia vitia cohibens est difficilior, & observatu moraliter impossibilis: nam ut ratiocinatur sanctus Thomas, in communitate plures reperiuntur infirmi, quàm sani; hoc est, plures ad vitia proclives, quàm ad virtutem propensi: quæ autem possibilia sunt sanis, infirmis sunt impossibilia. Porrò Lex humana spectat majorem partem; imponitur enim communitati, ac proinde nonnisi graviora prohibere debet, *à quibus*, inquit Angelicus Doctor, *possibile est majorem partem multitudinis abstinere, & præcipuè quæ sunt in nocumentum aliorum, sine quorum probibitione societas humana conservari non posset. Alioquin imperfecti in deteriora prorumperent, sicut dicitur Prov. 3. qui nimis emungit, elicit sanguinem; & Matth. 9. Quod si vinum novum (id est, præcepta perfectæ vitæ) mittatur in utres veteres, (id est, in homines imperfectos) utres rumpuntur, & vinum effunditur, id est, præcepta contemnuntur, & homines ex contemptu ad pejora prorumpunt.* Nempe ex consuetudine transgrediendi difficiliora præcepta, etiam ad faciliora, quamvis graviora, prosiliunt.

Tanta incommoda sollicitè præcavent Religiosorum Ordinum Fundatores, qui licèt non colligant nisi anhelantes ad perfectionem, nihilominus paucis præceptis regulam suam concludunt, ne legum multitudo laqueus sit pedibus alumnorum; reliqua verò ad perfectionem Monasticam pertinentia per modum directionis exequuntur, expresséque declarant se non obligare quenquam sub peccato etiam veniali, sed dunta-

duntaxat ſub pœna regulari & œconomica. Si autem hæc cautio adhibenda eſt in Monaſteriis, quantò magis in Politicis?

Q. 3. *Utrùm dentur Leges merè pœnales, quæ ſubditos ad pœnam obligent; & nullatenus ad peccatum?*

R. 1. Poſſunt dari; quia ex dictis lex vim habet ex voluntate Legislatoris: ergo ſi Legislator nolit obligare ſubditos niſi ad pœnam, ſubditi inobedientes non incurrerent niſi reatum pœnæ.

Dices 1. ex S. Auguſtino Lib. 1. Retract. cap. 9. omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt & ſupplicium nominatur: ergo lex non poteſt obligare ad pœnam: quin antecedenter obliget ad culpam.

Diſtinguo ant. Omnis pœna propriè dicta, Concedo: impropriè dicta, Nego antec. Satis enim eſt ad pœnam juſtam, quòd ſine cauſa non infligatur, juxta juris regulam 23. in 6. quæ ſic habet: *ſine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus;* cauſa autem eſt puniendi ſubditum quòd non abſtinuerit ab actu prohibito, vel non præſtiterit actu præceptum. Reſponſio elucidatur exemplo voti, quod dicitur à S. Thoma lex privata; quia privatus eam ſibi imponit. Si enim quis voverit dare nummum pauperibus, ſi unquam luſerit, contra votum non peccabit ludendo, modò nummum in eleemoſynam eroget.

Dices 2. Lex illa purè pœnalis, non eſt lex propriè dicta. Ergo.

Nego conſeq. Satis enim eſt ad noſtrum inſtitutum, quòd Superior poſſit obligare ad pœnam, & nullatenus ad culpam; ſive lex ejus ſit propriè, aut impropriè dicta.

Poteſt

Poteſt etiam negari antec. Nam ad rationem legis ſufficit quòd habeat vim obligandi in conſcientia: atqui lex purè pœnalis obligat in conſcientia ad pœnam; qui enim hujuſmodi legem tranſgreſſus fuerit, tenetur in conſcientia pœnam ſubire; & ita lex pœnalis remotè ſaltem obligat ad culpam.

R. 2. Omnis lex pœnalis priùs intelligitur obligare ad culpam, quàm ad pœnam, niſi quibuſdam ſignis conſtet aliam eſſe Legislatoris mentem.

De lege quæ imponit pœnam ſpiritalem, putà ſuſpenſionem, excommunicationem, nulla eſt difficultas; cùm ſpiritales illæ pœnæ culpam neceſſariò ſupponant.

Probatur de lege obligante ad pœnam temporalem; quia cùm ipſum opus lege præceptum aut prohibitum magis conferat ad bonum publicum, quàm ipſa pœna inobedientibus impoſita, Legiſlator cenſetur illud magis intendere, ac proinde ſubditi, qui vel ab opere prohibito non abſtinent, vel opus præceptum non exequuntur, magis lædunt ejus voluntatem, quàm ſi pœnam tranſgreſſoribus impoſitam non evolverent. Ergo peccati reos ſe conſtituunt; quid enim eſt peccatum, niſi dictum, vel factum contra Legem?

Dixi, *niſi quibuſdam ſignis conſtet aliam eſſe Legislatoris mentem;* quia obligatio legis oritur ex intentione & voluntate Legislatoris.

Conſtare autem poteſt intentionem Legislatoris non eſſe obligare ad culpam, 1. ex ipſa legis forma, nempè ſi disjunctivè feratur, v. g. nullus frumentum efferat, vel ſolvat centum libellas; lege enim ſic concepta, optio ſubditis datur aut frumentum non efferendi, vel centum libellas ſolven-

ſolvendi, ſi magis placuerit frumentum efferre. 2. Ex communi ſapientum interpretatione 3. Ex verbis Legislatoris, quibus declarat ſe nolle obligare ad culpam: quod ſatis communiter obſervant in ſuis conſtitutionibus Superiores regulares.

Omittendum tamen non eſt, quod tradit S. Thomas 2. 2. qu. 286. art. 9. ad 1. nempe ſubditos Regulares in his poſſe venialiter, vel etiam mortaliter peccare, *ex negligentia vel libidine ſeu contemptu,* non quidem vi hujuſmodi Conſtitutionum, quæ ut ſupponitur, ad culpam non obligant, ſed vi Legis naturalis; contra quam graviter peccaret, qui ex Conſtitutionum neglectu ſeu contemptu, valde turbaret ordinem Monaſterii. Enimverò ſi perſona extranea omnium judicio graviter peccaret, quæ ſuis conſiliis & inordinata agendi ratione regularem Monaſterii diſciplinam everteret, quantò magis ipſa Monialis?

In dubio autem num Lex ſit purè pœnalis, quidam Theologi cenſent, habendam pro merè pœnali, niſi pertineat ad bonos mores, & ad prohibenda vitia; quia, inquiunt, odia ſunt reſtringenda. Verùm quòd Lex aliqua non obliget ad culpam, eſt quædam exceptio à generali regula, juxta quam omne factum vel dictum contra Legem, eſt peccatum: exceptio autem non eſt ampliand a, ſed reſtringenda; adeo ut niſi de mente Legislatoris aliter conſtet, judicandum ſit in favorem Legis, nempe quòd ſub peccato obliget.

Dices: Leges tributorum ex natura ſua ſunt merè pœnales: tum quia non ſpectant bonos mores: tum quia tributa ſunt onera, & veluti mul-

ctæ pecuniariæ, quas Princeps directè & primariò intendit. Ergo.

Nego antecedens; Pertinet enim ad bonos mores, & ad bonum publicum, ut jus suum cuique reddatur; atqui tributa sunt justa stipendia Principi pro Republica laboranti debita, juxta illud Rom. 13. *Ideo enim & tributa præstatis; ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.*

Ergo tributa non sunt meræ pœnæ, sed debita ex justitia solvenda, etiamsi non petantur, nisi consuetudo præscripta Principis mentem aliter interpretetur. Ergo qui defraudant vectigalia & gabellas, tenentur ad restitutionem; quia contra justitiam peccant, ut innuunt hæc Apostoli verba, Rom. 13. *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.*

Dixi, *nisi consuetudo præscripta Principis mentem aliter interpretetur.* Nam apud nos fert usus, ut tributa tum solvantur, cùm petuntur: nec ullus in Legem peccare se credit, si tallias v. gr. non deferat ad exactores. Unde colligere licet tributorum Leges à subditis duntaxat exigere, ut non resistant, nec fraudibus, minis, & aliis malis artibus solutionem eludant, sed bona fide parati sint petentibus satisfacere. Ita Sylvius in 1. 2. q. 484. ubi sic habet; *probabiliter opinio fert illa vectigalia, quæ ad portas civitatis solvi debent juxta quorundam locorum consuetudinem, non necessariò solvenda, si non petantur, modò nihil fraude agatur, abscondendo merces, divertendo à viis publicis.*

Instabis: restitutio vel fieret Principi, vel exactoribus: atqui non est facienda Principi; namque certo pretio vendidit exactoribus quidquid in hac parte juris habebat; non etiam exactoribus,

bus, qui propter fraudes ſubditorum, nulla ſollicitudine vitandas, viliori pretio jus Principis emerunt: ergo.

Nego minorem. Cùm enim objectio ſupponat Principem pati injuriam ab illis defraudatoribus, & propter eorum fraudes viliori pretio vendere, Principi reſtituere tenentur.

Q. 4. *Utrùm pœna Lege præſcripta, ſit exolvenda ſtatim poſt tranſgreſſionem?*

R. Si pœna ſtatuatur ferenda, tranſgreſſor non tenetur eam exolvere, donec Judex condemnaverit eum ad pœnam ſubeundam; quia Lex de facto pœnam non imponit, ſed imponendam minatur. Contra verò, ſi pœna ſit Lege lata, tranſgreſſor eam quandoque ſtatim incurrit, quandoque verò non niſi poſt ſententiam declaratoriam.

Q. 5. *Unde dignoſcitur, an pœna ſit ferenda, aut lata?*

R. Pœna eſt ferenda, quando Lex concipitur his & ſimilibus verbis, *ſub pœna excommunicationis, privationis Beneficii. Excommunicabitur, excommunicetur. Non gaudeat Beneficio*, &c. Pœna autem cenſetur lata, quando Legislator his utitur formulis, *ipſo facto, ipſo jure. Ex tunc. Illico, excommunicamus. Excommunicatus eſt.*

Q. 6. *Quandonam pœna ipſo jure lata ſubeunda eſt ante ſententiam judicis, quando verò non niſi poſt ſententiam?*

R. Huic quæſtioni admodum intricatæ, & in Scholis multùm agitatæ ſatisfieri non poteſt, niſi diſtinguendo variarum pœnarum genera, & expendendo verba Legis.

Primò itaque ſunt pœnæ paſſivæ, quæ nullam tranſgreſſoris actionem poſtulant, ut cenſuræ Eccleſia-

clesiasticæ, irregularitas, privatio vocis tum passivæ, tum activæ. Constat autem ex communi Ecclesiæ usu hujusmodi pœnas latæ sententiæ incurri absque sententia declaratoria; cùm plerumque sint occultæ, & Judicis examen effugiant; certumque sit apud omnes occultos illos prævaricatores debere abstinere ab actibus per censuras Lege latas prohibitis. Excipienda tamen est irregularitas, quæ oritur ex infamia: nullus enim censetur jure infamis: nisi post sententiam criminis declaratoriam.

Secundò, pœnæ, quæ executioni mandari non possunt sine transgressoris actione, triplicis sunt generis.

Nonnullæ irritant actum prohibitum, puta matrimonium clandestinum, & reum inhabilem reddunt, putà Simoniacum ad Beneficium acquirendum, Beneficiarium ad fructus suos faciendos, si Horas Canonicas non persolvat, &c. Hæ autem pœnæ effectum suum sortiuntur ante sententiam declaratoriam. Conjuncti clandestinè debent statim separari; quia non sunt conjuges. Simoniacus quoque illico tenetur dimittere Beneficium simoniacè acquisitum, & fructus inde perceptos restituere. Sic & Beneficiarius, qui Horas Canonicas non recitavit; quia jure naturali non licet rem alienam retinere: atqui in allatis exemplis & Simoniacus & Beneficiarius retinent rem alienam, cùm Lex justa inhabiles eos reddat ad acquirendum.

Hinc meritò hæc propositio damnata est ab Alexandro VII. & à Clero Gallicano: *Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eò quòd sit pœna.*

Aliæ

Aliæ ſunt pœnæ Legibus latæ ; tanquam conditiones neceſſariæ ad acquirendum. Nec iſtæ requirunt declarationem ; quia conditione non impleta, gratia non eſt facta, juxta illud vulgare effatum , *conditio ſuſpendit conſenſum.* Hinc qui ſua culpa , & ſine rationabili cauſa ad Sacerdotium intra annum non promovetur, Beneficio Parochiali ipſo facto eſt privatus, nulla prætermiſſa monitione, ex cap. *Licet*, tit. de Elect. in 6.

Denique ſunt pœnæ latæ ſententiæ, quæ privant jure jam acquiſito , putà Beneficio legitimè poſſeſſo ; ſed executioni mandari non poſſunt ſine prævaricatoris actione. Actio autem illa vel eſt facilis, ut pœnitentiæ, quas præſcribunt Conſtitutiones Monaſteriorum : vel ſunt admodum difficiles, ut exilium, confiſcatio omnium bonorum, privatio Beneficii, &c. Priores nullam Superioris declarationem requirunt ; poſteriores verò reus in conſcientia ſubire non tenetur ante ſententiam Judicis : tum quia Lex alioquin eſſet in detrimentum boni publici ; pauci enim hujuſmodi pœnas exequerentur , adeóque Lex eſſet multitudini in ſcandalum : tum quia communis uſus Leges hujuſmodi pœnales ſic interpretatur.

Ergo Paſtor ipſo jure privatus Beneficio, ante ſententiam judicis munia Paſtoralia validè exercet, & fructus Beneficii juſtè percipit ; quia habet titulum ſaltem coloratum.

Tertiò, quando Lex pœnam ipſo facto decernit, nulla monitione, aut declaratione præmiſſa, pœna ſtatim ſubeunda eſt, nec expectanda Judicis ſententia ; quia Legiſlator id poteſt quod Judex : ergo ſi reus pœnam ſubire tenetur poſt de-

clarationem Judicis, quidni & poſt Legislatoris declarationem?

Nec dicas cum nonnullis: hæc verba, *nulla declaratione præmiſſa*, addi à Legislatore majoris explicationis gratia, ut ſubditi pleniùs intelligant, pœnam eſſe latæ ſententiæ; nam ex jure ſatis clarè elicitur, verba illa habere ſenſum à nobis intentum; & planè diverſum à ſenſu verborum quæ in Lege præcedunt.

Non negârim tamen, quod aliquando expertus ſum, Judicem, qui minùs vim illorum verborum percipit, ita pronuntiare majoris claritatis cauſa, nec aliud intendere per hæc verba, *abſque declaratione*, quàm per iſta, *ipſo facto.* Sed factum unius aut alterius non debet trahi in exemplum, nec recedendum à communi regula, niſi aliter conſtet de mente Superioris.

Quartò, reus poſt ſententiam Judicis nec tenetur, nec licitè poteſt exequi pœnam mutilationis aut mortis, v. gr. venenum haurire, præcipitem ſe dare, ſuſpendio ſe præfocare; quia hæc crudelitatem ſapiunt, & repugnant Legi naturali; ſed ſatis eſt, quòd executori non reſiſtat. Imò Suarez Lib. 5. cap. 10. num. 10. probabiliorem exiſtimat ſententiam Covarruviæ, & aliorum aſſerentium eum, cujus omnia bona fiſco addicta ſunt, non teneri exequi ſententiam difficilem, ſed facere ſatis, ſi patiatur bona ſua à Miniſtro auferri, nec ea ſubtrahat, nec occultet.

Q. 7. *Utrùm ignorantia pœnæ reum à pœna excuſet?*

R. Ignorantia etiam invincibilis ſolius pœnæ non excuſat per ſe à pœna, quæ non ſit cenſura.

Proba-

Probatur; quia illud est discrimen inter culpam & pœnam, quòd culpa necessariò sit voluntaria, ac proinde cum aliqua cognitione & advertentia: pœna verò veniat ab extrinseco, & contra voluntatem pugnet. Ergo qui invincibiliter ignorat Legem, non peccat, si eam non observet, quia ejus omissio non est voluntaria; nec pœnam meretur, cùm pœna culpam præsupponat. Contra verò qui Legem novit, eamque transgreditur, nesciens tamen pœnam in transgressores latam, pœnam meretur, & si sit Lege lata, illam de facto incurrit.

Dixi 1. ignorantiam per se non excusare à pœna, quia per accidens excusare posset, saltem in foro conscientiæ, nimirum si ex eo quòd ignoraret pœnam, bona fide crederet, Legem non obligare sub mortali; nam ex gravitate pœnæ colligitur, Legem obligare sub gravi peccato.

Dixi 1. *nisi pœna sit censura;* quia censura communiter non incurritur, nisi præcesserit aliqua monitio vel ab homine, vel à jure, seu Lege comminante, aut etiam decernente, v. gr. Excommunicationem: atqui non est monitus, qui nullatenus cognovit illam pœnam fuisse Lege latam: ergo illam non incurrit saltem in foro conscientiæ; nam in foro exteriori non audiretur, qui diceret, se ignorasse hujusmodi pœnam in Lege contineri.

Q. 8. *Lex pœnalis obligatne Superiorem ad pœnam imponendam?*

Huc revocanda sunt, quæ supra diximus de dispensatione; nam dispensatio pœnæ per Legem latæ, est quædam Legis dispensatio: Ergo sicut inferior non potest dispensare in Lege Superio-

ris, nisi necessitas, aut epichia id postulent; ita nec relaxare pœnam à Superiore impositam. Ergo sicut Legislator peccat sine causa dispensans, sic & pœnam relaxans.

Ad relaxandam autem pœnam, plures honestæ causæ movere possunt supremum Principem, quæ in inferiori Judice locum non habent, putà benignitatis, & liberalitatis ostensio, primus in urbem ingressus: prolis nativitas, gratificatio obsequiorum delinquentis, vel ejus consanguineorum, &c.

Observandum tamen est in hujusmodi gratiis concedendis; quod ex S. Ambrosio refertur cap. *Denique*, 14. qu. 5. ubi sic habetur: *Si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quàm gravari alterum. Ideoque in causis pecuniariis intervenire non est Sacerdotis, in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alter, qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur. Sacerdotis est igitur nulli nocere, prodesse velle omnibus, posse autem solius Dei est.*

CAPUT XIV.

De Lege Divina veteri.

Q. I. *Quotuplici modo Lex vetus accipitur?*

R. Duplici. 1. Pressiùs pro Lege, quam ipse Moyses promulgavit, ut Luc. 24. v. 44. Ubi Christus Legem distinguit à Libris Prophetarum, & à Psalmis; sic enim Apostolos alloquitur: *necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me:* ubi Lex concluditur quinque Libris à Moyse scriptis, qui Pentateuchus

teuchus ſolent appellari. 2. Lex latiùs ſumitur pro tota Scriptura veteris Teſtamenti. Et hoc poſteriori modo Legem veterem hìc accipimus.

Q. 2. *Quotuplici nomine vocatur Lex vetus?*

R. Quadruplici. Dicitur 1. ſimpliciter & abſolutè Lex, ut in Epiſtola ad Romanos paſſim & capit. 10. Joan. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* 2. Lex Moſaica; quia per Moyſen fuit promulgata. 3. Lex vetus, ut diſtinguatur à nova, ſeu Evangelica. 4. Vetus Teſtamentum, ſeu pactum & fœdus, quia per eam Deus cum Judæis pepigit, ipſos fore ſibi peculiarem populum, & terram promiſſam in hæreditatem poſſeſſuros, ſi Legem obſervarent.

Q. 3. *Lex vetus fuitne bona & divina?*

Utrumque negârunt Marcionitæ, deinde Manichæi & Priſcillianiſtæ, docentes duos eſſe prima rerum principia, alterum malum, quod fuit auctor Legis veteris, & ideo malæ: alterum bonum, à quo Lex Evangelica prodiit. Contra priores imprimis ſcripſit Tertullianus, & contra poſteriores S. Auguſtinus, cum quibus

R. De fide eſt, Legem veterem fuiſſe bonam, & à Deo conditam.

Prima pars reſponſionis probatur 1. ex Scriptura Rom. 7. verſ. 12. *Itaque Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.* Et 1. Timoth. 1. verſ. 8. *Scimus autem quia bona eſt Lex, ſi quis ea legitimè utatur.* Luc. 2. Chriſtus Legem circumciſionis, & Beata Virgo Legem purificationis ſervârunt. Matth. 26. Chriſtus cœnam legalem inſtituit pridie quàm pateretur. Probatur 2. ratione; quia illa Lex eſt bona, quæ non

 præci-

præcipit nisi bonum, nec prohibet nisi malum, idque in honestum & debitum finem: atqui Lex vetus nonnisi bonum præcipit, ut patet vel ex illo præcepto, Deut. 6. in quo cætera continentur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. & omne malum prohibet, dum ait, *non concupisces*, idque in honestum & debitum finem: remotum quidem vitam æternam; proximum verò Christum juxta illud Roman. 10. *Finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti*, Galat. 3. *Lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo*, 1.Cor.10. *Omnia in figura contingebant illis.* Unde non mirum, si Ecclesia Christiana in suis Conventibus miracula & Historias veteris Testamenti grata memoria quàm sæpissimè recolat; hæc enim omnia ad stabiliendam Religionem Christianam conferebant, & in gratiam corporis mystici, cujus Christus caput est, Deus operabatur. Ubi bella legit Judæus, mysteria intelligit Christianus.

Unde S. Augustinus Lib. 6. contra Faustum, cap. 2. sic scribit: *Cùm dicit* (Apostolus) *scripta sunt propter nos, procul dubio demonstrat, quanta nobis cura legenda & intelligenda, & in quanta auctoritate habenda sint, quia propter nos ubique scripta sunt.*

Secunda pars, nempe quòd Lex vetus fuerit à Deo, probatur: tum ex Scriptura Luc. 1. *Sicut locutus est* (Deus Israël) *per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.* Hebr. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens in Prophetis*, tum ex Traditione; nam in Symbolo Constantinopolitano de Spiritu Sancto habetur, *qui locutus est per Prophetas.* Et in Concilio Toletano 1. contra Pri-

Priſcillianiſtas, *ſi quis dixerit eſſe alterum auctorem priſcæ Legis, alterum Evangeliorum, anathema ſit.*

Dices contra primam noſtræ reſponſionis partem: Deus Ezech. 20. de Lege veteri ſic loquitur: *dedi eis præcepta non bona* & Hebr. 8. ait Apoſtolus, vetus Teſtamentum culpa non vacâſſe. Ergo.

Diſtinguo ant. Non bona, id eſt, imperfecta, Concedo: mala; Nego ant. Nam in eodem loco habetur, *dedi eis præcepta mea . . . quæ faciens homo vivet in eis.* Et ita hunc locum interpretatur S. Gregorius Lib. 28. Mor. cap. 7. ubi ſic ſcribit: *hos pannos infantiæ, quos inchoantibus dedit, ipſe per Prophetam Dominus reprehendit, dicens; Ego dedi eis præcepta non bona; mala enim quaſi mala eſſe deſinunt comparatione pejorum, & bona quaſi bona non ſunt comparatione meliorum, melioribus novi Teſtamenti præceptis ſubſequentibus, præcepta bona, quæ rudibus data ſunt, non bona eſſe memorantur.* Et hanc imperfectionem Apoſtolus loco laudato vocat culpam, ſcilicet impropriè dictam, ut patet ex ejus contextu.

Inſtabis 1. Dei perfecta ſunt opera, Deut. 32. atqui ex conceſſis Lex vetus eſt imperfecta, nec culpa ſeu defectu vacavit: ergo non eſt à Deo.

Diſtinguo maj. Dei perfecta ſunt opera, quoad modum operandi, hoc eſt, ſumma ſapientia diriguntur ad finem, quem ſibi Deus præſtituit, Concedo: perfecta ex objecto circa quod verſantur, Nego majorem: Deus enim non ſemper facit optima: alioqui mundum perfectiorem creare debuerat. Porrò Lex vetus, quamvis non fuerit perfecta ex objecto, nec Judæos ad illam ſublimiorem vitam perducere potuerit, ad quam Lex Evangelica Chriſtianos evehit; perfe-

cta tamen fuit, quatenus congruebat populo rudiori: quemadmodum Pædagogus, qui rudibus & quodammodo infantilibus præceptis puerum imbuit, ſapienter illum erudit: quia tradit ea, quæ congruunt illi ætati, & diſponunt ad majora percipienda, quando adoleverit.

Inſtabis 2. 1. Cor. 3. Lex dicitur miniſtratio mortis.

Diſtinguo, occaſionaliter & per accidens, Concedo: per ſe, Nego. Hanc ſolutionem ipſemet Apoſtolus nobis ſuggerit Rom. 7. ubi ſic ſcribit, *occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*; ardentiùs enim ea appetimus, quæ nobis prohibentur; juxta illud Poetæ, *nitimur in vetitum.*

Urgebis; atqui Lex vetus per ſe fovebat cupiditatem, cùm ejus promiſſa eſſent temporalia: ergo.

Nego ſubſumptum, cujus confirmationem diſtinguo, temporalia promittebat tanquam media apta ad pueros & carnales adducendos ad præceptorum obſervationem, Concedo: tanquam præmia & ultimum finem, Nego. Nam Pſal. 143. improbantur, qui beatum dicunt populum, cui hæc ſunt, & beatus dicitur populus, cujus Dominus Deus ejus. *Non itaque*, inquit Sanctus Auguſtinus Libro quarto contra Fauſtum, *ſpes noſtra in temporalium rerum promiſſione defixa eſt, quandoquidem nec ipſos illius temporis ſanctos & ſpiritales viros, Patriarchas & Prophetas, his terrenis rebus fuiſſe deditos credimus.*

Inſtabis 3. Illa Lex non eſt bona, quæ ſalvare nequit, & eſt moraliter impoſſibilis: atqui Lex vetus ſalvare non poterat, taleque jugum erat,

erat, *quod neque Patres noſtri*, inquit Apoſtolorum Princeps, *neque nos portare potuimus*, Act. 15. Ergo.

R. 1. Retorquendo argumentum. Ipſa Lex naturalis homines per ſe ſalvare nequit, & eſt jugum quod nullus ſine gratia portare poſſit: ergo Lex naturalis non eſt bona: quo nihil eſt abſurdius.

R. Itaque 2. in forma, Lex vetus ſalvare nequit, & eſt jugum intolerabile ſine gratia, Concedo: Cum gratia, Nego minor. Nam plures in veteri Lege ſalvati ſunt, & juſti ante Deum extiterunt, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini, ut de Zacharia & Eliſabeth dicitur Luc 1. iiſque mandata Dei non extitêre gravia, ſed dulciora ſuper mel & favum, ut de ſeipſo teſtatur règius Pſaltes Pſal. 17. Sed iſta aſcribenda erant Fidei in Chriſtum venturum, & gratiæ novi Teſtamenti, quæ ex S. Auguſtino in veteri Teſtamento occultabatur, ſicut frumentum in palea. Unde Lib. 3. ad Bonifacium cap. 3. ſcribit, juſtos, qui ſub veteri Lege vixerunt; licèt non nomine, reverà tamen fuiſſe Chriſtianos: *Veteris quidem Teſtamenti*, inquit, *diſpenſatores & geſtatores*, *ſed novi demonſtrantur hæredes. Nondum nomine*, *ſed reipſa fuerunt Chriſtiani.*

Porrò S. Petrus loquitur de Lege veteri ſecundùm ſe ſpectata, quæ, ut ſic innumera præceptorum multitudine obruebat, eos præſertim, qui promulgato jam Evangelio, Legem neceſſariam eſſe contendebant; nam ex Apoſtolo Galat. 5. à Gratia Chriſti exciderant: *Evacuati eſtis à Chriſto*, inquit, *qui in Lege juſtificamini à gratia excidiſtis.*

Dices contra ſecundam reſponſionis partem: Lex vetus, Galat. 3. eſt ordinata per Angelos in

manu mediatoris, id eſt Moyſis, qui de ſeipſo ſic ait, Deut. 5. *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum, & vos*, Hebr. 2. de Lege ſic loquitur Apoſtolus, *qui per Angelos dictus eſt ſermo*, Joan. 1. *Lex per Moyſen data eſt*, Et Joan. 7. *nonne Moyſes dedit vobis Legem?* Ergo Lex vetus non eſt à Deo.

Diſtinguo anteced. Per Angelos tanquam Dei miniſtros, & ejus nomine agentes & loquentes: per Moyſen verò tanquam Legis promulgatorem, Concedo: Per Angelos & Moyſen tanquam Legis Authores, Nego antec. Quin nonnulli è veteribus credidêre, ipſummet Verbum divinum in corpore ad tempus aſſumpto Moyſi apparuiſſe in monte Sina, & cum eo fuiſſe locutum. Sed conſtat Legem miniſterio Angelorum fuiſſe ordinatam, tum ex laudatis in objectione textibus, tum ex cap. 7. Actuum v. 30. 31. 32. & 38. ubi S. Stephanus ſic loquitur: *Apparuit illi* (Moyſi) *in deſerto monte Sina Angelus in igne flammæ rubi . . . . facta eſt ad eum vox Domini dicens . . . Ego ſum Deus patrum tuorum. Hic eſt, qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sina.* Quòd autem Moyſes Legis promulgatorem ubique egerit patet, ex 24. cap. Exodi ubi ſic habetur: *Moyſes . . . narravit plebi omnia verba Domini atque judicia: reſponditque populus una voce: omnia verba Domini, quæ locutus eſt, faciemus.* Adde quòd ipſemet Moyſes ſemper præmittat, *hæc dicit Dominus. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen.*

Q. 4. *Quotuplicis generis præcepta numerantur in veteri Lege?*

R. Triplicis, nempe moralia, cæremonialia, & judicialia; ſic enim loquitur Moyſes Deuter. cap. 6. verſ. 1. *Hæc ſunt præcepta, cæremoniæ,*

& judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester. Præcepta moralia pertinent ad morum disciplinam, digito Dei descripta sunt in duabus tabulis, Exodi 20. solentque dici Decalogus, eo quòd sint numero decem. In prima tabula scripta erant præcepta, quæ Deum respiciunt; & in secunda quæ proximum. Cæremonialia cultum Dei spectant, ut sacrificiorum & purificationum Leges. Judicialia sunt Leges civiles & politicæ, juxta quas Judæorum societas regebatur.

Ergo, inquies, in veteri Lege nulla erant præcepta Fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ, nullave consilia.

Nego conseq. Tum quia hæc & alia Legis naturalis præcepta implicitè continentur in Decalogo. In primo quidem præcepto, Fides, spes, charitas, & pœnitentia; cùm sine iis Deus, veraciter coli non possit. Tum quia harum virtutum actus passim in Lege præcipiuntur. Unde S. Augustinus Libro de Gratia & libero arbitrio c. 18. sic scribit: *Hæc omnia præcepta dilectionis, id est, charitatis, per Legem dantur & veterem & novam. Lex autem sine gratia est littera occidens, in gratia verò Spiritus vivificans.* Quòd autem in Lege veteri aliqua fuerint consilia, patet ex variis sacrificiis & votis, quæ in Lege non præcipiebantur, ut advertit sanctus Chrysostomus in illud Psalm. 118. *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine.*

Q. 5. *Quare Deus Legem naturalem in tabulis scribi voluit, cùm ex dictis in cordibus hominum ita sit indita, ut omnino deleri non possit?*

Respondet S. Augustinus in enarrat. in Ps. 57. *Scriptum est in tabulis, quod in corde non legebant; non enim scriptum non habebant; sed legere nolebant: opposi-*

tum

tum est oculis eorum quod in conscientia legere cogerentur, & quasi forinsecus admota voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est. Adde quòd concupiscentia, passiones inordinatæ, & habitus vitiosi, etsi Legem naturalem omninò delere non possint, illam valde obscurant, rationemque ita perturbant, ut facilè homo malum tanquam bonum apprehendat. Unde Apostolus Rom. 7. ait: *Peccatum non cognovi, nisi per Legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, non concupisces.*

Q. 6. *Lex vetus obligabatne omnes homines?*

R. Solos Judæos obligabat quoad præcepta cæremonialia & judicialia; quia iis solis data fuit, Deuter. 4. *Quæ est alia gens tam inclyta, quæ habeat cæremonias & justa judicia?* Rom. 3. *Quid ergo amplius Judæo est? multùm per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei;* Gentilibus tamen licebat amplecti Legem, quamvis sine ea absolutè potuissent salvari: *Si quis peregrinorum* (ait Deus Exodi 12.) *in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur priùs omne masculinum ejus, & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ.*

Dixi: *Quoad præcepta cæremonialia & judicialia;* Nam Gentiles præcepta moralia quæ pertinent ad Legem naturalem, servare tenebantur, non tamen vi Legis scriptæ; nec proinde subjiciebantur pœnis temporalibus Lege latis contra prævaricatores, putà idololatras, blasphemos, adulteros.

Q. 7. *Lex vetus fuitne mutabilis?*

R. 1. Mutari potuit à Deo quoad præcepta cæremonialia, & judicialia; quia erat Lex positiva, & minimè necessaria, quemadmodum Lex naturalis; sed prorsus dependens à libera Dei voluntate: ergo sicut Deus potuit quoque eam revocare.

R. 2.

R. 2. Actu & de facto mutata est, & abrogata in adventu Christi. Est de fide contra Ebionem, Cerinthum, & Nazaræos, ex sancto Epiphanio Hæresi 28.

Probatur: Tum quia Lex data est ad tempus, *& donec veniret semen, cui promiserat*, ait Apostolus Gal. 3. vers. 19. Tum quia finis Legis est Christus, Rom. 10. vers. 4. Atqui obtento fine cessat usus mediorum, quæ sunt ad finem: tum quia Lex erat umbra futurorum, Hebr. 10. vers. 4. figurabat Christum venturum, *omnia in figura contingebant illis*, 1. Cor. 10. v. 11. Atqui fulgente luce, evanescit umbra, & præsente veritate, figura illam futuram prænuntians, evadit falsa: Ergo.

Dices: Habetur Baruch 4. *Hìc liber mandatorum Dei, & Lex, quæ est in æternum:* Ergo.

Nego conseq. Nam in Scripturis illud solet dici æternum, quod longissimo tempore durat, ut patet tum ex cap. 17. Gen. vers. 8. ubi Abrahæ promittitur Chanaan in possessionem sempiternam, hoc est, quamdiu durabit Judæorum Respublica; tum ex cap. Deut. 15. v. 17. ubi dicitur de servo, qui maluit servire, quàm manumitti septimo anno, sic statuitur: *Serviet illi in æternum*, id est, toto vitæ suæ tempore.

Instabis: Christus Matth. 5. testatur se non venisse legem solvere, sed adimplere: Ergo.

Distinguo anteced. Non solvere quoad præcepta moralia, quæ sunt legis naturalis & necessaria, Conc. Quoad cæremonialia, & judicialia, Subdisting. Venit adimplere, quatenus gratiam, quam significabant, exhibuit, Conc. Quatenus eorum vim obligandi confirmavit, Nego anteced. Hoc enim sensu illa abrogavit.

Q. 8. *Lex estne mutata & abrogata statim ab adventu Domini, aut ab ejus Baptismo?*

R. Non fuit mutata, nisi in Christi morte; quia Christus verbo & exemplo docuit, Legem esse servandam: verbo quidem, Matth. 23. v. 2. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite:* exemplo quoque; quia ipse Legem servavit, circumcisus est, oblatus est in Templo, Pascha comedit, & omnia Judæorum Festa celebravit.

Dices: Luc. 16. v. 16. sic legitur: *Lex & Prophetæ usque ad Joannem:* Ergo.

Distinguo anteced. Lex & Prophetæ, quatenus prænuntiabant Christum venturum, Conc. Quatenus alia facienda, alia vitanda præcipiebant, Nego antec. Itaque voces illæ Prophetarum, *veniens, veniet, qui avertat iniquitatem à Jacob*, cessârunt prædicante Joanne: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi.*

Instabis: Atqui prædicante Joanne, Legis præcepta non obligarunt; nam ex dictis, præcepta veteris Legis ad Christum ducebant tanquam media ad finem, erantque figuræ futuri ejus adventus: ergo statim atque Christus se præsentem exhibuit, præcepta veteris Legis evaserunt inutilia, imò & signa falsa ac superstitiosa.

Nego subsumptum, & ejus confirmationis antecedens distinguo, Legis præcepta ad Christum deducebant, tanquam ad finem, ipsumque futurum prænuntiabant, tanquam redemptorem Jacob, novi fœderis, & legis gratiæ auctorem, Conc. Deducebant ad Christum, ipsumque futurum prænuntiabant præcisè & simpliciter, Nego antec. Porrò Christus ante mortem nec redemit Jacob,

Jacob, nec novum Teſtamentum condidit, nec novam gratiæ legem ſanxit, ac proinde lex toto illo tempore, quod Chriſti mortem præceſſit, futura verè prænuntiabat.

Inſtabis iterum: Baptiſmus ante mortem Chriſti fuit inſtitutus: ergo circumciſio exinde evaſit inutilis & conſequentur lex ipſa; cùm legitimè obſervari non poſſet, niſi à circumciſis. Ita ferè Scotus.

Diſtinguo anteced. Baptiſmus fuit inſtitutus, & non præceptus, Concedo: Fuit præceptus, Nego anteced. Unde neganda eſt conſequentia, nam quamvis circumciſio non eſſet tunc neceſſaria ad delendum peccatum originale (ſi tamen illud unquam deleverit, quod ſuo loco examinabitur) non fuit propterea inutilis, cùm proprius ejus effectus eſſet conſignare populum Dei, & idoneum illum reddere ad cæremonialia legis præcepta obſervanda.

Q. 9. *Quando itaque lex fuit abrogata?*

Priuſquam huic quæſtioni fiat ſatis, quatuor circumſtantiæ temporis diligenter ſunt diſtinguendæ. Prima, in qua lex nova fuit conſtituta, &, vetus abrogata. Secunda, cùm hujuſmodi mutatio fuit promulgata. Tertia, quando lex vetus evaſit prorſus inutilis & obligare deſiit; ita, tamen, ut ejus obſervatio non fuerit per ſe illicita & noxia. Quarta, cùm lex evaſit mortifera, & uſus ejus omnino illicitus ac ſuperſtitioſus. His prænotatis,

R. 1. Lex abrogata eſt in morte Chriſti. 2. Mutatio ejus promulgata eſt die Pentecoſtes, & exinde obligare deſiit, utpote jam inutilis. 3. Obſervatio legis aliquandiu poſt Pentecoſten fuit per

per ſe licita. 4. Evaſit tandem mortifera & ſuperſtitioſa, quando Templum fuit deſtructum ſub Veſpaſiano & Tito, quadraginta annis poſt mortem Chriſti.

Prima pars reſponſionis, nempe quòd lex vetus in morte Chriſti abrogata fuerit & mortua, probatur ; quia quidquid in lege fuerat promiſſum & præfiguratum, in morte Chriſti completum eſt. Hinc Chriſtus Spiritum mox emiſſurus ait, Joan. 19. *Conſummatum eſt.* Ex quibus verbis ſic concludit S. Thomas quæſt. 103. art. 3. ad 2. *Et ideo tunc totaliter debuerunt ceſſare legalia, quaſi jam veritate eorum conſummata.* Atque in hujuſce rei ſignum velum Templi ſciſſum eſſe communiter docent SS. Patres, ut S. Ambroſius Lib. 10. in Luc. cap. 23. ubi ſic habet : *Velum ſcinditur, quo myſteriorum Synagogæ profanatio declaretur.* Sanctus Auguſtinus, vel quivis Auctor Serm. 114. de Tempore, nunc in Appendice 153. *Velum templi ſcinditur ; quia Synagoga honore nudatur ; obſervatio antiqua diſſolvitur, Eccleſiæ unitas præmonſtratur.* S. Leo Serm. 17. de Paſſione : *Adeò tunc à Lege ad Evangelium, à Synagoga ad Eccleſiam, à multis ſacrificiis ad unam hoſtiam, quæ Deus eſt, evidens eſt facta translatio, ut emittente Domino Spiritum, velum vi ſubdita ſcinderetur.*

Enimverò tum vetus Teſtamentum eſt revocatum, cùm novum conditum eſt : tum lex antiqua abrogata, cum Sacerdotium Aaronicum fuit translatum ; nam ex Apoſtolo Hebr. 7. v. 12. *Translato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut, & legis translatio fiat.* Atqui in morte Chriſti novum Teſtamentum conditum eſſe probat Apoſtolus Hebr. 9. verſ. 16. & 17. his verbis : *Ubi teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt inter-*

intercedat testatoris; testamentum enim in mortuis confirmatum est, & cap. 10. vers. 9. *aufert primum, ut sequens statuat.* Sacerdotium etiam Aaronicum sublatum est; cùm Christus novus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech seipsum in Cruce obtulit, tanquam victimam æterno Patri, suaque oblatione, *consummavit in æternum sanctificatos*, ut loquitur Apostolus, Hebr. 10. v. 14. Ergo lex vetus in morte Christi abrogata est.

Dices: Lex, quæ adhuc obligat, abrogata non est: atqui lex vetus post Passionem Christi obligavit Judæos, donec Evangelium promulgaretur; alioquin Judæi sine lege remansissent, defuissetque parvulis remedium contra peccatum originale. Unde S. Bernardus Epist. 77. seu Tractat. ad Hugonem, sic scribit: *Sancito quippe novi mysterii decreto, sed adhuc secreto, quisnam, quæso, morientibus interim ad regnum patet accessus, dum & vetus jam deficit, quoniam à novo excluditur; & novum tamen non subvenit, quoniam dum nescitur, non percipitur? O infelicissima illa tempora, quæ sola à sæculis omni penitus salutis remedio vacua transierunt.* Ergo.

Nego major. Nam in civilibus lex antiqua, licèt sit abrogata in consilio Principis, vim tamen habet obligandi, eosdemque parit effectus, donec abrogatio fuerit promulgata, ac proinde viguit remedium contra peccatum originale, quamdiu novum Testamentum promulgatum non est.

Secunda pars, scilicet, quòd in Pentecoste Lex Evangelica promulgata sit, & exinde Lex Mosaica obligare desierit, & inutilis evaserit, probatur, quia eo ipso die, quo Judæi recolebant gratam memoriam olim traditæ Legis in monte Sina inter tonitrua & fulgura; ut figuræ veritas responde-

ret, Spiritus Sanctus cum ingenti sonitu, & in flamma ignis descendit in monte Sion, novam Legem proprio digito scripsit, non in tabulis lapideis sicut priùs, sed in cordibus Fidelium: Apostoli Evangelii præcones designati, qui à Passione Christi hactenus latuerant, & ejus jussu siluerant, jam Spiritu Sancto repleti loquuntur variis linguis, Deo sermonem eorum confirmante stupendis signis: efficaciam simul & necessitatem Baptismi prædicant: *Pœnitentiam agite*, inquit Apostolorum Princeps Actuum 2. vers. 38. *& baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.* Porrò eò ipso, quò aperitur posterius Testamentum, præcedens, & leges in eo contentæ revocari censentur.

Dices 1. Fides in Christum est novi Testamenti præceptum: atqui Fides ante Pentecosten obligavit; Judæi quippe Christi sermonibus credere tenebantur: ergo Lex nova ante Passionem obligavit.

Distinguo major. Fides est novi Testamenti, & veteris simul præceptum, Concedo: Est novi Testamenti præceptum proprium, Nego majorem: Nam Patriarchæ & Prophetæ credebant ea omnia futura, quæ Christiani credunt impleta: mutata sunt tempora, non ipsa fides, quæ eadem semper fuit.

Instabis: præceptum Baptismi fuit promulgatum Joan. 3. his verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;* & exinde Apostoli Baptismum publicè administrârunt: atqui Baptismo initiati, omnibus Legis Evangelicæ præceptis astringuntur: ergo

Lex

Lex Evangelica ante Passionem Christi obligavit, & circumcisionem, seu quodvis remedium priùs contra peccatum originale institutum evacuavit.

Nego majorem. Nam, ut ait sanctus Bernardus laudata Epistola, Christus in privato & familiari colloquio Nicodemum docuit, non quod tunc exigeret, sed quod suo tempore prædicandum erat super tecta. Sic præceptum illud: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, Joan. 9. non præsens tempus, sed futurum denotabat; cùm Christus nondum carnem suam in Sacramento exhiberet, sed tantùm promitteret. Baptismus quidem ab initio prædicationis Christi fuit institutus, illumque Apostoli contulerunt tanquam remedium efficax, sed nondum necessarium ad eluendum peccatum originale; quia aliud remedium tunc temporis suppetebat, nimirum circumcisio, vel professio Fidei in Christum.

Dices 2. Si statim post Pentecosten inutile fuit vetus remedium contra peccatum originale, Evangelium pluribus parvulis nocuit, quàm prodesse potuerit; quot enim parvuli toto orbe terrarum non baptizati, mortui sunt antequam prædicatio Apostolorum ad eorum parentes pervenire potuerit? *Itane ergo*, inquit sanctus Bernardus in Opere jam laudato, *verbum salutis, præceptum vitæ non priùs vitam restituere valuit, quàm mortem inflixerit?*

R. 1. Duo certa sunt. Primum, promulgata lege irritante, statim irritos reddi actus, quos prohibet, nisi expressè terminum præfigat ad hunc effectum, quemadmodum Decretum Tridentini irritans matrimonia clandestina, concedit tri-

triginta dies numerandos à prima die publicationis, priusquam ejusmodi matrimonia censeantur irrita, Seff. 24. cap. 1. de Reform.

Secundum, ad debitam legis promulgationem satis esse, quòd fiat communitati, nec requiri, ut ejus notitia ad singulos perveniat; alioquin semper esset dubitandi locus, num lex fuerit sufficienter promulgata; cùm vix fieri possit, quin aliquis eam ignoret. Unde qui ex ignorantia Decreti Concilii Tridentini, hodie matrimonium contraheret sine præsentia Parochi, nihilominus irritum foret ejus matrimonium. Porrò Lex Evangelica die Pentecostes solemniter fuit promulgata Synagogæ; hæc enim promulgatio publicè & cum sonitu facta est in primaria Judæorum civitate, quæ erat Sedes Principum Synagogæ, & in qua convenerant populi ex omni natione, quæ sub cœlo est, Act. 2. Ergo inutile reddidit remedium contra peccatum originale priùs institutum.

Superest tamen gravis difficultas, utrùm remedium illud ex illa die irritum fuerit, tum apud Judæos per orbem dispersos, ad quos Evangelii promulgatio statim pervenire non potuit; tum apud Gentiles, ad quos solemnis illa promulgatio pertinere non videbatur, cùm Discipuli communiter ausi non fuerint ipsis Evangelium prædicare, donec eorum vocatio revelata est sancto Petro, Actuum 11. & 12. Quare

R.2. Sanctus Bernardus laudato Opere cap. 2. contendit, remedium contra peccatum originale in iis circumstantiis per aliquod tempus efficax fuisse: *Sanè*, inquit, *parvulis*, *& necdum ratione utentibus*, *quia sola nocere creditur peccati contagio*, *non etiam mandati prævaricatio*, *tamdiu credendum est antiqua*

qua valuisse Sacramenta, quamdiu palam interdicta fuisse non constiterit. An verò ultra, penes Deum est, non meum definire.

Hugo Victorinus sancti Doctoris sententiam amplexus est Lib. 2. de Sacramentis, nec desunt Theologi, qui illam quoad priorem partem etiam nunc docent. Et ratio eorum est, quia in propositis circumstantiis notitia Legis Evangelicæ ubique haberi non potuit, saltem humano modo; ac proinde Deus saluti illorum parvulorum sufficienter providisse non videretur.

Dixi *quoad priorem partem*; Nam quoad posteriorem, ubi sanctus Bernardus dubitat, num circumcisio, aut fidei professio etiam nunc valeat parvulis, quorum parentes nihil audierunt de Evangelio, nullum potest esse dubium, quin sit prorsus inutilis; quia remotè saltem prædicatio Evangelii ad omnes orbis partes pervenire potuit: quòd autem actu & de facto non pervenerit, per accidens est, & ex defectu causarum secundarum.

Dices 3. Lex illa inutilis censeri non debet, quam Apostoli observârunt, quamque observandam præceperunt, saltem in quibusdam capitibus; nefas enim est credere, tam sanctos viros quidquam frustra & inutiliter egisse, ac præcepisse: atqui Apostoli post promulgatum Evangelium, legem observârunt ex concessis; & observandam præceperunt, ex cap. 15. Act. *Abstineatis vos*, inquiunt, vers. 29. *ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*; Ergo.

Distinguo major. Inutilis censeri non debet ex opere operantis, Conc. Ex opere operato, Nego majorem. Deinde concessa minore, di-

 stin-

ſtinguo ſimiliter conſequens : Lex non fuit inutilis ex opere operantis ; hoc eſt, Apoſtoli non inutiliter obſervârunt, & à Fidelibus obſervandam præceperunt, Concedo : Id enim præſtiterunt propter honeſtum finem, & rationes ſupra allatas ; ex opere operato, quaſi lex per ſe vim haberet producendæ alicujus ſanctitatis ſaltem legalis, Nego conſeq.

Ergo inquies, poſt promulgatum Evangelium lex obligavit.

Diſtinguo : Lex Apoſtolica, ſeu Eccleſiaſtica, Concedo : Moſaica, Nego. Igitur non Moyſes, ſed Apoſtoli juſſerunt novos Chriſtianos abſtinere. 1. Ab idolothytis, hoc eſt, à cibis, qui Idolis immolati ſunt, & quidem ad vitandum Judæorum ſcandalum, quibus talis eſus idololatria videbatur. 2. A ſanguine, ſive liquido ac potabili, ſive in carne ſuffocata contento, ut Judæi (qui ab hujuſmodi eſu utpote à tempore diluvii prohibito, maximè abhorrebant) faciliùs ad Gentilium converſationem, & familiarem uſum pellicerentur. 3. A fornicatione, quam Gentiles crimen non opinabantur, quamvis jure naturali ſit prohibita. Quòd autem hæc Apoſtolica Conſtitutio quoad duo priora capita, ſit lata duntaxat ad vitandum Judæorum ſcandalum, patet tum ex cap. 14. ad Rom. tum ex cap. 10. 1. ad Corinth. Ubi Apoſtolus hujuſmodi cibis uti permittit, quando id fieri poteſt ſine aliorum ſcandalo. Conſtat tamen ex Conciliis Gangrenſi, Aurelianenſi, & Wormatienſi, legem ſuffocatorum diu poſt Apoſtolos viguiſſe quibuſdam in locis, quin etiam nunc apud Græcos obſervatur.

Tertia reſponſionis pars, nempe obſervationem

nem Legis veteris aliquandiu poſt Pentecoſten fuiſſe per ſe licitam, probatur ex praxi Apoſtolorum, qui data occaſione legalia obſervârunt, Act. 10. v. 14. cùm audiſſet S. Petrus vocem de cœlo dicentem ſibi: *Occide, & manduca*, ſcilicet, quæ ſecundùm Legem erant immunda, reſpondit, *abſit, Domine, quia nunquam manducavi omne commune, & immundum*: Ergo hactenus abſtinuerat à cibis per Legem prohibitis: Actuum 16. Sanctus Paulus circumcidit Timotheum, Actuum 18. verſ. 18. obſervat cæremonias Nazaræorum ex voto: ergo non ex ſimulatione. Et cap. 21. verſ. 23. ſuadente ſancto Jacobo & Senioribus, purificat ſe cum aliis quatuor, juxta Legis præſcriptum: Ergo obſervatio veteris Legis, quamdiu vixerunt Apoſtoli, fuit per ſe licita.

Dices 1. S. Hieronymus Epiſtola, quæ eſt 75. inter Epiſtolas ſancti Auguſtini, multis probat, Legem veterem ſtatim poſt promulgatum Evangelium, fuiſſe mortiferam, Petrum & alios Apoſtolos ea uſos ſimulatoriè, hoc eſt, non in honorem ejuſdem Legis, nec ad Dei cultum, quemadmodum ſi quis nunc à ſuffocato abſtineret, non Religionis, ſed ſolius ſanitatis cauſa, idque colligit ex cap. 2. verſ. 13. Epiſtolæ ad Galat. ubi ſic legitur: *Et ſimulationi ejus* (Petri) *conſenſerunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem.* Additque ſanctus Doctor, hujuſmodi ſimulationem non fuiſſe verè reprehenſibilem, reprehenſam tamen à Paulo Gal. 2. ſed in ſpeciem, & ex compoſito, ut per eam Judæi legalibus nimis addicti, intelligerent ea non ampliùs eſſe ſervanda. Ergo Lex vetus tempore Apoſtolorum reverà fuit mortifera.

Nego consequ. Fateor quidem, S. Hieronymum priùs fuisse in illa sententia; sed S. Augustinus Epist. 82. aliàs 19. ineluctabilibus argumentis illum refellit. 1. Quia nunquam licet mentiri etiam ad honestum finem: atqui illa dissimulatio fuisset verum mendacium, & mera deceptio. 2. Quia assumere signum falsæ Religionis, v. g. coram idolo thus incendere etiam sine animo colendi idolum, est grave crimen contra Religionem: atqui in hypothesi S. Hieronymi, quòd lex fuisset superstitiosa & mortifera, Apostoli legalia cum Judæis observantes, tanti criminis reos se constituissent: Ergo. 3. Quia per se malum est aliis præbere scandalum, & suo exemplo illos inducere ad peccandum: atqui si Apostoli animo simulatorio legalia, alioquin in se mortifera servâssent, alios suo exemplo ad peccandum induxissent, quod nefas est de tantis viris dicere aut credere, qui in gratia erant confirmati. Simulatio ergo Petri non fuit formalis, sed materialis duntaxat, hoc est, Petrus non observavit legalia animo simulandi; quamvis ejus agendi ratio minùs cauta & prudens Gentilibus suspicionem injiceret, legalia esse ad salutem necessaria; & ideò verè fuit reprehensibilis, ac seria fuit Pauli reprehensio: quod tandem sanctus Hieronymus agnoscens, in sententiam sancti Augustini, quæ est communis Catholicorum, descendit, ut patet ex c. 8. lib. 1. quem scripsit contra Pelagianos, ubi probat exemplo sancti Petri, Sanctos in hac vita non esse à peccatis venialibus immunes: *Paulus*, inquit, *dicat de Petro*, *quòd non recto pede incesserit in Evangelii veritate; & in tantùm reprehensibilis fuerit*, *ut & Barnabas adductus fuerit*

fuerit in eandem ſimulationem. Quis indignabitur id ſibi denegari, quod Princeps Apoſtolorum non habuit? Hanc S. Doctoris mutationem laudat ſanctus Auguſtinus Epiſt. 130. aliàs 260.

Inſtabis pro ſententia ſancti Hieronymi. Lex poſt promulgatum Evangelium non minùs fuit mortifera tempore Apoſtolorum, quàm noſtro: atqui negari non poteſt quin hodie ſit mortifera: Ergo.

Major probatur; Quia alia non poteſt afferri ratio, cur obſervatio Legis nunc ſit mortifera, etiam in hypotheſi, quòd non credatur ad ſalutem neceſſaria, quàm quòd tota ſit ad præfiguranda futura. Unde qui illam nunc obſervaret, videretur ſperare cum Judæis Chriſtum venturum, & ea impleturum, quæ in Lege promiſſa ſunt, ſicque falſum & ſuperſtitioſum cultum exhiberet: atqui hæc omnia contra obſervationem Legis militant, etiam reſpectu Apoſtolorum, qui cernebant impleta quæcunque Lex prænuntiabat futura: ergo Lex non minùs erat mortifera tempore Apoſtolorum, quàm noſtro.

Nego majorem utriuſque argumenti. Namque legalia dupliciter aſſumi poſſunt. 1. Ad ſpem erigendam, quòd Deus aliquando impleturus ſit, quod in Lege futurum præfiguravit. Et hic legalium uſus à promulgato Evangelio, eſt planè Judaicus, ſuperſtitioſus & prorſus alienus ab Apoſtolorum mente. 2. Ad Chriſtianorum conſolationem, & gratulationem, quòd cernant conſummata, quæ antiquis figuris & prophetiis fuerant prænunciata. Et hac mente Apoſtoli legalia cum Evangelio conjunxêre; Eccleſia quoque etiam nunc in publicis conventibus ſcripta

Prophetarum legit, Pſalmos decantat, ubi Chriſtus prædicitur venturus, ut appareat conſonantia Legis veteris cum nova, intelligantque Chriſtiani, hanc in illa contineri ſicut veritatem in figura.

Cur ergo non licet nunc Eccleſiæ quod licuit Apoſtolis, circumciſionem addere Baptiſmo, & Sacrificia Aaronica Miſſæ Sacrificio? ratio repetenda eſt ex voluntate Dei, qui uſum illum naſcente Eccleſia conceſſit ad tempus, & jam firmata ac roborata prohibuit, ſaltem in iis, quæ in Lege erant graviora, qualia ſunt Sacrificia, circumciſio & alia Sacramenta.

Hæc autem Dei diſpoſitio & ordinatio certò colligitur ex Eccleſiæ Traditione; conſtans enim eſt SS. Patrum doctrina, nefas eſſe legalia cum Evangelio miſcere: *Si quis*, inquit S. Ignatius Epiſt. ad Philipp. *cum Judæis celebrat Paſcha, aut ſymbola feſtivitatis eorum recipit, particeps eſt eorum, qui Dominum occiderunt & Apoſtolos ejus.* Similia habent S. Hieronym. Epiſt. 7. & S. Auguſt. Epiſt. 82. aliàs 19.

Dixi: *Saltem in iis, quæ in Lege erant graviora;* Nam Eccleſia leviora quædam admittere poſſet, ut abſtinentiam à ſanguine & ſuffocato, quam diximus diu poſt Apoſtolos fuiſſe obſervatam pluribus in locis.

Dices 2. Ait Apoſtolus Gal. 5. verſ. 2. *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Verſ. 4. *Evacuati eſtis à Chriſto, qui in Lege juſtificamini, à gratia excidiſtis.* Verſ. 9. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, hoc eſt, minima Legis obſervatio Evangelium Chriſti pervertit. Verſ. 11. teſtatur, ſe multas ſuſtinuiſſe perſecutiones: ex eo quòd ſtrenuè

ſtrenuè ſe opponeret ejuſmodi illicitæ mixtioni Legis cum Evangelio : *Si circumciſionem adhuc prædico, qui adhuc perſecutionem patior ?* Et cap. 2. ejuſdem Epiſtolæ verſ. 3. & 5. reſtitit ſubdolis fratribus, qui Titum circumcidere volebant : *Sed neque*, inquit, *Titus qui mecum erat .... compulſus eſt circumcidi ..... neque ad horam ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Ergo obſervatio Legis tempore Apoſtolorum verè fuit illicita & mortifera.

R. 1. Apoſtolus ſecum conciliari debet; quis enim credet, eum propterea evacuatum eſſe à Chriſto, & ab ejus gratia excidiſſe, quòd non ſemel, ſed ſæpiſſimè legalia obſervaverit ?

S. Hieronymus, cùm ferveret controverſia inter ipſum & S. Auguſtinum, ſic Apoſtolum conciliandum arbitrabatur; nempe, inquiebat ille, Apoſtolus legalia ſimulatoriè ac in ſpeciem obſervavit, ſeriò verò rejecit ac reprobavit. Sed S. Auguſtinus laudata Ep. 82. illum refellit argumento ad hominem : *Decepit ergo Timotheum*, inquit, *& fecit nihil ei prodeſſe Chriſtum ? an quia hoc fallaciter factum eſt, ideò non obfuit ?*

R. 2. Cum eodem S. Auguſtino : circumciſio & alia legalia erant licita, *non ex neceſſitate ſalutis, ſed ex conſuetudine ſolemnitatis*, id eſt, fas non erat legalia uſurpare, vel tanquam neceſſaria ad ſalutem, veluti ſigna Chriſti venturi & expectandi, ſed licitè & gravibus ex cauſis Apoſtoli uſurpârunt legalia, tanquam cæremonias præciſè à Deo inſtitutas ad ſuum cultum. 1. Ut Judæos ſuis ritibus valdè addictos faciliùs adducerent ad Evangelium. 2. Ut amputarent occaſionem Hæreticis docendi Legem veterem malam fuiſſe. 3. Ut honorificè ſepeli-

ſepeliretur Synagoga, nec videretur tanquam cadaver hominis damnati & inglorii projicienda. Porrò Apoſtolus locis in objectione citatis; inſurgit adverſùs æmulos, qui plures ſeducebant, docentes neminem ſine circumciſione, & aliis Legis cæremoniis per Chriſtum ſalvari poſſe, quod eſt falſiſſimum, & hæreticum.

Quarta pars reſponſionis, nimirum legem evaſiſſe mortiferam à deſtructione Templi Jeroſolymitani, probatur: tum quia Synagoga fuit tunc temporis ſepulta, & omninò extincta; ex tunc enim ceſſàrunt ſacrificia Aaronica, & alia Judæorum ſolemnia: tum quia Evangelium jam erat prædicatum in univerſa creatura, quæ ſub cœlo eſt, quemadmodum loquitur Apoſtolus in Epiſtola ad Coloſſ. cap. 1. v. 23.

Q. 10. *Peccavitne S. Petrus per illam ſimulationem, quam reprehendit S. Paulus?* Gal. 2.

R. Certum eſt, eum lethaliter non peccâſſe; erat enim confirmatus in gratia, ſicut cæteri Apoſtoli, poſt deſcenſum Spiritus Sancti. Peccatum ergo, ſi quod in illo fuit, veniale duntaxat extitit, ſcilicet ex inadvertentia.

Dixi, *ſi quod in illo fuit;* Nam Baronius, & alii nonnulli opinantur, S. Petrum nequidem venialiter peccâſſe, niſi materialiter; quia inadvertentia fuit in illo invincibilis, & nullatenus voluntaria. Sed ſancti Hieronymus & Auguſtinus locis ſuprà citatis illum non excuſant à peccato veniali. Quidquid ſit, & juſta fuit S. Paulo reprehendendi cauſa, ut jam oſtendimus, & eximium in S. Petro humilitatis exemplum, ut qui paſſus ſit publicè in ſe corrigi, quod minùs rectum videbatur: *Rarius*, inquit S. Auguſtinus laudata Epiſt. 82.

& sanctius exemplum Petrus posteris præbuit, quò non dedignarentur à posterioribus corrigi, quàm Paulus, quò confidenter auderent minores majoribus pro defendenda veritate, salva charitate, resistere.

Q. 11. *Licebatne æquè Gentilibus ad Fidem conversis, ac Judæis usurpare legalia?*

R. Absolutè licebat. Ita S. Augustinus expositione in Epist. ad Gal. *Quamvis*, inquit, *Titus Græcus esset, & nulla eum consuetudo, aut cognatio parentum circumcidi cogeret, sicut Timotheum; facilè tamen & istum circumcidi permisisset Apostolus, non enim tali circumcisione dicebat salutem auferri. Sed si in ea constitueretur spes salutis, hoc esse contra salutem ostendebat: poterat ergo, ut superfluam æquo animo tolerare. Propter subintroductos autem falsos fratres* (qui circumcisionem necessariam ad salutem prædicabant) *non est compulsus Titus circumcidi, id est, non ei potuit extorqueri, ut circumcideretur; quia illi vehementer observabant, & cupiebant circumcidi Titum, ut jam circumcisionem, & ipsius Pauli attestatione & consensione tanquam saluti necessariam prædicarent.*

Responsionis autem ratio est, quia ante promulgatum Evangelium, Gentilibus licuit amplecti Legem veterem: ergo & post promulgatum id eis licitum fuit, donec evaderet mortifera; nulla enim extat prohibitio ipsis specialiter facta; imò Apostoli Act. 15. eò ipso, quò ex legalibus nonnulla, tanquam necessaria Gentilibus imponunt, videntur eis liberum relinquere cætera, vel observare, vel prætermittere.

Dixi, *absolutè licebat*; Quia per accidens minùs licebat Gentilibus, quàm Judæis legalia assumere; Judæi quippè facilè præsumebantur ea frequentare ex consuetudine, non verò ex necessitate: sed non

non videbatur, cur Gentiles onus tam grave ſubire vellent, niſi illud ad ſalutem neceſſarium exiſtimâſſent; ac proinde per accidens & ratione ſcandali, circumciſio, & aliæ Legis cæremoniæ minùs in Gentilibus, quàm in Judæis erant tolerandæ.

CAPUT XV.

De Lege Evangelica.

Conſtat ex dictis capite præcedenti. 1. Legem Evangelicam eſſe divinam, haberéque Chriſtum Auctorem; nullatenus verò Joannem Baptiſtam, ut qui nullam legem tulerit, quæ Chriſtianos obliget, Baptiſmus enim, quem inſtituit, non erat Sacramentum, ſed diſpoſitio ad Baptiſmum Chriſti, ut dicitur, ubi de Baptiſmo. 2. Legem Evangelicam die Pentecoſtes fuiſſe promulgatam, ſaltem Judæis, conditam verò non uno & eodem tempore, ſed ſucceſſivè; nam Baptiſmus inſtitutus eſt initio prædicationis Chriſti, Euchariſtia pridie quàm pateretur, & plura alia, ut Sacramentum Pœnitentiæ, poſt Reſurrectionem; adeò ut Lex Evangelica non fuerit integrè condita, niſi circa Chriſti Aſcenſionem. 3. Legem Evangelicam non obligâſſe ante diem Pentecoſtes, cùm priùs non fuerit promulgata; potuit tamen eſſe utilis; nam Baptiſmus & Euchariſtia habuerunt vim ſanctificandi ſtatim atque inſtituta ſunt.

Judæi quidem tenebantur credere Chriſto prædicanti, & per varia ſigna conteſtanti, ſe à Patre miſſum, neminem ſalvatum iri, niſi renaſceretur ex aqua & Spiritu Sancto, vitamque æternam habiturum, niſi manducaret carnem Filii hominis,

&

& biberet ejus ſanguinem, &c. quia ratio naturalis dictat, credendum vera dicenti & probanti, nec ad id requiritur promulgatio, quemadmodum requiritur, ut præcepta poſitiva mores & cæremonias ſpectantia vim habeant obligandi. Unde Judæi ante paſſionem debuerunt credere neceſſitatem percipiendi aliquando Baptiſmum & Euchariſtiam; ſed nulla neceſſitas, nullave obligatio fuit eis impoſita, niſi poſt Pentecoſten, ſuſcipiendi illa Sacramenta. Sic abſoluto Concilio Tridentino, ſed nondum promulgato, qui noverat illud fuiſſe œcumenicum, tenebatur credere, quæ in eo tanquam de Fide erant definita, non verò ſervare, quæ circa mores noverat ſancita.

His facilioribus jam elucidatis & ſtabilitis, alia graviora occurrunt expendenda, ac 1. quidem quid ſit propriè Lex Evangelica, & in quo præcipuè conſiſtat? 2. Utrùm ſit præceptiva? 3. Utrùm ſit alia à Lege veteri? 4. An ſit durior ac ſeverior? 5. An ſit aliquando mutanda?

§. I.

Quid ſit Lex Evangelica, & in quo conſiſtat?

Advertes 1. Legem Evangelicam ex S. Thoma hìc qu. 106. art. 1. dupliciter ſpectari poſſe, ſcilicet, vel in ſe præciſè, vel in ſigno. Quemadmodum enim teſtamentum ſumitur, vel pro ipſa diſpoſitione & donatione Teſtatoris, vel pro ſcriptura, qua Teſtator utitur tanquam ſigno & inſtrumento, ut notum faciat, hanc ultimam fuiſſe ſuæ voluntatis diſpoſitionem; ita Lex Evangelica, quæ dicitur novum Dei Teſtamentum, du-

pliciter

pliciter accipi poteſt. 1. Pro ipſamet Chriſti diſpoſitione & ordinatione. 2. Pro doctrina, qua nobis explicuit divitias ſuæ donationis.

Advertes 2. ex eodem ſancto Doctore loco citato, Legem Evangelicam præcipuè conſiſtere in ipſa Chriſti diſpoſitione, & chariſmatum largitione; doctrinam verò eſſe quid ſecundarium. Et, ut loquitur S. Doctor, quoddam diſpoſitivum; verba illius ſunt: *quòd eſt potiſſimùm in Lege novi Teſtamenti, & in quo tota virtus ejus conſiſtit, eſt gratia Spiritus Sancti, quæ datur per Fidem Chriſti: & ideò principaliter Lex nova eſt ipſa gratia Spiritus Sancti . . . habet tamen Lex nova quædam ſicut diſpoſitiva ad gratiam Spiritus Sancti & ad uſum hujus gratiæ pertinentia, quæ ſunt quaſi ſecundaria in Lege nova, de quibus oportuit inſtrui Fideles Chriſti & verbis ſcriptis, tam circa credenda quàm circa agenda.* Ex quibus concludit Angelicus Doctor, Legem Evangelicam dicendam inditam, non verò traditam; atque in eo diſtingui à veteri, quòd iſta ſimpliciter dicatur ſcripta, illa verò indita. Enimverò res quælibet denominanda eſt ab eo, quod in illa excellit, homo v. g. ſimpliciter dicitur rationalis, nec ſine aliqua contumelia vocaretur abſolutè animal; quia ratio illum ſuprà omnia ſenſitiva extollit: ergo cùm gratia ſit quid præcipuum in Lege Evangelica, nec per litteram ſeu ſcripturam tradatur, ſed per Spiritum Sanctum infundatur, abſolutè dicendum eſt Legem Evangelicam eſſe inditam.

Nec refert, quòd Lex Evangelica magna ex parte ſit ſcriptis exarata; namque Lex naturalis, quam conſtat naturæ rationali eſſe inditam, fuit poſtmodum ſcripta in tabulis lapideis: ut carnales, circa exteriora effuſi, extrinſecùs ſaltem

tem audirent, quod intus in corde insculptum legere negligebant; ita consentaneum fuit, ut Lex Evangelica, quæ cùm non sit innata sicut naturalis, sed naturæ rationali superaddita, per peccatum deleri potest, & excidere, non solùm ex hominum cordibus; sed etiam ex eorum memoria, scripto traderetur. Ergo cùm illa Scriptura sit quid secundarium in Lege Evangelica, illa Lex æquè dici debet indita, ac Lex naturalis, maximè cùm sine scriptis fuerit condita, promulgata, & ferè ubique recepta. His prænotatis, ad propositam quæstionem

R. Lex Evangelica, describi potest, gratia per Spiritum Sanctum cordibus indita, qua creduntur & amantur quæ Christus verbo tradidit.

Dicitur 1. *gratia*; de ea enim sic cecinit Zacharias cap. 12. vers. 10. *Effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem Spiritum gratiæ & precum:* quod impletum esse die Pentecostes, quo promulgata est Lex Evangelica, docent S. Hieronymus, Theodoretus, & alii. Sic etiam sanctus Joannes Legem Evangelicam indigitavit cap. 1. vers. 17. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est:* hoc est, Moyses per Legem præcepta dedit; Christus per Evangelium obedientiam contulit: Moyses cupiditatem prohibuit, quæ ipsa prohibitionis occasione ampliùs exarsit: Christus per Evangelium infundendo charitatem expulit cupiditatem. *Lex ergo Dei*, inquit sanctus Augustinus Lib. de Spiritu & Littera cap. 17. *est charitas . . . . cùm in tabulis scribuntur opera charitatis: Lex est operum, & littera occidens prævaricatorem: cùm autem ipsa charitas dif-*

diffunditur in corde credentium, Lex est Fidei, & spiritus vivificans dilectorem.

Dicitur 2. *cordibus indita;* sic enim de ea habetur cap. 31. vers. 31. & 33. Jeremiæ, quem Apostolus cap. 8. ad Hebræos laudat in confirmationem nostræ definitionis: *Ecce*, inquit, *dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Juda fœdus novum . . . . dabo Legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.*

Unde Apostoli hujusce Legis novæ præcones non descenderunt de monte Sion, in quo illam acceperunt, sicut Moyses de monte Sina, in quo Deus veterem Legem sanxerat; iste enim descendit ferens Legem veterem in manibus, & in tabulis descriptam: illi verò sine scriptura descendunt Legem Evangelicam in cordibus insculptam deferentes, & ex abundantia cordis linguis igneis loquentes magnalia Dei, sicut scriptum est Act. 2. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto & cœperunt loqui.*

Dicitur 3. *per Spiritum Sanctum*, ut Lex Evangelica distinguatur etiam à Lege naturali, quæ ita est indita, ut sit innata, fluensque instar cujusdam radii à principiis naturæ rationalis; quæ cùm sit per peccatum originale vitiata & debilitata, Lex ab ipsa emanans infirma quoque sit, necessum est. At Lex Evangelica 1. est naturæ rationali superaddita, & cordibus inscripta per Spiritum Sanctum, ut habetur. 2. Cor. 3. vers. 3. *Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* 2. obscuratam Legem naturalem illustrat, & debilitatas naturæ vires reparat, auget, ac perficit, juxtà illud. Rom. 1. vers. 16. *Non erubesco Evangelium; virtus enim Dei est in salu-*

tem

tem omni credenti. Et 2. Tim. 1. verſ. 7. *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis & dilectionis, & ſobrietatis.*

Dicitur 4. *qua creduntur & amantur;* quibus vocibus ſignificatur, Legem novam, non ſolùm oſtendere quæ ſint credenda, amanda, & fugienda: ſed etiam dare ut illa credantur, amentur, & fugiantur. Hinc dicitur Lex amoris; Lex Fidei, quæ per dilectionem operatur; quia mentem ſanctis cogitationibus illuſtrat, & voluntatem piè movet & accendit, proptereaque dicitur ab Apoſtolo, Rom. 8. verſ. 2. *Lex, Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu*, Lex verò ſcripta, *miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus.* 2. Cor. 3. verſ. 7.

Dicitur 5. *quæ Chriſtus verbo tradidit*, ut oſtendatur materiam, circa quam verſatur Lex Evangelica, eſſe ea omnia, quæ Chriſtus verbo docuit, & Apoſtoli poſtmodum magna ex parte ſcripto tradiderunt.

Ergo Lex nova verè juſtificat; namque gratia, ex dictis Tractatu de Gratia, eſt forma juſtificans, & formaliter expellens peccatum, quemadmodum lux tenebras, & calor frigus: atqui Lex Evangelica eſt ipſamet gratia & charitas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis: ergo Lex Evangelica verè juſtificat.

Dices 1. Illud propriè non eſt Lex, cui non convenit definitio Legis: atqui gratiæ non convenit definitio Legis; non enim eſt ordinatio rationis ad bonum commune, facta à ſuperiore, habens vim obligandi: ergo gratia propriè non eſt Lex, ſed metaphoricè duntaxat, quemadmodum dicitur Lex carnis, Lex peccati.

 Nego

Nego minorem. Gratia quippe eſt ordinatio vel efficax, vel ſufficiens, facta à Deo ſumma ratione ad finem ultimum ſupernaturalem, quo nihil eſt melius, & quiſquis ab illo ordine deficit, prævaricationis reum ſe conſtituit. Ergo gratia propriè dicitur ab Apoſtolo Lex Spiritus; concupiſcentia verò metaphoricè Lex carnis, & peccati; quia ille carnis & peccati impulſus eſt contra rationem, & ad malum tendit, ad quod nemo obligari poteſt.

Dices 2. vera Lex, cùm ſit ad bonum commune, debet eſſe una: atqui gratia non eſt una: *diviſiones gratiarum ſunt*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 11. & S. Aug. Ser. 26. aliàs 21. de Verbis Apoſtoli, *natura communis eſt, non gratia.*

Nego min. Nam ex Apoſtolo Epheſ. 4. Una Fides, unus ſpiritus, qui licèt non æqualiter ſingulis communicetur, tamen *quantùm eſt de ſe*, inquit S. Thomas qu. 106. art. 2. ad ſecundum, *ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Sicut ergo Lex naturalis una eſt in omnibus hominibus, quamvis in quibuſdam ampliùs vigeat: ita & Lex gratiæ & Spiritus in omnibus Chriſtianis, ſi obicem non ponant. Locus autem adductus ex Epiſtola ad Corinthios, intelligendus eſt de Gratiis gratìs datis, quæ non erant omnibus communes, nec rationem Legis habere poterant. Quo verò ſenſu dictum ſit, *natura communis eſt non gratia*, expoſuimus Tractatu de Gratia pag. 583. 1. edit.

Dixi, *niſi ponant obicem;* nam Chriſtus loquens de Spiritu ſancto Joan. 14. ait, mundum non poſſe eum accipere: mundum autem dixit, interprete ſancto Auguſtino, dilectores mundi, qui ſecundùm eundem Doctorem, non re, ſed nomine

ne duntaxat ſunt Chriſtiani; ſcriptum eſt enim Rom. cap. 8. *ſi quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.*

Dices 3. Illud non eſt differentia eſſentialiter Legis Evangelicæ, quod eſt ipſi commune cum Lege naturæ, & cum Lege ſcripta: atqui gratia eſt communis Legi naturæ, ſcriptæ, & Evangelicæ: ſancti enim Patriarchæ, ut Noe, Abraham, Iſaac, & Jacob, in Lege naturæ; & Prophetæ, ut Moyſes, Samuel, David, & alii in Lege ſcripta fuerunt ſub gratia: ergo.

Diſtinguo min. cum ſancto Auguſtino Lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 4. fuerunt ſub gratia, quæ pertinebat ad Legem Evangelicam, cùm non fuerit ipſis collata, niſi per merita Chriſti & fidem in ipſum venturum, Concedo: quæ erat propria Legis naturæ aut ſcriptæ, Nego minorem. *Eadem igitur Fides eſt*, inquit ſanctus Auguſtinus, *& in illis, qui nondum nomine ſed reipſa fuerunt antea Chriſtiani, & in iſtis, qui non ſolùm ſunt, verùm etiam vocantur, & in utriſque eadem gratia per Spiritum Sanctum.*

§. II.

Utrùm Lex Evangelica ſit præceptiva?

Negant Pſeudo-Reformati, contendúntque, Legem Evangelicam, utpote Legem libertatis, aliud non continere præceptum, quàm fidem, ſeu certam fiduciam in divinis promiſſis, adeò ut ſtante ejuſmodi fiducia nullum peccatum quantumcunque grave imputetur, tumque ſolummodo Chriſtiani lethaliter peccent, cùm à certa illa fiducia excidunt. Ita Lutherus in cap. 2. Epiſt. ad

 Gala-

Galatas, in quo ſic habet: *cætera omnia liberrima, neque præcepta ampliùs, neque prohibita. Si conſcientia dictat, peccâſti, reſponde, peccavi. Ergo Deus puniet, & damnabit: non. At Lex hoc dicit: ſed nihil mihi cum Lege. Quare? quia habeo libertatem.* Luthero concordat Calvinus Lib. 3. Inſtitut. cap. 19. Quam impietatem Concilium Tridentinum anathemate percuſſit Seſſ. 6. Can. 16. his verbis: *Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio; præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos, anathema ſit.* Similia habet Can. 20. & Can. 21. Si *quis dixerit, Chriſtum Jeſum à Deo hominibus datum fuiſſe ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant; anathema ſit.* Quare ad propoſitam quæſtionem

R. De Fide eſt, Legem Evangelicam alia præcipere, quàm fidem.

Probatur 1. ex Scriptura, Matth. 5. *Non veni Legem ſolvere, ſed adimplere.* Nec dicant Adverſarii, hæc intelligenda duntaxat de promiſſionibus in Lege factis, quas Chriſtus adimplevit; ſubdit enim: *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum . . . . dico enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quid verò addendum juſtitiæ Phariſæorum, exponit toto capite & duobus ſequentibus: *audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis, non occides . . . ego autem dico vobis quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata . . . non homicidium facies, non adulterabis*, &c. Et c. 25. boni & mali judicantur ex operibus: *tunc dicet Rex*

his,

bis, qui à dextris ejus erunt; venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, non quia credidistis, sed quia, *esurivi . . . & dedistis mihi manducare . . . . Et his, qui à sinistris erunt, discedite à me maledicti in ignem æternum . . . esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Luc. 6. vers. 46. *Quid autem vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate.* Et cap. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Denique sanctus Jacobus in sua Epist. ex professo confutat eos, qui docebant solam fidem sufficere.

Probatur 2. ex Traditione. Sanctus Augustinus Lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 4. num. 10. sic scribit. *Quis dicat, non debere observare Christianos, ut uni Deo Religionis obsequio serviatur, ut idolum non colatur, ut nomen Domini non accipiatur in vanum, ut parentes honorentur, ne adulteria, furta, falsa testimonia perpetrentur, ne uxor, ne omnino res ulla concupiscatur aliena? Quis est tam impius, qui dicat, ideo se ista Legis non custodire præcepta, quia est ipse Christianus, nec sub Lege, sed sub gratia constitutus?*

Dices 1. Apostolus Rom. 3. vers. 27. in eo opponit Legem veterem Legi Evangelicæ, quòd illa sit Lex factorum, ista verò Lex Fidei: *ubi est ergo*, inquit, *gloriatio tua? exclusa est. Per quam Legem? Factorum? non, sed per Legem Fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus.* Ergo Lex Evangelica non præcipit opera. Hinc dicitur Evangelium, hoc est, bonus nuntius, seu Lex fausta annuntians. Quænam autem sint illa, exponit Christus Matth. 11. v. 28. *Venite ad me o-*

mnes, qui laboratis, & onerati estis (scilicet jugo Legis) *& ego reficiam vos.*

Distinguo antecedens, Lex Fidei & gratiæ, quia dat fidem & gratiam, quibus implentur præcepta, Concedo: Fides enim Christianorum est Fides, quæ per charitatem operatur, ut dicitur Gal. 5. Lex Fidei inertis, qua otiosi confidamus, & quiescamus in promissis divinis, Nego anteced. Lex itaque vetus dicitur Lex factorum; quia gratiam non conferebat: sed extrinsecùs duntaxat opera præcipiebat: Lex verò Evangelica vocatur Lex Fidei; quia hominem propriæ infirmitatis admonens, per fidem addicit Christo, à quo accipit gratiam implendi, quæ jubentur per Legem. Ita sanctus Augustinus Lib. de Spiritu & Littera cap. 13 in quo sic scribit: *Quid igitur interest? scilicet Legem inter & Evangelium, breviter dicam. Quod operum Lex minando imperat, hoc Fidei Lex credendo impetrat. Illa dicit, non concupisces, ista dicit, cùm scirem quia nemo potest esse continens, nisi Deus det . . . adii Dominum, & deprecatus sum . . . ideo enim jubet Lex, ut admoneat quid faciat Fides, id est, ut cui jubetur, si nondum potest, sciat quid petat: si autem continuò potest, & obedienter facit, debet etiam scire, quo donante possit.* Et cap. 10. probat, Decalogum æquè pertinere ad Christianos, ac ad Judæos; sed eos, qui etiam nunc propriis viribus illum servare præsumunt, servire sub Lege premente, & sub littera, quæ occidit: *quid horum, quisquam dixerit Christianum non debere servare? an fortè non istam Legem, quæ in illis duabus tabulis scripta est, litteram occidentem appellat Apostolus, sed illam circumcisionis, aliorumque veterum, jamque abolitorum Sacramentorum? sed quomodo putabimus, cùm in ea sit, non concupisces, per quod man-*

mandatum, quamvis ſanctum & juſtum, & bonum, fefellit me, inquit, peccatum, & per illud occidit? Quid enim aliud eſt, littera occidit, ſpiritus autem vivificat: quamvis evidentiùs eo ipſo loco ad Corinthios . . . . . . non aliam velit intelligi litteram, quàm ipſum Decalogum in illis duabus tabulis ſcriptum?

Chriſtus ergo bonum nobis attulit nuntium, quatenus annuntiavit, ſe præbere fidem & gratiam, qua credantur, & amentur quæ Lex vetus in Decalogo præcipiebat; ubi enim amor, labor non eſt, ſed ſapor & refectio, inquit ſanctus Bernardus.

Confirmatur, & explicatur reſponſio familiari exemplo. Cogitemus quempiam laborantem morbo, qui hactenùs omnem Medicorum artem & induſtriam fefellit, proptereaque de ſalute omnino deſperantem. Interim familiares ipſi renuntiant, quemdam Medicum deſperatos quoſque ſanitati reſtituere. Credit æger: ad Medicum confugit: paret ejus præceptis, & convaleſcit. Annon verè dixerit ille, ſe ſanatum per fidem in Medicum? Per quam autem fidem? an per fidem inertem & otioſam? Imò ſi Medici præcepta contempſiſſet, viſus eſſet non habuiſſe in eum fidem. Ergo Fides obtemperans & operans, illum à morbo liberavit

Similiter humanum genus peccato primi parentis vulneratum, nec Moyſes per multiplicia Legis præcepta, nec cæteri Dei Prophetæ curare potuerunt. Prædicatus eſt Salvator mundi, & quotquot in illum credidêre, per fidem ſalvi facti ſunt: per fidem, inquam, quæ per charitatem operatur. Quo autem ſenſu dicatur homo juſti-

ficari ſine operibus Legis, vide in Tractatu de Gratia pag. 434. & ſeq.

Dices 2. Gal. 4. verſ. 4. *Miſit Deus Filium ſuum . . . . . ut eos qui ſub Lege erant redimeret.* Et cap. 5. verſ. 18. *Non eſtis ſub Lege* Rom. 6. verſ. 14. *Non enim eſtis ſub Lege, ſed ſub gratia* 1. Tim. 1. verſ. 9. *Lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis & non ſubditis.* Ergo Chriſtiani non tenentur Legibus.

Nego conſequentiam; nam ex ſancto Auguſtino Tractatu tertio in Joannem; ille duntaxat eſt ſub Lege, cujus in malum propenſi duritia retunditur Lege minitante, quæ tanquam grave pondus cervicibus illius imponitur. Qui autem amore ducitur, & juſtitiam diligit, is in Lege, non ſub Lege Domini eſt, juxta illud Pſalm. 1. *In Lege Domini voluntas ejus.* Verba ſunt S. Doctoris, *qui Legem implet, non eſt ſub Lege, ſed cum Lege, qui autem ſub Lege eſt, non ſublevatur, ſed premitur Lege. Omnes itaque homines ſub Lege conſtitutos reos facit Lex & ad hoc illis ſuper caput eſt, ut oſtendat peccata, non tollat.*

Enimverò in Lege duo ſunt ſpectanda. Primum, eſt ordinatio in bonum. Secundum, vis obligandi ſub peccato & pœna. Primum repugnat voluntati malæ, contemneretque, niſi ſecundum occurreret veluti quidam obex, qui malum opus coërcet. *Sed*, inquit S. Aug. Libro de Spiritu & Littera cap. 4. *ubi ſanctus non adjuvat Spiritus, inſpirans pro concupiſcentia mala concupiſcentiam bonam, hoc eſt charitatem infundens in cordibus noſtris, profectò illa Lex, quamvis bona, auget deſiderium malum, ſicut aquæ impetus vehementior fit obice oppoſito, cujus molem cùm evicerit, majore cumulo præcipitatus violentiùs per prona*

prona provolvitur : neſcio quo enim modo hoc ipſum, quod concupiſcitur, ſit jucundius, dum vetatur. At juſtus, cujus voluntas eſt in Lege Domini, hoc eſt, per gratiam in bonum ordinata, etiamſi Lex vim habeat illum obligandi, non attendit tamen ad illam obligationem, nec diſcernit, an bonum à Spiritu Sancto inſpiratum, ſit ex præcepto, vel ex conſilio amplectendum, ſicut nec eſuriens, an cibus ſit ex præcepto ſumendus. Quid enim concupiſcit juſtus, niſi juſtitiam? *Utinam*, inquit, *dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas! . . . . Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas in omni tempore.* Pſalm. 118. In eo quòd dicit ſe concupiſcere, confitetur ſe infirmum, quemadmodum pullus, qui volare appetit nec dum poteſt. Quis autem dixerit, naturam ei addere pondus, dum plumas tribuit? Revera plumæ in ſe ſpectatæ pondus ſunt (plus enim ponderat avis mortua cum plumis, quàm ſine plumis) ſed vivam leviorem faciunt, ac ſublevant. Ita carnales, utpote peccatis mortui, Lege Chriſti premuntur, juſti verò levantur. Unde ſanctus Auguſtinus in Pſal. 59. ait : *Illa ſarcina peccati pondus habet, Chriſti ſarcina pennas habet. Nam & avi, ſi pennas detrahas quaſi onus tollis, & quò magis onus abſtuliſti, eò magis in terra remanebit, quam exonerare voluiſti, jacet, non volat, quia tuliſti onus; redeat onus, & volat. Talis eſt Chriſti ſarcina, portent illam homines, non ſint pigri, non attendantur illi, qui eam ferre nolunt, ferant illam qui volunt, & invenient quàm ſit levis, quàm ſuavis, quàm jucunda, quàm rapiens in cœlum, & à terra eripiens.*

Dices 3. ſcriptum eſt 2. Cor. 3. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Ergo.

Diſtin-

Diſtinguo antec. Libertas à timore ſervili, & à jugo veteris Legis, Concedo: ab omni præcepto, Nego anteced. Apoſtolus enim Gal. 5. graviter monet, ne libertatem, quam habemus in Chriſto, demus in occaſionem carnis. Et Rom. 6. *Sicut*, inquit, *exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.*

Q. *Quotuplicis generis ſunt præcepta Legis Evangelicæ?*

R. Triplicis, alia ſunt Fidei, ut præceptum credendi myſterium Trinitatis, Incarnationis, &c. alia moralia, ut ea, quæ continentur in Decalogo, quæque Chriſtus ſua auctoritate confirmavit, & explicuit Matth. 5. Alia cæremonialia, quæ ſpectant uſum Sacrificii & Sacramentum.

Dices: Fuerunt præcepta judicialia in veteri Lege, quibus politicè adminiſtrabatur Judæorum ſocietas: ergo ſimiliter in Lege Evangelica ejuſmodi præcepta inſtitui debuerunt.

Nego conſequentiam 1. quia cùm Deus Judæorum Rempublicam priùs ita inſtituiſſet, ut non haberent alium præter ſe Regem, ut conſtat ex Libro 1. Regum cap. 8. verſ 7. Moyſi ſigillatim præſcripſit quidquid pertineret ad regimen civile & politicum. At Chriſtus ſibi temporale regnum non aſſumpſit; ait enim Joan. 10. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Quamobrem Principibus temporalibus liberum reliquit, ſtatuere ea, quæ viderentur aptiora ad publicam tranquillitatem, quæ eſt finis temporalis eorum regiminis, modò tamen ea non pugnarent contra Leges Fidei & morum, quas ſanxit. 2. quia Lex vetus im-

poſita

posita est soli familiæ Jacob, quæ ut unius moris erat, & sat angustis terminis conclusa, eadem spiritali disciplina facilè contineri potuit. Contrà verò Lex Evangelica sese extendit ad omnes nationes, quarum consuetudines, mores & ingenia planè sunt diversa, unde eas quoque diversis institutionibus regi oportuit. Quare Christus pro sua infinita sapientia, non unum Pastorem, sed plures, sub uno tamen supremo, scilicet Romano Pontifice, ut unitas servaretur, fidelibus Christianis præfecit, quorum singuli Provinciam sive Diœcesim sibi commissam spiritaliter administrarent, ordinarentque ad vitam æternam, prout moribus & ingenio indigenarum congruere videretur.

§. III.

Utrùm Lex Evangelica sit aliena à veteri?

R. Non est alia secundùm substantiam; sed differt in accidentalibus, tanquam perfectum ab imperfecto, puer v. gr. à viro.

Ita S. Thomas qu. 7. art. 1. & seq.

Prima pars probatur 1. ex Scriptura, Matth. 5. *Non veni Legem solvere, sed adimplere.*

Probatur 2. ex Traditione. Eusebius Lib. 1. demonstrationis Evangelicæ c. 5. *Ne Testamentum novum aliud esse putemus, quàm antiquissimam illam Mosaicorum temporum* Religione *conjunctam vilem rationem, ut & vetus pariter, & idem novum possimus dicere.* S. August. Epist. 187. aliàs 57. c. 11. num. 34. *Sacramentum porrò regenerationis nostræ,* inquit, *manifestum esse voluit manifestatus Mediator. Erat autem antiquis justis aliquod occultum, cùm tamen & illi eadem fide salvi fierent, quæ fuerat*

ſuo tempore revelanda; non enim audemus Fideles temporis noſtri præferre amicis Dei, per quos nobis ita prophetata ſunt .... habentes autem, *inquit Apoſtolus*, eundem Spiritum Fidei, propter quod ſcriptum eſt: Credidi propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur: *Non diceret*, eundem, *niſi & illorum idem ipſe eſſet Spiritus Fidei. Sicut autem illi, quando idem Sacramentum occultum erat, credebant Chriſti Incarnationem futuram, ſic & nos credimus factam. Et à nobis autem, & ab illis futurus expectatur ad judicium ejus adventus.*

S. Leo Serm. 4 in Nativitate Domini ſic etiam loquitur: *Gratia Dei, qua ſemper eſt univerſitas Sanctorum juſtificata, aucta eſt Chriſto naſcente, non cœpta, & hoc magnum pietatis Sacramentum tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit, ut non minùs adepti ſint, qui in illud credidêre promiſſum, quàm qui ſuſcepêre donatum.*

Probatur 3. ratione; quia illæ Leges non ſunt diverſæ quantùm ad eſſentiam & ſubſtantiam, quæ habent eundem Legislatorem, eundem finem, & eadem præcepta: atqui Lex nova & vetus habent 1. eundem Legislatorem, Hebr. 1. *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* 2. Eundem finem: tum proximum, nempe verum Dei cultum, mentis integritatem, & cordis puritatem: tum remotum, ſcilicet vitam æternam. 3. Eadem præcepta, ſcilicet fidei & charitatis: namque Matth. 22. verſ. 4. *in his duobus mandatis univerſa Lex pendet, & Prophetæ.*

Secunda pars probatur ex Scriptura, Gal. 3. *priùs autem, quàm veniret Fides, ſub Lege cuſtodiebamur concluſi in eam Fidem, quæ revelanda erat. Itaque Lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto.* Et c. 4. *Cùm eſſemus parvu-*

parvuli, ſub elementis mundi eramus ſervientes. Senſus eſt interprete ſancto Thoma qu. 107. art. 1. & aliis, Lex vetus erat veluti rudior diſciplina, puerorum imbecillitati accommodata, qui cùm non alliciantur virtutis honeſtate, neque intelligant nobiles fructus, qui ex illa percipiuntur, urgendi ſunt pœnarum timore, & infantilibus quibuſdam promiſſis; Lex quippe eadem myſteria, quæ nunc explicitè credimus, obſcurè & ſub figurarum velamine commendabat, & carnales Judæos, tum pœnarum temporalium metu, tum terrenæ felicitatis pollicitatione impellebat ad ea, quæ virtutis ſunt. At ubi venit plenitudo temporis, & ſplendidior effulſit lux Evangelicæ prædicationis, *jam non ſumus ſub pædagogo*, ait Apoſtolus Gal. 3 diſpelluntur veteres umbræ, ſpernuntur mundi terricula & promiſſa, unus animorum ardor, rapere regnum cœlorum: unus timor, à tanta ſpe excidere.

Dices: Illæ Leges ſunt planè diverſæ, quæ ſe invicem excludunt: atqui ita ſe habent Lex vetus, & Lex Evangelica, *evacuati eſtis à Chriſto, qui in Lege juſtificamini*, inquit Apoſtolus Gal. 5. *translato enim Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & Legis translatio fiat*, Hebr. 7. Ergo Lex vetus, & Lex Evangelica ſunt planè diverſæ.

Diſtinguo majorem: Si ſe excludant quoad ſubſtantialia, Concedo: quoad accidentalia, Nego majorem.

Diſtinguo ſimiliter min. Lex Evangelica excludit veterem quoad cæremonias, & obſervantias legales, Concedo: quoad præcepta Fidei & morum, Nego min. Enimverò legalia illa præfigurabant, & promittebant, quæ implenda erant

in

in Chriſto: ergo debuerunt deſinere eò ipſo, quò promiſſum fuit adimpletum, quemadmodum, inquit S. Thomas q. 107. art. 2. ad 1. ſoluta pecunia deletur chirographum promiſſorium: ſed ſicut donum virtute continetur in promiſſo & arbor in ſemine; ita ex eodem Angelico Doctore ibid. art. 2. Lex Evangelica continetur in veteri.

Inſtabis: Atqui Lex Evangelica excludit veterem, quoad eſſentialia: Ergo nulla ſolutio.

Probatur ſubſumptum. Eſſentiale eſt Legi veteri præfigurare & promittere Chriſtum, ac Religionis Chriſtianæ myſteria: atqui Lex Evangelica excludit illas figuras & promiſſiones: Ergo.

Nego ſubſumptum, & ejus confirmationis diſtinguo maj. Eſt eſſentiale Legi veteri præfigurare, & promittere Chriſtum, ſi Lex ſpectetur, ut vetus & præcedens adventum Chriſti, Concedo: ſi ſpectetur ſecundùm ſe præciſè, Nego majorem; quemadmodum enim duo in homine ſpectari poſſunt: primum, quòd homo ſit: ſecundum, quòd ſit puer aut adultus: primum ad ejus eſſentiam pertinet, ſecundum ad circumſtantias temporis, quæ ſe invicem excludunt; ætas quippe adulta excludit ætatem puerilem, ſed in utraque manet idem homo ſecundùm eſſentiam & ſubſtantiam; ſimiliter ſunt duæ Legis ætates, alia præcedit adventum Chriſti, alia ſubſequitur: in priori Lex per legalia præfigurat, & promittit Chriſtum futurum: in poſteriori verò prædicat Chriſtum veniſſe. Porrò ejuſmodi circumſtantiæ temporis futuri & præteriti ſeſe expellunt, falſumque nunc eſſet, annuntiare Chriſtum venturum, ac proinde illicitum uſurpare cæremonias Legis veteris, quæ ſunt promiſſiones rei futuræ;

ſed

ſed ipſa Lex ſecundùm ſubſtantiam ſpectata manet eadem: Fides in Chriſtum eſt eadem; idem Deus colitur eadem fide, eadem ſpe, eadem charitate: iiſdem virtutibus, eadem præceptorum moralium obſervatione.

Urgebis: atqui Lex Evangelica ſuſtulit, vel correxit moralia Legis veteris præcepta, utpote vero Dei cultui contraria: Ergo.

Probatur antec. Chriſtus 1. ſuſtulit polygamiam, repudium uxoris, juramentum, uſuras, legem talionis, quæ permittebat appetitum vindictæ: 2. correxit quod dictum fuerat antiquis, non occides, non mœchaberis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, docuitque, omnem hominem etiam infenſiſſimum eſſe proximum noſtrum, inordinatos iræ, concupiſcentiæ, & odii motus eſſe coërcendos, uti legitimo Dei cultui contrarios; Ergo.

Nego ſubſumptum, & ad ejus confirmationem R. 1. Chriſtus non ipſam Legem, ſed falſas Scribarum & Phariſæorum interpretationes ac traditiones circa juramentum & dilectionem proximi ſuſtulit. Illi interpretabantur tradebantque 1. tum ſolùm aſſumi nomen Dei in vanum cùm pejeratur: Chriſtus contra docet, omne juramentum eſſe vanum, niſi fuerit neceſſarium, quemadmodum probamus Tractatu de Religione, ubi de Juramento. 2. Inimicum non eſſe pro proximo habendum; ac proinde à benevolentia noſtra excludendum, quod eſt contra expreſſum Legis decretum, Lev. 19. v. 18. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Et Exodi 23. v. 4. *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum.* Quid verò de uſuris Lex ſtatuerit, expen-

dimus Tractatu de Justitia & Jure, ubi de usura.

R. 2. Quid sentiendum sit de Polygamia & repudio uxoris, quæ apud Judæos erant in usu, an scilicet Deus ea toleraverit duntaxat, an revera permiserit, supra solvimus ubi de dispensatione. Sed sive toleraverit, sive ex utili dispensatione indulserit, satis est ad præsentem difficultatem, si dicatur nonnulla tolerari in pueris, aut etiam permitti, quæ majoribus prohibentur; ex quo sequitur, Legem Evangelicam differre accidentaliter à veteri, sicut perfectum ab imperfecto: Judæis v. g. tanquam pueris præscripta est Lex talionis, *oculum pro oculo*, *dentem pro dente*, quæ est primus justitiæ gradus, & pacis inchoatio, scilicet ut injuriam acceptam vindicta non transeat; vix enim invenitur, qui ira turbatus ob acceptum pugnum, vel auditum verbum convitii, plures pugnos, aut graviora convitia rependere non appetat: immoderatum autem illum animi impetum Lex ita refrænat, ut quod superest inordinatum in appetitu vindictæ non approbet, sed illud Christo, ad quem deducit, eradicandum dimittat. Quare

R. Christus nulla Legis veteris præcepta moralia abrogavit, quin illa auctoritate sua confirmavit, sed sustulit duntaxat, quæ Lex illa vel tolerabat, vel ex prudenti dispensatione indulgebat; ut polygamiam, repudium. Responsio patet ex dictis.

Q. *Utrùm Christus veteri Legi nova præcepta addiderit?*

R. 1. Loco Legalium, quæ abrogavit tanquam umbras futurorum, instituit nova præcepta cæremonia-

monialia; præcepit enim novum offerri Sacrificium, & alia celebrari Sacramenta.

R. 2. Addidit nova fidei præcepta; namque explicita fides myſterii Trinitatis, quæ eſt in præcepto apud Chriſtianos, Judæis præcepta non fuit; cùm illud myſterium in Lege veteri non fuerit niſi implicitè revelatum.

R. 3. Chriſtus nulla præcepta moralia addidit, ſed ea accuratiùs, quàm Moyſes explicuit, confirmavitque. Ita S. Thomas q. 108. art. 2. ad 1. in quo ſic habet: *Ea, quæ ſunt fidei, ſunt ſupra rationem humanam: unde in ea non poſſumus pervenire niſi per gratiam; & ideo, abundantiori gratia ſuperveniente, oportuit credenda explicari. Sed ad opera virtutum dirigimur per rationem naturalem, quæ eſt regula quædam operationis humanæ: & ideo in his non oportuit aliqua præcepta dari ultra moralia Legis præcepta, quæ ſunt de dictamine rationis.*

Dixi 1. Chriſtum accuratiùs, quàm Moyſen, explicuiſſe moralia præcepta. Cùm enim Judæi veluti pueri ſpiritualia non caperent, nec cordis intentiones diſcutere & explorare valerent, Legem naturalem ipſis expoſuit præſertim in ordine ad actus exteriores, ut qui ſenſibus percipiantur. At Chriſtus, ſicut per gratiam ſuam lumen naturale ſordibus peccati obſcuratam priſtino ſplendori reſtituit; ita per cœleſtem ſuam doctrinam plenè ac dilucidè explanavit quidquid recta ratio præſcribit, non ſolùm circa opera exteriora, ſed etiam circa cogitationes mentis, & affectiones cordis.

Dixi 2. Chriſtum præcepta moralia ſua auctoritate confirmâſſe; egit enim Doctorem ſimul & Legislatorem, ut ſupra diximus, & patet ex ſer-

mone, quem habuit in monte, in quo ſic loquitur: *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; dico enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Unde poſt abſolutum ſermonem cap. 7. ſubdit Evang. *erat docens eos, ſicut poteſtatem habens.*

Ergo Lex naturalis per Chriſtum explicata & confirmata, eſt verè Divina & Evangelica. Hinc 1. Joan. 2. v. 7. & 8. dicitur mandatum vetus ſimul & novum, *non mandatum novum ſcribo vobis,* inquit, *ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio ...... Iterum mandatum novum ſcribo vobis, quod verum eſt & in ipſo & in vobis; quia tenebræ tranſierunt, & verum lumen jam lucet.*

Ergo qui poſt promulgatum Evangelium in Legem naturalem peccat, is non ſolvit tantùm jura naturæ, ſed etiam Chriſti & gratiæ ejus, ac proinde majora meretur ſupplicia, juxta illud Apoſtoli Hebr. 10. *irritam quis faciens Legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit .... & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

Ergo Eccleſia non minùs eſt Judex controverſiarum, quæ ſpectant Jus naturale, quàm earum, quæ ad fidem pertinent, ipſiuſque eſt definire, quid Fidei & Legi naturali repugnet, aut conſentaneum ſit: quia utrumque nititur verbo Dei: atqui ad Eccleſiam pertinet explicare verbum Dei, ſtatuere, quis ſit verus illius ſenſus, ut fuſè demonſtravimus in Prolegomenis.

Confirmatur ex Traditione & conſtanti Eccleſiæ praxi; hactenus enim controverſias circa Legem

gem naturalem, putà, an ſimplex fornicatio ſit contra Jus naturale, aut poſitivum duntaxat, an uſura ſit licita, an matrimonium diſſolvatur per adulterium, an ſecundæ & tertiæ nuptiæ ſint prohibitæ, ſuo judicio terminavit.

Dixi, *quæ ſpectant Jus naturale*; quæ enim ſunt Juris poſitivi civilis, cùm verbo Dei non nitantur; ſed ſola voluntate Principis politici, ad eum, vel ad ejus Miniſtros recurrendum eſt, quando in ejuſmodi oritur difficultas & controverſia, ac eorum judicio prorſùs ſtandùm.

Ergo hallucinantur nonnulli Moderni, qui ſolam rationem ſtatuunt Judicem controverſiarum, an hæc aut illa verba Chriſti præceptum vel conſilium duntaxat contineant, adeò, ut in eorum ſententia illud ſolùm in Scripturis habeat vim præcepti, quod mens humana judicat repugnare naturæ rationali, ſi vel fiat, ut mendacium; vel omittatur, ut eleemoſyna in gravi neceſſitate proximi; cætera verò etſi perfectiora, habenda ſint, ut mera conſilia. Sed non advertunt illi, quod omnes experiuntur, inordinatos concupiſcentiæ motus objecta exhibere aliter quàm ſunt, timorem diſplicendi, aut ſtudium placendi, ita pervertere judicium, ut quæ graviſſima ſunt in Lege naturali & Evangelica, v. g. fugere concupiſcentiam carnis, oculorum & ſuperbiam vitæ, quibus Fideles conſtituuntur inimici Dei, Jac. 4. videantur mera conſilia. Quamobrem in iis, ſicut in cæteris, conſulenda eſt Eccleſiæ traditio & interpretanda Scriptura ſecundùm ſanctorum Patrum ſenſum, an ſcilicet præcipiat vel conſulat; alioquin Evangelium Dei facilè evaderet Evange-

lium hominum, ut loquitur ſanctus Hieronymus alibi laudatus.

His ita explicatis, ſupereſt ut ſolvamus, quæ opponuntur contra tertiam noſtram reſponſionem, ex quæ præcedentes concluſiones elicuimus. Itaque,

Dices 1. Chriſtus ea dedit mandata, quæ ſi ſervaverimus, diligemur à Patre, & certò conſequemur vitam æternam: atqui per ſolam obſervationem Legis naturalis non meremur diligi à Patre, nec conſequimur vitam æternam: Ergo Chriſtus addidit Legi naturali nova præcepta moralia.

Minor probatur. Naturalia ſunt ſingula præcepta Legis naturalis: atqui per præcepta naturalia non poſſumus aſſequi finem ſupernaturalem, nempe vitam æternam, quæ nobis promittitur; nulla enim habent cum illa proportionem. Ergo.

Diſtinguo min. Per ſolam obſervationem Legis naturalis, quæ ſit ſine fide & gratia, Concedo: quæ ſit ex fide & ex gratia, Nego minorem.

Diſtinguo ſimiliter confirmationis minorem, per præcepta naturalia non poſſumus aſſequi finem ſupernaturalem, ſi ad ea moveamur lumine & motivo naturali, Concedo: ſi ad ea movemur lumine fidei & inſtinctu Spiritus Sancti, Nego minorem; namque Beati in cœlo fruuntur Deo per amorem, qui pertinet ad Legem naturalem.

Dices 2. Chriſtus in Lege Evangelica plura præcepta moralia ſanxit, quæ non pertinent ad Legem naturalem: ergo præcepta moralia reverà addidit Legi naturali.

Antecedens probatur nonnullis exemplis, 1. Lex naturalis non prohibet omnem iram: dicitur enim

enim Psalmo 4. *irascimini & nolite peccare.* Neque omnem litem; alioquin Judices in Republica non deberent constitui: neque curam & sollicitudinem rei familiaris: neque judicium ferre de iis, qui malè agunt: neque laudem intendere, quæ debetur virtuti: neque sontes punire. Sed Christus illa omnia prohibet; ait enim Matth. 5. v. 22. *qui irascitur fratri suo, reus erit judicio;* v. 40. *& ei qui vult tecum judicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Matth. 6. v. 30. *Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus?* Matth. 7. v. 1. *Nolite judicare, ut non judicemini.* Matth. 6. v. 1. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Luc. 6. v. 37. *Nolite condemnare, & non condemnabimini.* 2. Lex naturalis non præcipit mutuo dare: benedicere maledicentibus nobis: præbere maxillam alteram percutientibus dexteram: omnes nobis præferre & novissimum locum eligere: seipsum & parentes odisse. Christus verò ista omnia præcepit, vultque ut plura faciamus, quàm Ethnici & Publicani, tamen omnibus Legis naturæ præceptis obligantur: Ergo Lex Evangelica plura præcepta moralia præscribit, quàm Lex naturalis.

Nego anteced. Et confirmationis ejus consequentiam, & dico, Christum in allatis exemplis nihil de novo præscribere, sed accuratiùs duntaxat exponere Legem naturalem, quam Pharisæi suis traditionibus, Ethnici & Publicani pravis institutionibus & consuetudinibus corrumpebant, eamque restituere pristinæ suæ integritati, ut expendenti allatos textus patebit.

Ac 1. quidem irasci in fratrem repugnat Legi naturali, ira enim est appetitus vindictæ, seu voluntas lædendi eum, qui prior læsit, eique reddendi malum pro malo; malè autem velle & malè facere Lex naturalis ex æquo prohibet, *læsi vicem referre prohibemur*, inquit Tertullianus Apol.7. *ne de facto pares simus.* Deinde quilibet sive fidelis, sive infidelis, Lege naturali tenetur diligere proximum sicut seipsum: atqui nemo, ut multùm sui amans, sibi ipsi irascitur; furentis enim est ac rabidi, velle discerpere, & dilaniare proprium membrum, si quando molestum sit, & dolorem inurat: quin sensatus teneriùs illud diligit, impensiùs fovet, iram verò totam & odium in ægritudinem convertit, ut illam expellat, dolorem extinguat, & membrum sanum expeditumque possideat.

Similiter recta ratio, secundùm S. Thomam, in inimico etiam infensissimo duo distinguit, scilicet naturam & malitiam; per naturam homo est & proximus noster, membrum nostræ societatis, & quod majus est, membrum corporis Christi, in quo omnes unum sumus: per malitiam inimicus est molestus, ac noxius. Vide nunc quid Lex naturalis præscribat. An non ut irascamur malitiæ, hominis verò tanto morbo laborantis misereamur, juxta illud, *irascimini, & nolite peccare;* hoc est, malitiam compescite monitis, exhortationibus, & si necesse est, persequimini, & perimite mordacibus remediis: hominem verò diligite sicut vosmetipsos, tanquam membrum ejusdem vobiscum corporis, salutaria adhibete remedia, quibus à lethali morbo, quo laborat, liberum reddidisse vobis gratulemini.

Atque

Atque ex hac explicatione facilè intelligitur, ad Legem naturalem pertinere Evangelicum illud præceptum, *ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram;* ordo enim charitatis poſtulat, ut ſalutem temporalem poſthabeamus æternæ proximi ſaluti, ſi in extremo damnationis periculo verſetur, & jam percuſſi à phrenetico, præbeamus nos ad plura perpetienda, ſi neceſſe ſit, ne det ſe præcipitem.

Dico, *ſi neceſſe ſit;* quia, ut notat S. Auguſtinus, Lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 36. præceptum illud, & alia ſimilia, magis ad præparationem cordis, quàm ad oſtenſionem operis accipienda ſunt, ita ut ſemper parati ſimus & dexteram præbere, & pallium dimittere, ubi neceſſitas charitatis exegerit; nam *ipſe Dominus*, inquit S. Doctor, *qui utique præcepta, quæ docuit, primus implevit; percutienti ſe in maxillam miniſtro Sacerdotis non præbuit alteram . . . non tamen ideò paratus corde non fuit, non ſolùm in alteram maxillam cædi pro ſalute omnium, ſed etiam toto corpore crucifigi.* Hanc animi præparationem erga proximum expreſſiùs commendat Joan. 15. *Hoc eſt præceptum meum*, inquit, *ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Non ait, ſicut Scribæ & Phariſæi hactenus interpretati ſunt, nec ſicut homines carnales ſe diligunt; quia malè ſe diligunt à ſummo bono averſi, ſed, *ſicut dilexi vos*, non tam novi mandati formam præſcribens, quàm vetus à natura inditum, & inordinatis affectibus obſcuratum reſtituens.

2. Matth. 7. non omnis cura rei familiaris damnatur, ſed anxia & ſuperflua ſollicitudo, præſertim ea, quæ ex cupiditate & ex fiducia in propriis viribus procedit, cùm ſolus Deus det incremen-

mentum, 1. Cor. 3. & nisi ædificaverit domum, in vanum laborent, qui ædificant eam. Psal 126. Sed Christus non vult, nos omnem curam ita in Deum projicere, ut desides & otiosi remaneamus; ait enim Apostolus 2. Thessal. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.*

3. Christus laudato cap. 7. Matth. non aliud præscribit, quàm Lex naturalis, scilicet neminem temerè, & ex incerta vulgi fama esse judicandum aut condemnandum, nam verbis immediatè sequentibus, ait, *nolite dare sanctum canibus;* hoc est, nolite res sacras impuris & manifestè flagitiosis hominibus communicare; quin illis irrumpentibus strenuè ac fortiter obsistite, judicantes eos gratia indignos.

4. Matth. 5. Lex Evangelica non absolutè vetat provocare Judicem, sed in iis duntaxat casibus, in quibus Lex naturalis, idipsum prohibet. 1. Quando nulla est provocandi necessitas, scilicet cùm rejecta amica compositione, impotenti motu iræ & desiderio vexandi proximum, ad Judicem provocatur veluti ad ministrum & instrumentum suæ iniquitatis. Lites enim non sunt per se expetendæ, nec juramentum; sed adhibendæ ut remedium aliquando necessarium contra injustitiam debitoris, aut iniqui aggressoris, quemadmodum Apostolus provocavit coactus ad tribunal Cæsaris, quamvis Ethnici, Act. 25. 2. Cùm proximus est in ea necessitate constitutus, in qua, vel gratìs vel mutuò dare deberes; Jure quippe naturali tenemur subsidia necessaria conferre proximo indigenti; etiamsi inimicus sit, & dictis, vel factis nos læserit. Quare contra Legem naturalem & Evangelicam peccant, qui, cùm possent, nedum

nedum fratri indigenti commodent, quin commodatum priùs, ob ſimultatem dein exortam, violenter repetunt, proptereaque audire merentur illud Matth. 18. *Serve nequam . . . . nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui?* 3. Lis per accidens iis eſt illicita, quibus exiſtit occaſio proxima ſcandali & ruinæ ſpiritualis, ut accidit pleriſque, qui ex impotentia & animi imbecillitate litigare nequeunt abſque charitatis diſpendio, adeò ut litigare ſit illis idem ac inimicitias gerere, neceſſéque ſit illos à Sacramentis removere, donec non ſolùm controverſia fuerit finita; ſed maximè donec prævaleat charitas ſupra cupiditatem, qua hactenus commoda temporalia Deo prætulerunt, ad quod non ſatis attendunt animarum Medici. Quid enim prodeſt homini quòd reconcilietur proximo, ſi corde permaneat averſus à Deo? Tamdiu autem averſus eſt à Deo, quamdiu in rebus creatis finem ultimum ponit. Porrò in iis ultimum finem ponit, qui paratus eſt eaſdem inimicitias repetere, ſi ipſum ſimiliter vexari contingeret.

Cùm ergo Lege naturali teneamur Deum ſuper omnia diligere, & rebus omnibus, etiam vita privari, potiùs quàm ab ipſo per peccatum ſeparari, Chriſtus in hoc præcepto: *qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, & his ſimilibus: *quicunque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo alia duo. Qui non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem . . . . . adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. 14. non aliud quàm recta ratio à nobis exigit, nempe ut parati ſimus tum omnia dimittere, cùm ea ſine peccato conſervare non poſſumus.

Nec

Nec indignari debent parentes, quòd filii eos odisse jubentur, cùm filii simili odio in seipsos flagrare debeant, *qui non odit Patrem suum & matrem*, inquit, *adhuc autem & animam suam;* est enim perversus amor, quem Lex Evangelica corrigit, & rectum odium, quod ipsa commendat. Oderis sive in te, sive in parentibus concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, & rectum erit odium tuum; quia te & parentes in vitam æternam diliges. Cùm autem diligis iniquitatem, sive in te, sive in parentibus, & sæcularibus desideriis obsecundas, tum perversus & noxius est ille amor; quia avertit à Deo, & sic diligentes in æternum perdet.

5. Honestum quidem est operari, quæ sunt laude digna, ut opera virtutis; sed in operibus virtutis intendere hominum gloriam & laudes, turpe esse docent non solùm Theologi, ut sanctus Thomas 2. 2. quæst. 132. sed etiam Philosophi Gentiles: *Magnanimo*, inquit Aristoteles, 4. Ethic. cap. 3 *cura non est, ut laudetur, magis curat veritatem, quàm opinionem.* Quin ipse Tullius; quamvis inanis gloriæ vitio laborâsse videatur, sic tamen scribit Lib. 1. de Offic. *Cavenda est gloriæ cupiditas.* Denique inanis gloria, quodam naturali veluti instinctu est omnibus exosa.

6. Peccat in Legem naturalem, qui proximum qua in re opus ei fuerit, non adjuvat; cùm possit, sive manum & operam præbendo, sive commodando: & mutuam pecuniam credendo: sive benignè erogando, si ille non habeat unde reddat; hæc est enim Lex, quam nemo ignorare sinitur, *quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.*

7. Be-

7. Benedicere, aut maledicere maledicentibus nobis, idem eſt ex S. Thoma in cap. 5. Matth. ac bona, vel mala optare: atqui Lex naturalis primum jubet, alterum vetat; quia ex dictis debemus eſſe benevoli erga omnes. Multa quidem reperiuntur in veteri & novo Teſtamento, quæ videantur contraria huic præcepto, ut Pſal. 68. *Fiat menſa eorum in laqueum.* Et Luc. 10. *Væ tibi Capharnaum. Sed hæc facilè ſolvuntur*, inquit ſanctus Auguſtinus, Lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 42. *quia, & Propheta per imprecationem quod eſſet futurum cecinit, non optantis voto, ſed ſpiritu prævidentis; ita & Dominus, ita & Apoſtolus.*

8. Ex communi hominum ſenſu & Lege naturaliter indita Chriſtus dixit Luc. 14. *Recumbe in noviſſimo loco.* Et Apoſtolus Philipp. 2. *In humilitate Superiores invicem arbitrantes.* Quotquot enim callent civilem hominum agendi rationem, quàm modeſtè de ſe loquuntur, verbis & factis teſtantur ſe alios ſibi anteponere, iiſque honoris cauſa primum locum deferunt, alioquin inurbani, agreſtes & ridiculi haberentur. Quin ipſimet ſubditi vitio vertunt, quòd Domini plus de ſe quàm de aliis exiſtiment. Verùm quam exteriùs præſeferunt modeſtiam amatores mundi, eam viri probi intùs in corde gerunt, cæteroſque (ſervata dignitate & gradu honoris, quem in Republica obtinent) ſibi ſincerè anteponunt; quia ut ex profeſſo docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 161. art. 3. recta ratio poſtulat, ut imaginem Dei in quolibet homine, etiam ſubdito & inimico, revereamur. Hæc autem reverentia, ſeu obſervantia, non eſt ſine aliqua animi inclinatione ac demiſſione.

Dixi, *ſervata dignitate & gradu*; Cavendum quippe

quippe est Præposito, ut monet sanctus Augustinus in regula num. 10. *Ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimiùm servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* Quare num. 11. subdit idem S. Doctor, *bonore coram vobis prælatus sit vobis, timore coram Deo substratus sit pedibus vestris.*

Ergo Christus nihil circa mores ordinavit, quod non præscribat ratio, quam si infideles ipsi consulere velint, prævia omni opinione seposita, mirabuntur quantum luminis Evangelium attulerit ad perfectam Legis naturalis intelligentiam, cogenturque fateri eum, qui vitam suam ad normam Legis Evangelicæ exegerit, virum fore sapientissimum, & cumulatè perfectum.

§. IV.

Utrùm Lex Evangelica sit veteri gravior?

Priusquam huic quæstioni fiat satis,

Nota 1. Legem Evangelicam ex dictis dupliciter esse spectandam. 1. Secundùm quod in ea præcipuum est, scil. secundùm gratiam & Spiritum quem confert, & à quo dicitur Rom. 8. *Lex Spiritus vitæ.* 2. Juxta quod in ea est secundarium, nempe doctrinam & litteram.

Nota 2. in doctrina & littera præcipi, vel prohiberi non solùm actus exteriores, putà eleemosynam, debiti solutionem, homicidium, &c. sed præcipuè actus interiores, v. gr. dilectionem proximi etiam inimici; iræ, & cujuslibet inordinati affectus compressionem. His prænotatis, ad quæstionem

R. 1. Si ratio præcisè habeatur actuum exteriorum, certum est Legem veterem longè esse gravio-

graviorem Lege Evangelica; de ea quippe ſic loquitur Princeps Apoſtolorum Act. 15. verſ. 10. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Et ratio eſt, *quia*, inquit S. Thomas q. 170 art. 4. *ad plures actus exteriores obligabat Lex vetus in multiplicibus cæremoniis, quàm Lex nova, quæ præter præcepta Legis naturæ pauciſſima ſuperaddidit, ... licèt aliqua ſint poſtmodum ſuperaddita ex inſtitutione ſanctorum Patrum, in quibus etiam Auguſtinus dicit* (nempe Ep. 55. aliàs 119. cap. 19.) *eſſe moderationem attendendam . . . . . dicit enim de quibuſdam, quòd ipſam Religionem noſtram, quam in manifeſtiſſimis, & pauciſſimis celebrationum Sacramentis Dei voluit miſericordia eſſe liberam, ſervilibus premunt oneribus: adeo ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui legalibus Sacramentis, non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur.*

Dices: Præceptum Confeſſionis Sacramentalis, & prohibitio polygamiæ, ac libelli repudii in Lege Evangelica, ſunt onera adeò gravia, ut propterea multi infideles à noſtra Religione deterreantur, quin & Apoſtoli perculſi arctiſſimo matrimonii vinculo per Chriſtum invecto, dixerint, *ſi ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Ergo Lex Evangelica reſpectu exteriorum operum, eſt gravior veteri.

Diſtinguo conſequens; Eſt gravior ſecundùm quid, Tranſeat: eſt abſolutè & ſimpliciter gravior, Nego conſequens; Pondus enim Legis non expenditur ex uno aut altero præcepto, ſed ex tota præceptorum collectione. Porrò ſicut ingens palearum acervus plus habet ponderis, quàm parum ferri, licèt ferrum ex natura ſua ſit palea gravius:

gravius: ita Lex vetus ob sexcenta ferè præcepta, quæ in ea numerantur, simpliciter est gravior Lege Evangelica, quæ paucissima continet præcepta, etsi unum aut alterum ex iis fortè sit ponderosius. Deinde Confessio Sacramentalis pœnitentibus magnæ levationi est, nedum oneri, cùm ex ea solatium, consilium, & remedium capiant, nec sensus pudoris, qui eam comitatur comparandus est dolori, quem inurebat circumcisio. Polygamia verò & libellus repudii erat indulgentia ad tempus infirmis concessa, ut suprà diximus.

R. 2. Doctrina & littera Legis Evangelicæ, quatenus se extendit ad actus interiores & exteriores, longè est gravior Lege veteri. Ita S. Thomas art. 4. mox laudato: *Alia autem*, inquit, *difficultas est circa opera virtutum in interioribus actibus .... & quantùm ad hoc præcepta novæ Legis sunt graviora præceptis veteris Legis; quia in Lege nova prohibentur interiores motus animi, qui expressè in veteri Lege non prohibebantur in omnibus, etsi in aliquibus prohiberentur, in quibus tamen prohibendis pœna non apponebatur. Hoc autem est difficillimum non habenti virtutem.* Enimverò abnegare seipsum, Deum diligere usque ad contemptum sui, uti hoc mundo tanquam non utamur, motus iræ, superbiæ, voluptatis nos continuò lacessentes compescere, quemadmodum littera docet, non solùm difficile est sine Spiritu vivificante, sed etiam impossibile. Unde Apostolus, 2. Cor. 3. scribere non dubitavit, *littera occidit:* quia multitudine præceptorum existit carnalibus occasio peccati, & mortis æternæ.

R. 3. Lex Evangelica si spectetur, ut spectari debet, secundùm quòd in ea est præcipuum & essentiale,

ſentiale, hoc eſt, quatenus eſt Lex Spiritus & gratiæ, non eſt onus premens portantem ſe, quemadmodum Lex vetus; ſed levans, reficiens ac delectans.

Probatur 1. ex Scriptura, Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* 1. Joan. 5. *Mandata ejus gravia non ſunt.*

Probatur 2. ex Patribus. Sanctus Auguſtinus Serm. 64. aliàs 22. de verbis Apoſtoli: *Hæc ſarcina*, inquit, *non eſt pondus onerati, ſed alæ volantis; habent enim & aves pennarum ſuarum ſarcinas, portant illas in terra, portantur ab illis in cœlo.* Et ſanctus Bernardus Ep. 341. ſic ſcribit: *Leve Salvatoris onus, quò creſcit ampliùs, eò portabilius eſt. Nonne & aviculas levat, non onerat pennarum numeroſitas ipſa? Tolle eas, & reliquum corpus fertur ad ima. Sic diſciplina Chriſti, ſic ſuave jugum, ſic onus leve, quod quò magis deponimus, eo deprimimur ipſi; quia portat potiùs, quàm portatur.*

Probatur 3. ratione; Quia Lex Evangelica eſt ipſa bona voluntas, & juſtitiæ dilectio: atqui ſuave eſt & perjucundum, iis incumbere, in quæ propendet animus; pœna verò inde avocari renitente voluntate: *Nullo modo oneroſi ſunt labores amantium*, inquit S. Auguſtinus Lib. de bono viduitatis cap. 21. *ſed etiam ipſi delectant, ſicut venantium, negotiantium, ludo aliquo ſeſe oblectantium; nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut ſi laboratur, labor amatur.* Et capite 69. Lib. de Natura & Gratia expendens illud Joannis: *Mandata ejus gravia non ſunt*, ait, *quomodo enim eſt grave, cùm ſit mandatum dilectionis? aut enim quiſque non diligit, & ideò grave eſt: aut diligit, & grave eſſe non poteſt.*

Dices : Mens illa eſt admodum paucorum, Lex autem Evangelica data eſt omnibus, ſaltem Fidelibus : Ergo Lex Evangelica non eſt reponenda in juſtitiæ dilectione.

Diſtinguo maj. Eſt paucorum comparatè ad carnales, qui ſunt in majori numero, Conc. Eſt paucorum, ſi abſolutè ſpectentur. Nego maj. Sic dicimus pauca eſſe grana cum palea in area permixta, quæ tamen multa ſunt in horreo collecta ; ut advertit ſanctus Auguſtinus.

Diſtinguo etiam minor. Lex Evangelica data eſt omnibus, id eſt, lata pro omnibus, & promulgata ſingulis Fidelibus, Conc. Recepta eſt ab omnibus, Nego min. Scriptum quippe eſt de Spiritu Sancto, per quem charitas diffunditur in cordibus noſtris, *quem mundus non poteſt accipere*, Jo. 14. Nomine autem *mundi*, ſignificat mundi dilectores, concupiſcentiis carnis & oculorum ſervientes, ut docet ſanctus Auguſtinus, tract. 74. in Joann. Porrò : *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*, Rom. 8. Ergo ſicut erant in Lege veteri, qui pertinerent ad Evangelium, ut ſancti Patriarchæ & Prophetæ, qui Deo ſerviebant in novitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ : ita in Lege Evangelica, plures non re, ſed nomine duntaxat Chriſtiani, ut ſuprà dicebat ſanctus Auguſtinus, pertinent ad Legem veterem, utpotè qui non receperint niſi litteram Legis Evangelicæ, quæ eſt ipſis graviſſimum jugum.

Inſtabis, atqui plures ex iis, qui juſtitiam diligunt, graves patiuntur difficultates circa Legis Evangelicæ præcepta : ergo ſub nullo reſpectu Lex Evangelica dici poteſt jugum ſuave & leve.

Diſtinguo anteced. Qui juſtitiam diligunt, ſed nondum

nondum plenè & perfectè, patiuntur graves difficultates ex infirmitate carnis, quemadmodum palato malè affecto cibus delicatior fit pœna, Concedo: Qui justitiam plenè diligunt, patiuntur graves difficultates, quæ oriuntur ex ipsa Divina Lege, quæ est verus animæ cibus & refectio, Nego anteced. Nam ex sancto Bernardo mox laudato, quò amplius crescit jugum Christi, eò portabilius est. Et sanctus Augustinus Deum alloquens, Lib. 10. Confess. cap. 28. ait: *Cùm inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor & labor . . . . nunc autem, quoniam quem tu imples, sublevas eum, quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum.*

Itaque Lex Evangelica est quidem verissima justitiæ dilectio, lex vitæ, vivificans & Spiritum conferens; sed non in una & eadem semper mensura recipitur. Aliis tribuit, ut bonum promptè & delectabiliter operentur: aliis ut, ubi difficultatem sentiunt, fidelissimis & perseverantissimis precibus, ut loquitur sanctus Augustinus, facilitatem à Domino impetrent, juxta illud Zach. 12. *Effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem Spiritum gratiæ & precum, & aspicient ad me, quem confixerunt.* Spiritum precum in Lege Evangelica futurum prædicit, ut si desit illa gratiæ copia, quæ primis Ecclesiæ sæculis abundabat, & etiam nunc in quibusdam exuberat, saltem præsto sit orationis Spiritus, qui adjuvet infirmitatem nostram, ut impleamus, quod jubetur.

Porrò, qui ab infirmitate liberari postulat, ut quod jubetur, impleat, procul dubio præcepta Legis amat; nisi enim multum amaret, gratiam pro iis implendis tam perseveranter non peteret, ut videre est in carnalibus, qui aliud à Deo non

 petunt,

petunt, quàm ut eos incolumes in hac vita conſervet, & inita conſilia ex ſententia ſuccedant, quia hoc unum deſiderant. Jam verò quis non intelligat, eum, qui exauditus optatis potitur, quique contra carnis & mundi illecebras fortiter pugnat, etſi ejuſmodi tentationes non amet, delectari tamen, quòd ab iis vinci non poſſit?

§. V.

Utrùm in Lege Evangelica dentur conſilia?

R. Dantur, ut patet ex variis Scripturæ locis, Iſaiæ 9. Chriſtus prædicitur futurus Conſiliarius, Matth. 19. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus.* Unde Chriſtus neceſſitatem præcepti non imponit, ſed liberæ electioni permittit, quod perfectius eſt, 1. Cor. 7. *De virginibus . . . . præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis;* hoc eſt, ut pro munere Apoſtoli, quod miſericorditer conſecutus ſum, fideliter exponam mentem Dei, & ſaluti omnium optimè conſulam.

Q. 2. *In quo differt conſilium à præcepto?*

Reſpondet S. Thomas quæſt. 108. art. 4. illud eſſe diſcriminis inter præceptum & conſilium, quòd præceptum neceſſitatem imponat, conſilium verò det optionem: *Oportet igitur,* inquit, *quòd præcepta novæ Legis intelligantur eſſe data de his, quæ ſunt neceſſaria ad conſequendum finem æternæ beatitudinis, in quem Lex nova immediatè introducit. Conſilia verò oportet eſſe de illis, per quæ meliùs & expeditiùs poteſt homo conſequi finem prædictum;* Conſilium quippe eſt de meliori bono.

Q. 3.

Q. 3. *Consilia congruuntne potiùs Legi Evangelicæ, quàm veteri?*

Affirmat sanctus Thomas laudato mox articulo, quia Lex Evangelica est lex libertatis, vetus verò lex servitutis; nam ex Philosopho, quem laudat quæst. 108. art. 1. ad 2. liber est, qui sui causa est, id est, qui ex se ipso agit, nec urgetur ab extrinseco: servus verò, qui minis & metu pœnarum ad agendum impellitur: atqui homo in Lege Evangelica amoris pondere, & interiori instinctu gratiæ, ut loquitur sanctus Doctor, fertur ad ea, quæ honesta sunt: in Lege autem veteri agebatur timore pœnæ extrinsecus immisso: ergo Lex Evangelica est lex perfecta libertatis, ut dicitur Jac. 1. vers. 25. vetus verò servitutis, *& in servitutem generans*, Gal. 4. vers. 24.

Ut autem perspicuum fiat, consilium congruere liberis & amicis, præceptum verò servis, duo in præcepto sunt distinguenda. Primum est ordinatio rationis ad bonum. Secundum est vis obligandi sub pœna. In primo conveniunt præceptum & consilium; Consiliarius enim æquè ac præcipiens ad bonum movere intendit, nonnunquam tamen cum aliquo discrimine; dominus quippe in suum potiùs quàm in servorum commodum præcepta dare solet; Consiliarius verò, nisi velit decipere, unicè consulit utilitati alterius.

Sed quoad secundum, nempe vim obligandi sub pœna præceptum & consilium discrepant; namque Consiliarius per consilium suum necessitatem non imponit; sed ita proponit, quod utilius & magis expedit, ut optionem permittat, atque in eo se benevolum & amicum exhibet. At dominus ulteriùs progreditur, potestate sua uti-

tur in ſubditos rerum utilium faſtidioſos, iiſque ſervire per minas eos compellit.

Ex hac explicatione tria manifeſtè ſequuntur.

Primum, conſilia non eſſe onera amanti, ſed auxilia opportuna, quibus ſaluti ſuæ ſecuriùs conſulat, & mandata faciliùs expeditiúsque impleat: *Præceptum in ſubditos fertur*, inquit S. Ambroſius Lib. de Viduis, *conſilium amicis datur. Ubi præceptum eſt, ibi lex eſt: ubi conſilium, ibi gratia.* Dominus cum auctoritate ſervis imperat: pater filiis benevolè conſulit, ait Dominus, ſic volo, ſic jubeo; amicus verò, tibi idem conſilium do, quod mihimetipſi. Amplectamur ergo Dei conſilia non ſolùm, ut genuinos æternæ ſapientiæ fœtus, ſed maximè ut divinæ illius erga nos benevolentiæ ſigna; qui enim illa ſpernit, à Deo diſſentit, & adverſùs ejus beneficia ingratum ſe demonſtrat.

Secundum, conſilia apprimè convenire ſtatui Legis Evangelicæ, minùs verò imperfectioni Legis veteris; cùm illa Spiritum dilectionis infundat, & filios in bono ſapientes pariat; iſta verò ſervos erga virtutem malè affectos, timore contineat. Nam de Sapiente ſcriptum eſt, Prov. 9. v. 9. *Da ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia; doce juſtum, & feſtinabit accipere.* Quaſi quis diceret, da potum ſitienti, & ſumet cum aviditate; quid enim juſtus æquè ſitit ac juſtitiam, ad quam divina conſilia viam ſternunt? Contra verò de ſervo legitur, Prov. 26. v. 19. *Servus verbis non poteſt erudiri; quia quod dicis intelligit & reſpondere contemnit;* hoc eſt, fruſtra documenta & conſilia dantur animo ſervili, ut qui agnitæ veritati, quam faſti-

faſtidit, non acquieſcat; ſed urgendus eſt auctoritate.

Tertium, inordinato affectu eum teneri, qui ſe intra præcepti terminos ita concludit, ut non curet an deceat, an expediat, modò per Legem ſibi licere audiat; is enim voluntatis inclinatione in bonum non propendet, ſed ad illud timore pœnæ cogitur: atqui illud animi faſtidium naſcitur ex terrenorum cupiditate, ſicut ſtomachi nauſea ex noxiorum humorum redundantia, *præoccupatum nempe ſæcularibus deſideriis animum delectatio ſancta declinat*, inquit S. Bernardus Lib. 5. de Aſcenſione.

Q. 4. *Peccatne, qui divinis conſiliis non acquieſcit?*

R. In eo præciſè non peccat; Quia, ex Apoſtolo Rom. 4. v. 15. *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio*, atqui conſilium non eſt lex, nec agendi neceſſitatem imponit, ſed optionem permittit: Ergo.

Dixi: *Præciſè*; Quia qui conſilium prætermittit, ut cupiditatibus ſuis indulgeat, carnis deſideriis ſerviat, procul dubio peccat; tranſgreditur enim Legem, quæ dicit Exodi 20. verſ. 17. *Non concupiſces*: & Eccli. 18. verſ. 30. *poſt concupiſcentias tuas non eas*, quod ſinguli, maximè verò qui in monaſteriis ſanctiorem vitam profeſſi ſunt, obſervare debent; quamvis enim eorum ſtatuta nequidem ſub peccato veniali per ſe obligent, peccant tamen contra Legem naturalem & divinam, aliquando etiam cum diſcrimine ſalutis æternæ, cùm ea contemnunt aut negligunt, ut inordinatis animi affectibus ſerviant. Adde, quòd vix iſta contingant ſine aliorum offenſione, & diſciplinæ regularis imminutione.

Dices: Ergo peccat quiſquis conſilia Legis

 Evan-

Evangelicæ non ſequitur; cùm ſine aliquo inordinato affectu prætermitti nequeant.

Nego ſequelam, & ejus confirmationem, quem enim Chriſtus non admiſit, ut ſequeretur ſe, Marci 5. verſ. 19. Is abſque peccato ad ſuos rediit annuntiaturus, quanta Deus ipſi feciſſet: contra verò excuſandus non videtur, qui Chriſto vocanti non reſpondit, divitiarum amore præpeditus, Matth. 19. Unde ſanctus Thomas qu. 108. art. 4. diſtinguit inter conſilia Legis Evangelicæ: alia quippe ſunt generalia, & ſimpliciter dicta: *Quæ, quantum eſt de ſe, ſunt omnibus expedientia*, ſed non ſingulis: alia ſpecialia & ſecundùm quid, quæ omnibus & ſingulis conveniunt. Generalia vocat profeſſionem perfectæ paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, quibus amputatur, quantùm fieri poteſt, omnis mundi concupiſcentia, ſcilicet divitiarum, & carnis, ac ſuperbiæ vitæ, ut animus omni cura ſolutus, liberè Deo vacet. Sed iſta conſilia ita dantur toti corpori Eccleſiæ, ut ad ſingula ejus membra non dirigantur; nam, ut ait Apoſtolus, ſi totum corpus oculus, ubi auditus? hoc eſt, ſi omnes monaſticam vitam profiteantur, quomodo ſtabit humana ſocietas?

Vera quidem Eccleſia præ Hæreticorum ſectis in hac parte enitet, cùm in ejus corpore nunquam defuerint, ſicut apud Pſeudo-Reformatos, qui perfectionem illam Evangelicam fuerint amplexi: *Sed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic*, inquit Apoſtolus, 1. Corinth. 7. Hoc unum quiſque caveat ſolùm, ne gratiæ Dei deſit; permagni quippe intereſt, Deum interiùs vocantem audire; quia non ſine ſalutis periculo viam quis ingrederetur, in qua Deus ſe ducem

ducem non præberet. Sed præter ejuſmodi conſilia univerſim propoſita, alia quæ vocantur à ſancto Thoma conſilia ſecundùm quid, ſingulis ſpeciatim dantur in Lege Evangelica, nimirum abſtinere nonnunquam à licitis, & ultra præceptum, verbi gratia, miſericordiæ, patientiæ, temperantiæ, progredi, quando expedit: vel ad vincendas tentationes, verbi gratia, iræ, vindictæ, libidinis: vel ad liberiùs vacandum orationi: vel ad exulceratum ánimum proximi demulcendum, & ad ſpargendum bonum Chriſti odorem. Porrò qui ſpernit ejuſmodi conſilia: ut cupiditati & inordinato affectui indulgeat, procul dubio peccat, non præciſè propter conſilium prætermiſſum, quod, ut jam diximus, per ſe non obligat; ſed propter tranſgreſſionem Legis dicentis, *non concupiſces.*

Q. 5. *In quo conſiſtit vitæ Chriſtianæ perfectio, an in obſervatione conſiliorum Evangelicorum potiùs quàm mandatorum?*

R. Conſiſtit in obſervatione mandatorum. Probatur ex Scriptura, Matth. 6. verſ. ultimo, Chriſtus perfectionem ponit in præcepto dilectionis proximi: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* In dilectione autem proximi includitur dilectio Dei, utpotè quæ ſit ratio illius & motivum.

Probatur 2. Ex ſancto Auguſtino, Libro de Natura & Gratia, cap. 70. in quo ſic habet: *Charitas ergo inchoata, inchoata juſtitia eſt; charitas provecta, provecta juſtitia eſt; charitas magna, magna juſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt ...... quæ tunc maxima eſt in hac vita, quando pro illa ipſa contemnitur vita.* Unde concludit ſanctus Doctor, virginem non debere ſe extollere ſupra conjugatam;

quia licèt virginitas sit donum excellentius castitate conjugali; mulier tamen nupta potest esse paratior quàm virgo ad fundendum sanguinem pro Christo, & ita esse perfectior in statu conjugii minùs perfecto.

Probatur 3. ratione duplici. Prima, ultimus finis est ultima cujusque rei perfectio, atqui charitas est finis legis, teste Apostolo, 1. Timoth. 1. Ergo in charitate reponenda est Legis perfectio, ac proinde hominis; scopus enim Legis est perficere subditos. Altera ratio; quia ut habetur in Collationibus Patrum, consilia perfectæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ spectari debent veluti instrumenta, quibus perficitur charitas: *Jejunia*, inquit Abbas Moyses Coll. 1. cap. 7. *vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, cæterasque virtutes debere nos suscipere noverimus, ut scilicet per illas ab universis passionibus noxiis illæsum parare cor nostrum, & conservare possimus, & ad perfectionem charitatis istis gradibus innitendo conscendere ..... Ob hoc enim quis ferramenta cujuslibet artis instituere sibimet, ac præparare festinat, non ut ea possideat vitiosa, nec ut emolumenti illius fructum, qui speratur ex ipsis, in nuda instrumentorum possessione constituat; sed ut eorum ministerio peritiam finemque illius disciplinæ, cujus hæc adjumenta sunt, efficaciter apprehendat.* In eadem sententia sanctus Paulinus vir consularis, & ex opulentissimo pauperrimus propter Christum factus, cùm inde celebris ubique haberetur, sic scribit Epistola secunda ad Sulpitium Severum: *Quæ nobis gratia, si in alieno tantùm Fideles fuerimus, nisi de propriis serviamus, id est, de libero voluntatis arbitrio, ex toto corde nostro diligentes Deum? Quamobrem temporalium bonorum relictio sive distractio, non decursus stadii, sed ingres-*

ingressus; nec ut meta, sed ut janua est. Non enim tum vincit, cùm exuitur Athleta, qui ideò nudatur, ut incipiat dimicare .... Et natator amnem interpositum superaturus exuitur; nec tamen transnatabit, nisi totius corporis nisu torrentis impetum scindat, & laborem natationis exhauriat. Igitur qui in monasterio ad paupertatis & castitatis scopum, scilicet, amorem Dei non contendit, continuò exhauriens sentinam amoris proprii, ex quo crescunt elatio, ira, rixæ, suspiciones malæ, & alii charitati contrarii affectus, eum similem dixeris artifici, qui exquisitissima quæque artis suæ instrumenta comparat, eaque nitida, polita, & rectè ordinata in officina diligenter servat, ita tamen, ut nullum inde opus conficiat.

§ VI.

Utrùm Lex Evangelica sit aliquando mutanda?

Certum est, præcepta moralia nunquam esse mutanda, cùm pertineant ad Legem naturalem, quæ ex dictis est immutabilis. Quæstio itaque esse potest duntaxat de aliis præceptis.

R. Lex Evangelica mutanda non est, nisi in fine sæculi.

Probatur 1. Ex Scriptura, Matth. 24. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* De præceptis fidei & spei speciatim habetur, 1. Corinth. 13. vers. 10. & 11. quòd evacuabuntur, cùm venerit, quod perfectum est, scil. visio intuitiva; interim verò manent fides, spes, & charitas. De præceptis etiam cæremonialibus idipsum constat ex cap. 7. ad Hebr. ubi Christus dicitur habere

ſempiternum Sacerdotium: atqui tamdiu duratura ſunt præcepta cæremonialia Legis Evangelicæ, quamdiu duraturum eſt ejus Sacerdotium, quod eſſentialiter ordinatur ad Sacrificium offerendum, & Sacramenta conficienda: Ergo.

Probatur 2. ratione, quam urget S. Thomas quæſt. 106. art. 4. Quia ſicut Lex vetus ſe habuit ad Legem Evangelicam, ita ſe habet Lex Evangelica ad beatitudinem, & viſionem Dei intuitivam: atqui Lex Evangelica proximè & immediatè debuit ſuccedere Legi veteri, tanquam ejus complementum & perfectio: ergo Legi Evangelicæ immediatè ſuccedet beatitudo, & viſio Dei intuitiva, ac proinde durabit uſque ad conſummationem ſæculi. Minor eſt evidens.

Major probatur; Finis Legis erat Chriſtus, quem venturum prædicebat, cujus paſſionem figurabat in Sacrificiis; cujus immenſa dona & beneficia adumbrabat in Sacramentis & cæteris legalibus cæremoniis: Ergo jam præſente Chriſto, hoc eſt, veritate, & collatis donis, neceſſe fuit, ut umbræ figuræ, & promiſſa evaneſcerent. Atqui ſimiliter Lex Evangelica prædicit, ac promittit, Chriſtum rurſus venturum cum gloria; & Legis ſuæ cultores ſecum aſſumpturum: hac fide, hac ſpe nos interiùs per gratiam, exteriùs per doctrinam, nutrit ac roborat; atque ad tantam felicitatem promerendam & capiendam idoneos reddit, adeo ut, inquit S. Thomas, nihil poſſit eſſe in ſtatu vitæ perfectius, nec ultimo fini propinquius: quàm Lex Evangelica, ac proinde immediatè illi ſuccedet viſio beatifica.

Tracta-



Tractatus
DE
FIDE, SPE, ET CHARITATE.

Tres illæ virtutes vocantur Theologicæ; quia virtus Theologica dicitur ea, quæ Deum habet pro objecto materiali, saltem primario, & divinam ejus perfectionem pro formali: atqui sic se habent tres illæ virtutes; nam Fides respicit Deum ut primam veritatem; Spes ut nostram beatitudinem; Charitas ut summam bonitatem: Ergo. Vide quæ de virtutibus Theologicis in genere, & de earum differentia à moralibus dicta sunt, Tract. de Gratia pag. 394. & seq. in prima editione.

Dixi, *saltem primario;* Quia præter Deum alia secundariò per fidem credimus, ut immortalitatem animæ rationalis, Sacramenta: per spem speramus

ramus gratiæ auxilia: per charitatem diligimus proximum.

Juxta morem in Scholis receptum, distribuimus hunc Tractatum in tres partes, in quarum prima agemus de Fide; in secunda de Spe; in tertia de Charitate.

* *

PRIMA PARS.

De Fide.

Graviora Fidem spectantia jam expendimus tum in Prolegomenis, tum Tract. de Gratia, ubi de Justificatione. Quamobrem hìc nonnulla duntaxat veluti spicas post messem derelictas legemus, ac primò quidem accuratiùs investigabimus naturam & definitionem Fidei. Deinde quæremus, qui sint illius actus, & quæ eorum necessitas. Tertiò dicemus de peccatis Fidei oppositis.

CAPUT PRIMUM.

De Definitione Fidei.

Duplex in Scholis profertur Fidei definitio. Alia petitur ex Apostolo Hebr. 11. quæ, cùm sit à Spiritu Sancto inspirata ac dictata, diligentiùs à nobis est exponenda. Sed quia constat terminis metaphoricis, & obscurioribus: Theologi aliam confecerunt juxta Dialecticorum regulas.

§. I.

§. I.

Exponitur Definitio Fidei ab Apoſtolo tradita.

Q. 1. *Quomodo Fides ab Apoſtolo definitur?*

R. Definitur Hebr. 11. verſ. 1. *Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.*

Q. 2. *Quid hìc* ſubſtantia *ſignificat?*

R. Tria. 1. Significat inchoationem, quo ſenſu principia dicuntur ſcientiæ ſubſtantia; quia virtute continent omnes concluſiones, & ab iis incipit omnis diſciplinæ profectus; atqui ſimiliter, inquit S. Thomas, quæſt. 4. art. 1. *Prima inchoatio rerum ſperandarum in nobis eſt per aſſenſum fidei, quæ virtute continet omnes res ſperandas;* eo enim ipſo, quo firmiter credimus vera, & per Chriſtum acquiſitu poſſibilia, quæ dicuntur de felicitate æterna, diſponimur ad illa ſperanda. 2. Nomine ſubſtantiæ intelligi poteſt fundamentum; quia ſicut ſubſtantia ſuſtentat accidentia; ita fides ſuſtentat ſpem noſtram: *Domus Dei*, inquit S. Auguſtinus Lib. 2. de Trinit. cap. 7. *credendo fundatur, ſperando erigitur, amando perficitur.* 3. Subſtantia hìc Græcè hypoſtaſis, id eſt, ſubſiſtentia; quia Fides tanta certitudine bona ſperanda nobis repræſentat, ac ſi jam ſubſiſterent. Hoc ſenſu Apoſtolus, Hebr. 11. verſ. 27. laudans fidem Moyſis, ait, *inviſibilem tanquam videns ſuſtinuit.*

Q. 3. *Cur Fides ab Apoſtolo vocatur argumentum: cùm ipſa non ſit diſcurſiva?* Fides, *inquit S. Joannes Damaſcenus lib.* 4. *cap.* 12. non eſt inquiſitivus aſſenſus.

Reſpondet S. Thomas laudato art. 4. metaphoricam eſſe hujuſmodi locutionem, in qua ſumitur cauſa pro effectu; nempe argumentatio, quæ

quærit

quærit veritatem, ac tandem parit certitudinem, efficitque,ut intellectus firmiter adhæreat conclusioni demonstratæ: *Unde*, inquit S. Doctor, *ipsa firma adhæsio intellectus ad veritatem Fidei non apparentem, vocatur hìc argumentum. Unde alia littera* (quam sequitur S. Augustinus Lib. 13. de Trin. cap. 1.) *habet, convictio; quia, scilicet, per auctoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad assentiendum iis, quæ non videt;* quasi evidentissima argumentatione, & veluti digito demonstrarentur. Hinc S. Chrysostomus in hunc locum sic exclamat: *Papæ, quale illud est, quod talem facit evidentiam* (nimirum credibilitatis) *qualis est, dum res ipsæ palàm proponuntur?*

Q. 4. *Estne apta & conveniens ejusmodi definitio?*

R. Est aptissima & convenientissima; quia virtus rectè definitur per ordinem ad suum actum; Charitas, v. g. dicitur virtus inclinans ad diligendum Deum super omnia, & proximum sicut seipsum: temperantia quoque definitur virtus refrænans concupiscentias, & modum imponens delectationibus corporeis: atqui in laudata definitione Fides describitur per ordinem ad suum actum proprium, quo scilicet inchoatur vita æterna in nobis, & firmiter assentimur rebus sperandis non apparentibus.

Q. 5. *Cur Apostolus Fidem describit per ordinem ad res sperandas, cùm pertineant ad voluntatem, Fides autem sit virtus intellectus?*

R. Quia Apostolus describit Fidem Christianam: atqui Fides Christiana propriè & strictè sumpta, non est firmus assensus quibuslibet rebus à Deo revelatis, v. g. quòd canis secutus sit Tobiam peregrinantem, & domum reversus blandimento

dimento suæ caudæ lætitiam præsetulerit, Tob. 11. quamvis enim illud & similia fide divina credi debeant, utpotè quæ sint à Deo revelata; Fides tamen illa propriè & strictè loquendo non est Christiana; quia res sic creditæ nec sunt sperandæ, nec diligendæ. Cur autem Apostolus res sperandas potiùs expresserit qnàm res diligendas; hanc rationem affert Angelicus Doctor, quòd amor æquè sit præsentium & visorum, ac futurorum & non apparentium. Beati v. gr. Deum visum & præsentem diligunt, sperare verò non possunt; ac proinde Fides cùm sit non apparentium, debuit explicari per res sperandas, quæ nec præsentes, nec visæ esse possunt; nam ex eodem Apostolo, Rom. 8. vers. 24. *Spes quæ videtur, non est spes; nam quod videt quis, quid sperat?*

Quamvis autem Fides subjectivè sit in intellectu, describi debuit per ordinem ad actus voluntatis, ad quam sperare pertinet; quia eorum est directrix: quemadmodum enim prudentia, licèt sedem habeat in intellectu, definitur tamen per ordinem ad actiones voluntatis: nempe habitus recta cum ratione activus, hoc est, directivus actionum voluntatis juxta rectam rationem, adeò ut nulla sit actio bona & honesta, nisi prudenter fiat. Similiter Fides Christiana residet quidem in intellectu, cùm pro objecto habeat veritatem à Deo revelatam; sed tota est practica non secus ac prudentia. Unde ab Apostolo Fides Christiana describitur, Gal. 5. *Fides quæ per charitatem operatur*; ita ut illius officium sit dirigere actiones voluntatis ad vitam æternam, non quidem secundùm dictamen rectæ rationis; illud enim ad prudentiam pertinet; sed juxta verbum Dei, & regu-

las ab ipſo revelatas. Quare Fides idem præſtat Chriſtianis ad patriam cœleſtem pergentibus, quod columma nubis Judæis ad terram promiſſam tendentibus; ſicut enim columna per diem erat nubes protegens, per noctem verò ignis lucens, & in utraque ſpecie viam demonſtrabat in horrenda ſolitudine, quam pes hominis non calcaverat; ſicque ubi illa ſtetiſſet, Judæi caſtra metabantur; ſtatim autem ut eam recedere adverterent, caſtra movebant; *Per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiſcebantur; erantque in excubiis Domini juxta imperium ejus per manum Moyſi*, Num. 9. Ita veri Chriſtiani per fidem ambulant, quæ pro ipſis nubes eſt reſpectu eorum quæ videntur, ne in iis mentis oculos defigant; & demonſtratio eſt rerum ſperandarum non apparentium, ut ad illas nitantur, juxta illud Apoſtoli, 2. Corinth. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Ergo, qui aliter res intuetur, quàm ad lumen Fidei, illas in fallaci lumine intuetur, & falſò de iis judicat.

Hinc Guillielmus Pariſienſis in encomio Fidei Tract. de Moribus cap. 1. Fidem ſic inducit laudes ſuas proſequentem: *Ego ſum prima vita mentis humanæ, dicente Habacuc:* Juſtus ex fide vivit: *Ego ſum prima, quæ mentem humanam mortifico, & Deo ſubjicio: Ego ſum columna lucis, ex Ægypto erroris eruens intellectum, & protegens contra tela Hæreticorum & Philoſophorum.* Adde, & contra fallacias ſenſuum. Porrò ex his patet quàm convenienter, & quàm divinè fidem definierit Apoſtolus.

§. II.

§. II.

Quomodo Fides definiri possit juxta Dialecticorum Leges?

R. Definitur, virtus Theologica divinitus infusa, qua firmiter assentimur propter divinam veritatem, omnibus quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit.

Priores illæ definitionis voces, *virtus Theologica divinitus infusa*, exprimunt genus proximum, in quo Fides convenit cum spe & charitate; quælibet enim est virtus Theologica divinitus infusa. Adduntur verò reliquæ voces tanquam differentia, qua Fides essentialiter differt à quacunque alia virtute etiam Theologica.

Cùm autem per hanc definitionem satisfieri possit variis quæstionibus, quas Theologi prolixè agitant circa naturam & proprietates Fidei, operæ pretium est singulas definitionis particulas diligentiùs expendere. Itaque,

Dicitur 1. *Virtus;* Quia virtus est habitus, qui facit bonum habentem se, & opus ejus bonum: atqui ejusmodi est Fides; bonum enim est ac honestum credere Deo dicenti, utpotè qui sit summa veritas; & laudabilis est, qui fidem illi præbet.

Dices 1. Veræ virtutes sunt inter se connexæ: atqui Fides manet in peccatoribus sine aliis virtutibus, ut constat ex dictis ubi de Justificatione: ergo Fides non est vera virtus.

Distinguo maj. Sunt connexæ in perfecto gradu, Concedo: In gradu imperfecto, Nego major. Nam potest quis servare justitiam erga pro-

dicitur immutare cor Principum, ut decipiat eos: Ergo Fidei poteſt ſubeſſe falſum.

Nego conſeq. Et ad ſingula ſubſumpti momenta reſpondeo.

Ad primum S. Thomas qu. 1. art. 3. ad tertium, reſpondet, ante prædicationem Evangelii duo diſtinguenda in Judæo: alterum eſt Fides divinis oraculis de Meſſia venturo: & huic Fidei non poterat ſubeſſe falſum. Alterum ſunt conjecturæ humanæ, ex quibus falſò colligebat, divina oracula non cadere in Chriſtum Dominum, aliumque expectandum, brevi tamen venturum, cùm cerneret inſtare tempus à Prophetis præfixum; ſed error ille, non ex Fide divina, ſed ex humana conjectura naſcebatur; *hoc ad fidem credentis pertinebat, poſt nativitatem Chriſti*, inquit Angelicus Doctor, *quòd crederet eum quandoque naſci: ſed illa determinatio temporis, in qua decipiebatur, non erat ex fide, ſed ex conjectura humana.*

Ad ſecundum ſimiliter reſpondendum, quòd Fide divina teneamur credere hoſtiam conſecratam realiter continere Chriſtum, ideoque eſſe adorandam; non verò quòd hæc hoſtia, quæ elevatur à Sacerdote, ſit conſecrata, quia Deus id non revelavit. Unde ſemper adoratur ſub aliqua conditione ſaltem tacita, ac proinde nulla in credente & adorante falſitas.

Ad tertium: tenetur quidem ruſticus credere Paſtori, quem putat vera enuntiare, cùm tamen illud falſum ſit; aliàs nimia inveheretur perturbatio, ſi cuique liceret diſſentire, eo prætextu, quòd Paſtor fallere poſſit; ſicut enim prudentia exigit, ut credamus eum eſſe revera pauperem, qui ſigna paupertatis præſefert, eique opem feramus,

mus, si facultas adsit, qnamvis fortè se pauperem mentiatur; similiter postulat, ut rustici assententiantur Pastori, quem norunt cum aliis communione esse conjunctum. Sed in hypothesi quòd alicubi falsum doceat, Fides illorum in hac parte non erit divina, sed humana duntaxat, quia non nitetur veracitate divina.

Nec dicas, verum esse actum misericordiæ in eo, qui eleemosynam confert ficto pauperi; ergo & in nostra hypothesi verum actum Fidei divinæ; disparitas enim est inter virtutes morales & intellectuales, quòd illæ conformitatem postulent duntaxat cum recta ratione, istæ verò cum objecto. Unde etiamsi falsum sit, hunc mendicum inopia laborare, ut præ se fert, recta ratio dictat ut eum pro facultate juvemus, & opus misericordiæ exercebimus practicè verum; quia erit rectæ rationi consentaneum; speculativè verò falsum; quia erit objecto dissentaneum. At virtus intellectualis ita essentialiter consistit in conformitate cum objecto, ut jam sit error & vitium, si objecto sit difformis; conclusio v. gr. quæ elicitur ex præmissis falsis, scientia non est quantumcunque illæ præmissæ videantur certæ & indubitatæ.

Ad quartum: multa Deus prædicit futura, sed sub conditione, v. gr. si Ninivitæ non resipuerint: conditione autem non posita, effectus non sequitur; quia prædictus aut promissus non est, nisi sub illa conditione. Quis enim falsitatis aut infidelitatis arguet Patremfamilias, qui mercenariis promisit denarium diurnum, si laboraverint in sua vinea, quem tamen serò denegat iis, qui per totam diem otio torpuêre? quòd autem non decipiat, nisi permissivè & occasionaliter, evici-

evicimus, contra Pseudo-Reformatos, Tractat. de Attributis, ubi de reprobatione positiva.

Dices 3. Fides ex S. Thoma q. 4. art. 5. non est vera virtus: Ergo.

Disting. ant. Fides charitate formata, non est virtus, Nego ant. Contrarium enim luculenter probat Angelicus Doctor laudato art. Fides informis, & charitate destituta, ut in peccatoribus, subdistinguo: non est virtus perfecta & simpliciter dicta, Concedo: non est virtus secundùm quid, hoc est, non est virtus intellectus, Nego ant. Namque ex dictis inclinat semper ad verum. Unde si scientia & ars sunt virtutes intellectuales, à fortiori Fides divina, quæ supernaturalis est, quæque disponit ad justificationem; & impetrat ulteriores gratias.

Instabis: atqui Fides non potest esse sine charitate; nam ex S. Thoma citata quæst. art. 3. charitas est forma fidei; atqui res esse nequit sine sua forma, sine anima rationali v. g. non existit homo: Ergo nec sine charitate existit Fides, juxta illud Jacobi 2. *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.*

Nego subsumptum, cujus confirmationis distinguo maj. Charitas est forma fidei extrinseca, & accidentalis, Concedo: intrinseca & essentialis, Nego maj. Namque Fides informis & formata est unus & idem habitus, qui si sit in persona charitate & gratia sanctificante instructa, dicitur Fides formata: si verò in peccatore charitate spoliato, dicitur Fides informis. Unde patet, quòd esse informe, nihil sit aliud hìc, quàm denominatio petita à privatione charitatis; esse verò formatum, denominatio petita à charitate in-

existente, quæ ideo dicitur forma à vita omnium virtutum; quia ordinat earum actus ad ultimum finem, illosque reddit meritorios vitæ æternæ; vivens enim dicitur, qui seipsum movet, & principium internum illius motus, vita. Cùm ergo homo per charitatem seipsum moveat in ultimum finem, meritò Justus dicitur vivere, & charitas, qua ornatur, vita ipsius, peccatorem verò dicimus mortuum, & fidem ejus mortuam, sicut cætera ejus bona opera; quia nec seipsum movet in Deum, à quo aversus est, nec ad eum ita tendunt actus fidei informis, & alia bona opera, ut illum promereantur. Atque hoc sensu metaphorico aquæ quiescentes dicuntur mortuæ, fluentes verò vivæ.

Distinguo similiter minorem, res esse nequit sine sua forma essentiali, ut homo sine anima rationali, Concedo: sine forma extrinseca & accidentali, Nego min. Porrò S. Jacobus non comparat Fidem sine operibus cum homine sine spiritu, adeò ut quemadmodum homo mortuus & sine spiritu, non est homo; ita nec Fides mortua & sine bonis operibus, sit vera Fides: sed comparat eam cum corpore, quod sine spiritu adhuc existit, quamvis mortuum; quia spiritus non est quid corpori intrinsecum, sicut homini.

Dicitur 2. *Theologica;* quia illa virtus est Theologica, quæ habet Deum pro objecto materiali saltem primario, & aliquod ejus attributum pro objecto formali & motivo: atqui Fides habet Deum pro objecto materiali saltem primario; Pater enim, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt res sperandæ tanquam nostra beatitudo: & divinam veritatem pro objecto formali & motivo: ideo quip-

pe

pe credimus Deo dicenti, quia eſt verax, & ipſamet veritas: Ergo.

Dices 1. Fides ex Apoſtolo eſt non apparentium: atqui lumine naturali apparet Deum exiſtere; *inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Rom. 1. Ergo Fides non habet Deum pro objecto materiali, ac proinde non eſt virtus Theologica.

R. 1. Saltem lumine naturali non apparet Deum eſſe Trinum in Perſonis, ſecundam Perſonam eſſe Filium à Patre genitum, & Spiritum Sanctum ab utroque procedere: Ergo ex hac parte ſaltem Fides eſt virtus Theologica. Sed omiſſis variis Philoſophorum opinionibus circa quæſtionem, quæ in eorum Scholis agitatur, utrum ſcientia, fides & opinio poſſint ſimul conſiſtere.

R. 2. Res non apparentes in mente Apoſtoli, eſſe res intuitivè non viſas, etiamſi abſtractivè cognoſcantur. Ille enim ipſe, qui dicit Rom. 1. divinitatem, & ejus attributa per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpici, ea nihilominus inviſibilia vocat. Et Hebr. 11. v. 27. ſcribit Moyſen, qui procul dubio Deum ex creaturis abſtractivè noverat, illum inviſibilem ſuſtinuiſſe tanquam viſibilem, nempe per Fidem; definitque univerſaliter v. 6. *Credere . . oportet accedentem ad Deum; quia eſt*, ſive qui accedit, ſit idiota, ſive ſit Theologus. Et ratio eſt, quia demonſtratio exiſtentiæ Dei ex creaturis non ſemper habetur ad manum, ad eam opus eſt conatu animi, induſtria & labore; difficultatibus identidem obnubilatur, propter quas ad Fidem recurrere neceſſe eſt. Unde S. Thomas q. 2. art. 4. ſic docet: *Neceſſarium eſt homini accipere per modum fidei, non ſolùm ea, quæ*

ſunt ſupra rationem, *ſed etiam ea*, *quæ per rationem cognoſci poſſint. Et hoc propter tria.* 1. *Quidem ut citiùs homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat* . . . 2. *ut cognitio Dei ſit communior* . . . 3. *propter certitudinem. Ratio enim humana in rebus divinis eſt multùm deficiens.* Quare in forma,

Diſtinguo antec. Fides eſt non apparentium, id eſt, eorum, quæ intuitivè non videntur, Concedo: non apparentium per rationis diſcurſum, ſubdiſtinguo: ut plurimùm, Concedo: dicitur enim Eccli. 3. *plurima ſuper ſenſum hominis oſtenſa ſunt tibi:* ſemper, Nego antec. quia credere oportet Deum exiſtere, quod naturale lumen non fugit.

Itaque illud eſt diſcriminis inter rem præſentem intuitivè viſam, & rem abſentem abſtractivè cognitam, quòd res præſens intuitivè viſa, certiùs & perfectiùs cognoſci non poſſit, nec proinde credi. Annon rideret amicus, quem præſentem video, loquentem audio, & cum quo confabulor, ſi diceret, ut crederem ſibi affirmanti ſe eſſe præſentem? Viſio enim intuitiva excludit omnem fidem, & obſcuritatem. S. quidem Thomas Chriſtum præſentem credidit. Joan. 20. ſed aliud vidit, aliud credidit: vidit hominem, non credidit: non vidit Deum, ſed credidit. At rei abſentis abſtractiva cognitio præterquam quod difficiliùs habetur; non eſt æquè certa & conſtans ac lumen fidei, ejus evidentia difficultatibus obſcurari poteſt, nec eas citò vincit, quemadmodum Fides. Eſto, actus ſcientiæ per ſuam evidentiam excludat actum Fidei, quod S. Thomas videtur aſſerere qu. 1. art. 5. & q. 2. art. 4. ad 2. tamen habitus ſcientiæ & fidei poſſunt in eodem ſubjecto

ſubjecto ſimul conſiſtere & actus proprios ſecundùm varias ſubjecti circumſtantias & affectiones elicere.

Dices 2. Fides præter Deum, plura habet objecta; Fide enim credimus Angelos, animam rationalem; ſeptem Sacramenta & cætera gratiæ myſteria: ergo Fides non eſt virtus Theológica.

Diſtinguo antec. Credimus tànquam objecta ſecundaria, propter divinam revelationem, Concedo: tanquam objecta primaria, & independenter à divina revelatione, Nego anteced. & conſeq. Namque ad rationem virtutis Theologicæ, ſatis eſt, quòd objectum ejus primarium ſit Deus, ad quem cætera referuntur; ſic charitas eſt virtus Theologica; licèt pro objecto habeat Deum, & proximum; Deum quidem tanquam primarium objectum; proximum verò tanquam ſecundarium objectum, ſed propter divinam bonitatem diligendum.

Dicitur 3. *divinitus infuſa*; Fides enim eſt donum Dei. Probaturque 1. ex Apoſtolo Philipp. 1. verſ. 29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.* 2. Ex Traditione, quam aſſerit ſanctus Auguſtinus contra errorem Semipelagianorum, qui docebant, initium Fidei eſſe à nobis. Conſule in eam rem Tractatum de Gratia pag. 482. & 483. 3. Ratione Theologica; Fides non eſt ſine cogitatione: atqui ex Apoſtolo 2. Cor. 3. verſ. 5. non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: Ergo nec credere.

Dices: illa virtus non eſt ſupernaturalis, quæ nititur motivo naturali: atqui Fides nititur motivo naturali: Ergo non eſt ſupernaturalis.

Minor

Minor probatur. Ideo abſque erroris formidine aſſentimur Deo dicenti; quia verax eſt: atqui lumine naturali novimus Deum eſſe veracem, omnipotentem, & perfectum in omni genere perfectionis: Ergo.

Nego min. Ad cujus confirmationem nonnulli reſpondent, nobis non eſſe evidens, Deum aliquid dixiſſe aut revelâſſe, ac proinde opus eſſe lumine ſupernaturali, ut credatur.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit; namque primus Seraphinorum adhuc viator, cùm non poſſet illuminari, niſi à Deo, evidenter cognovit ſibi à Deo revelata myſteria, quæ credere tenebatur: nec dubitandum eſt, quin divina revelatio aliquando clarè innotuerit ſanctis Patriarchis, ut Adamo, Abrahamo, quibuſdam Prophetis, ac præſertim Apoſtolis. Quare rejecta illa reſponſione,

Reſpondeo. Quamvis nobis evidens ſit Deum eſſe veracem, ea tamen quæ dixit non ſunt evidentia; unde etiamſi intellectus ex evidenti revelatione neceſſariò judicet credibilia eſſe, quæ dicuntur, non tamen determinatur ad actu credendum, niſi ex imperio voluntatis, *intrare quis in Eccleſiam poteſt nolens*, inquit ſanctus Auguſtinus Tract. 36. in Joan *ſed credere non poteſt niſi volens.* Et ſanctus Bernardus Lib. 5. de Conſider. cap. 6. *Fides eſt voluntaria animæ quædam, & certa prælibatio nondum manifeſtatæ veritatis.* Itaque evidens revelatio ſpectari debet quemadmodum motiva credibilitatis, quæ diximus in Prolegomenis, & in Tractatu de Incarnat. eſſe evidenter credibilia, & efficere res Fidei evidenter credibiles: atqui reſurrectio Lazari v. g. & illuminatio cæci nati licèt evidenter probent, Chriſtum eſſe Filium Dei ab

eo

eo missum; quia sunt indubitati effectus omnipotentiæ, quos Deus utpote summa veritas & bonitas adhibere non potest ad confirmandum mendacium; divinam tamen Christi personam & missionem non exhibent evidentem, sicut principium illud, *totum est majus sua parte*, evidenter demonstrat corpus esse majus brachio. Et ratio est, quia miracula, & alia Dei testimonia sunt quid merè extrinsecum rei credendæ, putà divinæ Christi personæ, nullumque ordinem ad illam habent, nisi ex Dei voluntate; contra verò laudatum principium virtualiter continet conclusionem, quæ ex eo deducitur. Porrò divina revelatio quantumcunque clara & evidens, æquè est extrinseca rebus revelatis, ac motiva credibilitatis. Ergo nullam eis tribuit evidentiam, nec proinde movet ad assensum.

Instabis: tam naturale est credere Deo evidenter loquenti, quàm homini, quem novimus esse veracem. Ergo.

R. 1. Argumentum illud nimis probat; æquè enim concluderetur, amorem Dei, & cæteros actus virtutum moralium esse naturales; quia tam naturale est colere & amare Deum, quàm colere & amare parentes, & viros sapientes; & ita vincerent Pelagiani & alii gratiæ Christi hostes.

R. Itaque 2. Distinguo ant. Tam naturale est credere Deo evidenter loquenti, persuasione humana & motivo naturali, Concedo: persuasione divina, & motivo supernaturali, Nego antec. Sic naturale est matri amare filium motivo naturali, nequaquam autem motivo supernaturali.

Dicitur 5. *qua firmiter assentimur propter divinam veritatem.* Quibus vocibus notatur objectum formale

male Fidei; illud enim eſt objectum formale virtutis, quod eſt motivum & ratio, ſub qua virtus verſatur circa ſuum objectum materiale, objectum formale Ethicæ v. g. eſt dirigibilitas actionum humanarum ad honeſtatem; quia Ethica verſatur circa actiones humanas, quatenus dirigibiles ad honeſtatem: atqui Fides verſatur circa ſuum objectum materiale, Deum nempe, & ea omnia, quæ nobis revelavit, quatenus ſunt ab ipſo revelata, eaque credit propter ſummam ejus veritatem: Ergo.

Hìc in Schola movetur quæſtio magìs ſubtilis quàm utilis, utrùm ipſa revelatio ingrediatur rationem objecti formalis, & cum divina veritate moveat ad aſſenſum; an verò ſit duntaxat conditio, ſine qua veritas divina non moveret, quemadmodum applicatio ignis ad lignum non eſt cauſa inflammationis, ſed conditio, ſine qua ignis non combureret lignum. Alii primum affirmant; quia verbum Dei eſt motivum, & ratio, propter quam credimus; quærenti enim cur credamus myſterium Trinitatis, una eſt reſponſio; quia Deus dixit: atqui in hac reſponſione includitur verbum Dei, ſeu revelatio ſimul cum veritate divina: ergo.

Alii contrà contendunt, & ut videtur probabilius, revelationem eſſe conditionem duntaxat, ſine qua non crederemus; ſic enim Chriſto docenti credimus, quomodo diſcipuli Magiſtro: atqui verba Magiſtri non ſunt cauſa aſſentiendi concluſioni propoſitæ & explicatæ, ſed ſolæ præmiſſæ, ex quibus concluſio eruitur: ergo. Sed iſta ſunt levioris momenti, quàm ut diutiùs eis immoremur, ſatiſ-

ſatiſque nobis eſt noſſe, quod apud omnes conſtet, aliud non eſſe formale fidei objectum, quàm primam veritatem nobis revelatam.

Dicitur 5. *omnibus quæ Deus revelavit;* quibus vocibus denotatur adæquatum fidei materiale objectum; illud quippe eſt objectum adæquatum virtutis; circa quod virtus ita verſatur, ut ad aliud ſe non extendat: atqui Fides ita verſatur circa res omnes à Deo revelatas, ut ſe non extendat ad alia, quantumcunque vera: Ergo objectum materiale fidei totale & adæquatum, quod communitatis vocant, ſunt res omnes à Deo revelatæ: formale verò ſumma Dei veritas revelans.

Eſt autem aliquis ordo inter res revelatas, ut docet S. Thomas qu. 1. artic. 1. quæ enim ſperandæ ſunt, nempe Deus & ejus poſſeſſio, primariò ſpectantur à fide, cæteræ verò ſecundariò & quatenus ordinantur ad beatitudinem quam ſperamus, ut Incarnatio, ſeptem Sacramenta, &c. Ergo Deus eſt primarium & attributionis fidei objectum, cæteræ verò res revelatæ ſecundarium: *nihil cadit ſub fide*, inquit Angelicus Doctor, *niſi in ordine ad Deum: ſicut etiam objectum medicinæ eſt ſanitas, quia nihil medicina conſiderat, niſi in ordine ad ſanitatem.*

Dicitur 6. *& nobis per Eccleſiam credenda propoſuit;* quæ voces amplam præbent diſſerendi materiam.

Ac primò quidem iis innuitur, ad fidem non ſemper requiri, ut Deus per ſe cuilibet immediatè revelet, quemadmodum contendunt Pſeudo-Reformati, quorum errorem longè abſurdiſſimum (docentium neminem teneri credere voci Paſtoris, niſi Spiritus Sanctus ipſi intus revelet vera

eſſe

esse quæ audit) fusè confutavimus in Prolegomenis pag. 95. & sequentibus.

Dixi, *ad fidem non semper requiri*, &c. ut innuerem immediatam revelationem aliquando esse necessariam; ut in primo Angelo, à quo inferiores credenda didicerunt; in Moyse, qui Legem Israëlitas docuit, & in Apostolis, per quos Evangelium in universo orbe disseminatum est.

Cùm igitur Religione jam stabilita, Deus per seipsum credenda singulis immediatè non revelet, sequitur, nos ad Fidem concipiendam aliquo medio debere certiores fieri, rem fuisse à Deo revelatam, ac proinde in hoc statu præter revelationem, requiri fidei propositionem.

Est autem duplex fidei propositio, alia privata, quæ solet fieri à parentibus in familia, à ludimagistro in Schola, à Parocho in Parochia, ab Episcopo in Diœcesi: alia publica, quæ fit à communi fidei Magistro, & supremo controversiarum Judice.

Ambæ illæ propositiones in quibusdam conveniunt, & in aliis discrepant. In eo conveniunt, quòd utraque debeat ita auditoribus apparere credibilis, ut judicent oppositum esse incredibile & falsum, putà contrariam Pseudo-Reformatorum doctrinam. Alioquin si existimarent se habere fundamentum dubitandi, non possent firmum dare assensum: vel si doctrina Calvinistarum credibilis videretur; liceret ipsis elicere actum fidei contrarium, quod repugnat. Et hæc dicta sint propter nonnullos, qui Ecclesiæ Romanæ ita adhærent, quia in ea potest haberi salus etiam securiùs, ut doctrinam Pseudo-Reformatorum nolint condemnare. Hæc autem condemnatio

mnatio debet esse explicita in iis, qui ab hæresi redeunt; in Fidelibus verò sufficit implicita.

Discrepant autem duæ illæ propositiones, 1. privata propositio quantumcunque videatur credibilis, absolutè tamen potest esse falsa, cùm fiat à privata persona, quæ falli potest & fallere; publica verò propositio est infallibilis auctoritatis. 2. Illa non habet, saltem universaliter, vim cogendi contumaces, sicut ista.

Hìc nascitur gravis controversia, ad quem pertineat publica propositio. Pseudo-Reformati docent pertinere ad Scripturam sacram, in qua, inquiunt, clarè continentur quæcumque Deus revelavit; Magister enim per scripta, quæ dictat discipulis, proponit quidquid vult, ut ab ipso discant: atqui unus est Magister noster Christus: ergo Christus per Scripturam sacram, quæ est verbum ipsius, nobis proponit quidquid vult credi à nobis.

Contra 1. Deus plura revelavit à nobis credenda, quæ non sunt scripta, ut docuimus in Prolegomenis, ubi de Traditione. 2. Scriptura ex magna sui parte obscura est, & explicatione indiget: ubi autem clara fuit, falsis Hæreticorum interpretationibus detorquetur. Quare sicut in Politicis opus est Judice, qui genuinum legis sensum contra protervos vindicet; ita & in Religione Christiana necesse est, ut quis cum auctoritate Scripturam sacram certò interpretetur, asseratque contra Hæreticos & peccatores verbum Dei adulterantes, & errori suo ac cupiditati accommodantes; *neque enim natæ sunt hæreses*, inquit S. Augustinus Tract. 10. in Joannem, *nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in*

eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur. 3. Nobis non constat Scripturam esse verbum Dei, nisi aliqua infallibilis auctoritas ipsi testimonium reddat; quot enim Libros sacros Hæretici expunxerunt è Canone, & alios spurios obtruderunt? Annon Manichæi integrum vetus Testamentum, & plures partes novi Testamenti rejecêre? Quid Lutherani & Calvinistæ etiam nunc inter se dissentiunt circa Epistolam S. Jacobi? Lutherus stramineam illam vocat, Calvinus verò illam veneratur uti verbum Dei. Denique qua via Christiani Ethnicis, qui fabulas suas, & Mahumetanis, qui Alcoranum anteponunt Libris sacris, suadebunt illos Libros esse verè Divinos, nisi ex Testimonio indubitatæ auctoritatis? ubi autem illa auctoritas, nisi in Ecclesia?

2. Itaque in definitione Fidei ultimò adduntur hæ voces, *quæ Deus nobis per Ecclesiam credenda proposuit*, ut significetur revelationem divinam nobis non innotescere, nisi per propositionem Ecclesiæ, juxta tritum illud sancti Augustini effatum Lib. contra Epistolam Fundamenti cap. 4. *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.*

Sed meritò quæritur, quibus signis evidens fiat sive infidelibus, sive fidelibus tam insigne donum collatum esse Ecclesiæ, ut nec falli, nec fallere possit, auctoritatemque habeat compellendi contumaces ad parendum suis definitionibus? quod enim Catholici docent de Ecclesia, idipsum dicere potest quivis infidelis de sua secta. Mahumetanus v. g. dicet se ideo credere Alcorano, quia societas, in qua natus est, Librum illum uti sacrum & divinum proponit. Unde plurimi

refert

refert ut Christianus certis & indubitatis argumentis demonstret Ecclesiæ Christianæ eas dotes competere, quas nulla alia secta probabiliter sibi tribuere possit.

R. Vera Christi Ecclesia per motiva, quæ credibilitatis vocant, putà per prophetias & miracula, evidenter demonstrat se esse à Deo institutam ac planè divinam, proindeque veracem, & infallibilis auctoritatis. Illa enim societas non nisi vera docet, cujus doctrinæ Deus evidens testimonium perhibet: atqui Deus per motiva credibilitatis evidens testimonium perhibet Ecclesiæ: Ergo. Consule quæ in hanc rem latè prosecuti sumus Tract. de Incarnat. à pag. 51. ad 75.

Nec dicas, motiva illa militare potiùs pro Scripturis sacris quàm pro Ecclesia; namque Ecclesia coruscabat miraculis, & doctrinæ ejus credebatur in mundo, priusquam scripsissent Apostoli. Quin S. Irenæus testatur sua ætate, nempe tertio ineunte sæculo, quasdam nationes ad illud usque tempus Fidem servasse sine Scripturis; ac proinde miracula, & alia credibilitatis motiva litteris Apostolorum non favent: nisi mediante Ecclesia, hoc est, quatenus Ecclesia jam in culmine auctoritatis posita, ut loquitur S. Augustinus, proponit Libros sacros uti continentes eam ipsam doctrinam, quam ubique sparserat, priusquam adornarentur.

Dixi, *litteris Apostolorum*; certum est enim oracula Prophetarum evincere Libros illorum esse Divinos.

Ergo Ecclesia sine scripto docebat, & credebatur propter motiva credibilitatis, se esse columnam & firmamentum veritatis, se accepisse

claves regni cœlorum, ut quæcunque solveret, aut ligaret super terram, rata haberentur in cœlis; qui illam audiret, Christum audire, & qui sperneret, Christum quoque spernere, atque adeo habendum ut Ethnicum & Publicanum.

Ergo Ecclesia testimonium antecedenter non accipit à Scripturis, sed consequenter duntaxat & ex hypothesi, quòd admittantur ab iis, quos docet, respectu quorum utitur argumento ad hominem, ut vocant: nempe ex concessis Scriptura sacra est verbum Dei, atqui Scriptura sacra tribuit Ecclesiæ infallibilem auctoritatem, visibiles notas præbet, quibus certò secernitur vera Christi Ecclesia à sectis Hæreticorum & Schismaticorum, quæ se falsò Christianas vocant. Sed si quis Fidem denegaverit Scripturis sacris, nihilominus Ecclesia auctoritatem suam, & cætera insignia tuebitur ex motivis credibilitatis; & ex constanti Traditione demonstrabit nihil quidquam nunc se docere, quod non docuerint, & miraculis confirmaverint Apostoli, & primi ejus Pastores: ac proinde non est vitiosus circulus, quo Scriptura probatur per Ecclesiam, & Ecclesia per Scripturam, ut demonstravimus in Prolegomenis pag. 175. Porrò quæ hìc summatim colligimus, pluribus Capitibus, & distinctis Paragraphis probata sunt in iisdem Prolegomenis, ad quæ Lectorem remittimus.

Dices: mens necessariò assentitur propositioni evidenter veræ: atqui plures Judæi, ac Gentiles non assentiebantur signis & virtutibus, quæ per Apostolos & eorum Successores videbant fieri, ergo signa illa non erant evidenter vera, nec sufficienter reddebant credibilia, quæ docebantur.

Distin-

Distinguo majorem, Mens necessariò assentitur propositioni evidenter veræ, si attendat, ut par est & eam percipiat, Concedo: si negligat, & ex pravo voluntatis affectu aliò avocetur, Nego majorem; qui enim præmissas demonstrationis non perpendit, nec ponderat, facilè negat consequentiam, quæ ex iis evidenter elicitur. Porrò Judæi & Gentiles increduli, illi nimis addicti legalibus, isti suis superstitionibus, satis non attendebant ad ea, quæ fiebant & dicebantur ab Apostolis.

Instabis: atqui Scribæ & Pontifices Judæorum prævio diligenti examine comprobarunt, cæcum à nativitate, fuisse à Christo illuminatum, Joannis. 9. adeo persuasi fuerunt, veram fuisse Lazari resurrectionem, & minimè fictitiam, ut cogitaverint ipsum interficere, Joan. 12. & de claudo, quem sanaverat S. Petrus, Act. 4. sic pronuntiarunt: *notum signum factum est per eos . . . manifestum est, & non possumus negare*, neque propterea crediderunt: Ergo.

Distinguo anteced. Non crediderunt, & in eo peccarunt contra prudentiam & rectam rationem, Concedo: non crediderunt defectu motivi sufficienter demonstrantis, doctrinam Christi esse omninò credibilem, Nego antecedens. Ex hoc enim argumento solùm concludi potest, satis non esse ad credendum, quòd objectum evidenter credibile proponatur; sed insuper requiri, ut voluntas piè afficiatur ad credibilia, determinetque intellectum ad assensum; nam ex dictis, nemo credit nisi volens, actus Fidei est Liber, & minimè necessarius: Atqui sola gratia voluntatem disponit, frangit ejus duritiem, & aperit corda au-

dientium, ut intendant iis, quæ extrinſecus proponuntur juxta illud Act. 16. verſ. 14. cujus (Lydiæ) *Dominus aperuit cor intendere iis, quæ dicebantur à Paulo.* Et cap. 13. verſ. 18. *crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*

Q. 2. *Eſtne neceſſe, fieri Eccleſiæ novam revelationem, ut dogmata Fidei definiat, infallibiliterque proponat uti veritates à Deo revelatas?*

R. Minimè; quia Chriſtus omnia, quæ ad Religionem Chriſtianam pertinent, Apoſtolis immediatè revelavit, Joannis 15. verſ. 15. *Omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Cap. 16. verſ. 13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et cap. 14. verſ. 26. *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Act. 15. Apoſtoli congregati ad finiendam controverſiam circa legalia natam, non novam revelationem à Deo expectant, ſed ex Scripturis, & ex iis, quæ contigerant, ex quo Evangelium fuerat promulgatum, judicium ferunt, *conveneruntque Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc. Cùm autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus, dixit*, &c. Quibus notatur ſtudium & diligentia Apoſtolorum ad explicandum, quod jam revelatum fuerat: & hunc morem hactenus Eccleſia obſervavit in Conciliis Generalibus, in quibus Patres Scripturam & Traditionem conſulunt, priuſquam aliquid ſtatuant circa motas controverſias.

Q. 3. *Quomodo ergo Eccleſia infallibiliter proponit, cùm nova ei non fiat revelatio?*

R. Auxilio Spiritus Sancti, quem Chriſtus promiſit nunquam ei defuturum, Matth. 28. verſ. ultimo: *Ecce, ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad*

ad consummationem sæculi. Quæ verba non solùm Apostolos, sed & eorum successores evidenter spectant; cùm Apostoli non essent victuri usque ad consummationem sæculi, nisi in suis successoribus. Plura vide in Prolegomenis cap. 9. §. 1. de infallibilitate Ecclesiæ.

§. III.

Consectaria quædam colliguntur ex definitione Fidei.

Ex definitione Fidei superioribus Paragraphis elucidata, plura veluti necessariæ conclusiones deducuntur.

1. Quòd Fides sit una specie, juxta illud Ephes. 2. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Quia omnis habitus vel actus speciem desumit ab objecto formali, adeo, ut, si unicum habeat objectum formale, sit unus specie habitus vel actus; charitas v. gr. sive tendat in Deum, sive in proximum, una est specie virtus; quia unicum ejus objectum formale est bonitas divina: atqui Fides unicum habet objectum formale, scilicet primam veritatem: Fides sive sit informis, sive formata, viva, aut mortua; implicita, specie & essentialiter una est, aliquando quidem imperfecta, aliquando verò perfecta; quemadmodum homo idem est essentialiter, sive sit puer, sive adolescens, sive juvenis.

2. Fides Theologica non reperitur in Hæreticis, neque in Beatis, neque in damnatis.

Non in Hæreticis, quamvis plura mysteria credere videantur; quia carent motivo formali Fidei, quod est prima veritas per Ecclesiam credenda proponens. Unde sicut cognitio eclypsis

Lunæ non eſt ſcientia in ruſticò, quia ignorat cauſam hujuſce effectus: ita Fides, qua Hæreticus credit v. gr. myſteria Trinitatis & Incarnationis, non eſt Fides Theologica & ſupernaturalis; quia ad credenda illa myſteria non movetur veritate divina, ſed perſuaſione humana: Sic qui vel unum hominem non diligit, neque Deum, neque alios homines charitate diligit, ſed dilectione merè humana, juxta illud 1. Joan. 4. verſ. 20. *Si quis dixerit, quoniam diligit Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.*

Non in Beatis: tum, quia viſio Dei intuitiva omnem excludit obſcuritatem: tum quia Fides eſt rerum ſperandarum, atqui Beatis nulla eſt res ſperanda, cùm poſſideant, quod in via ſperaverant. Et hæc ratio efficaciter concludit pro damnatis, etiam iis, qui fidem ad extremum vitæ ſervarunt; quia illis omnibus nulla ſupereſt ſpes, ſed mera deſperatio.

In animabus verò, quæ inpurgatorio detinentur, Fides agnoſcenda eſt, utpote quæ adhuc beatitudinem ſperent, & eam obſcurè cognoſcant.

Dices 1. Idem judicium ferri debet de Hæreticis, qui unum aut alterum duntaxat Fidei articulum non credunt, ac de Theologo, qui, cùm in aliqua parte erret, in cæteris tamen rectè ſentit; & de quolibet fideli, qui ſemel aut bis peccavit contra aliquam virtutem, putà ſobrietatem: atqui nec Theologus, nec fidelis amittunt habitum, quo inſtructi erant ille Theologiæ, iſte ſobrietatis: Ergo nec Hæreticus habitum Fidei Theologicæ reſpectu eorum, quibus aſſentitur.

Nego maj. Diſparitas eſt 1. quoad Theologiam, quia in Theologia diverſa ſunt media, quibus

bus applicantur propoſitiones Fidei ſingulis ejus concluſionibus: ſæpiùs autem contingit, tyronem Theologum defectu medii, non videre connexionem quarundam concluſionum, cum principiis Fidei, & ideo eas negare, cùm tamen aliis firmiter adhæreat; quia ſuppetunt ei rationes, per quas certò eas deducit ex propoſitionibus. At in materia Fidei auctoritas Eccleſiæ eſt unicum, quo nobis conſtare poſſit, aliquid eſſe à Deo revelatum, ac proinde Hæreticus, qui exiſtimat, Eccleſiam falli circa Fidei articulum, quem non vult credere, nullum habet medium infallibile ad aſſentiendum aliis articulis, & ita eos credit ex proprio judicio & naturali perſuaſione, nullatenus verò ex fide Theologica.

Quoad verò morales virtutes: vel ſunt infuſæ & ſupernaturales: vel ſunt acquiſitæ & naturales. Si primum, pereunt per quemlibet actum lethaliter malum; quia actus ille, utpote actualis averſio à Deo, deſtruit unionem cum Deo, ſcilicet gratiam ſanctificantem, ſeu charitatem, in qua omnes virtutes morales infuſæ radicantur. Si ſecundum, diſtinguendum eſt cum S. Thoma qu. 5. art. 3. ad tertium, duplex motivum in virtutibus moralibus acquiſitis: aliud eſt generale, & omnibus virtutibus commune, nempe obedire Deo præcipienti, à qua generali obedientia qui per contemptum recedit, omnem veram virtutem amittit; quia virtus nec eſſe, nec concipi poteſt ſine communi & tranſcendentali illa obedientia: aliud verò eſt motivum proximum, cuilibet virtuti acquiſitæ proprium, ſcilicet ſpecialis honeſtas, quæ in quolibet actu virtutis refulget: ejuſmodi autem honeſtas, cùm ſit intrinſeca

 actui

actui, tam multiplex est, quàm ipse actus, ac proinde fieri potest, ut quis hanc sobrietatis honestatem non intendat, absque eo quòd censeatur abjicere omnem sobrietatem, quemadmodum si quis oderit vel unum hominem, charitatem prorsus amittit, quia recedit à bonitate divina quæ est unicum charitatis motivum extrinsecum singulis charitatis actibus, nec proinde in illis dividitur, sicut honestas moralis in actibus virtutum moralium.

Dices 2. Beati credunt futuram corporum resurrectionem, & nonnulla identidem Deus ipsis revelat: ergo in Beatis est Fides Theologica.

Nego consequentiam; Quia sublato primario objecto virtutis, tollitur ipsa virtus: atqui res sperandæ sunt primarium objectum Fidei Theologicæ. Ergo. Beati itaque, cùm intuitivè videant primam veritatem, necessariò & absque speciali virtute assentiuntur iis, quæ ipsis evidenter revelat.

3. Fides à tempore Apostolorum non crevit quoad substantiam; quia Fides non post crescere quoad substantiam, nisi fiat Ecclesiæ nova revelatio; cùm motivum Fidei sit divina revelatio: atqui ex dictis §. præcedenti, à tempore Apostolorum non fit Ecclesiæ nova revelatio: Ergo.

Dixi 1. *à tempore Apostolorum*; namque certum est, ab Adamo usque ad Christi tempus, quod dicitur Gal. 4. plenitudo temporis, quia Fidei mysteria tum pleniùs fuerunt revelata; Deum plura revelasse, novos identidem exaratos fuisse Libros, quos fide divina credimus esse sacros. Cùm autem Apostoli post ascensionem Christi plura scripserint afflatu Spiritus Sancti, vel hoc uno argumento

mento adducitur ad credendum, ipſos revelationem accepiſſe, non ſolùm ex ore Chriſti Domini, ſed etiam interiori inſpiratione Spiritus Sancti, juxta illud Joan. 16. verſ. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Quin S. Thomas qu. 1. art. 7. vult, aliquo ſenſu dici poſſe articulos Fidei à tempore Adami non creviſſe quoad ſubſtantiam, quatenus nempe omnia, quæ ſucceſſu temporis revelata ſunt, implicitè continebantur in iis, quæ credidit Adamus, quemadmodum omnes concluſiones continentur in primis principiis.

Ad prima autem Fidei principia pertinet, quòd credatur, Deum exiſtere; & providere hominum ſaluti, ut habetur Hebr. 11. *Credere . . . oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Quem textum expendens Angelicus Doctor, ſic ſcribit: *In eſſe divino includuntur omnia, quæ credimus in Deo æternaliter exiſtere, in quibus noſtra beatitudo conſiſtit. In fide autem providentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter à Deo diſpenſantur ad hominum ſalutem, quæ ſunt via in beatitudinem.*

Dixi 2. *Quoad ſubſtantiam*; certum enim eſt, Eccleſiam, ea, quæ Apoſtolis fuerunt obſcuriùs tradita, in dies magis explicare, & contra naſcentes hæreſes clariùs proponere, ſic definiit tum eſſe Baptiſmum ab Hæreticis collatum, cùm Sanctus Cyprianus, & plures alii de eo ambigerent. Sic in variis Conciliis accuratiùs & diſtinctiùs expoſuit quæ revelata ſunt, atque adeo credenda circa myſteria Trinitatis, Incarnationis & Gratiæ. Ad quæ reſpiciens Vincentius Lirinenſis commonitorio 1. cap. 27. ſcribit: *Quod eſt*, depoſitum cuſtodi, 1. Tim. 6. *id eſt, quod tibi creditum eſt non*

quod

quod à te inventum quod accepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenii ſed doctrinæ: non uſurpationis privatæ, ſed publicæ Traditionis, rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non auctor debes eſſe, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator: non ducens, ſed ſequens. Depoſitum, *inquit*, cuſtodi, *Catholicæ Fidei talentum inviolatum, illibatum conſerva. Quod tibi creditum eſt, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepiſti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia ſubjicias, nolo pro auro impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta ſupponas, nolo auri ſpeciem, ſed naturam planè . . . doctrina eſto ſpiritalis tabernaculi Beſeleel, pretioſas divini dogmatis gemmas exſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adjice ſplendorum, gratiam, venuſtatem. Intelligatur te exponente, illuſtriùs, quod antea obſcuriùs credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur, eadem tamen quæ didiciſti, doce, ut cùm dicas novè, non dicas nova.* Cap. 3. in exemplum ſemen adducit, quod idem manens germinat, creſcit, folia explicat, eademque in meſſem matureſcit; unde ſic concludit: *quodcunque igitur in hac Eccleſiæ Dei agricultura fide patrum ſatum eſt, hoc idem filiorum induſtria decet, excolatur & obſervetur, hoc idem floreat & matureſcat, hoc idem proficiat & perficiatur. Fas eſt enim ut priſca illa cœleſtis Philoſophiæ dogmata proceſſu temporis limentur, poliantur; ſed nefas eſt ut amittantur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, diſtinctionem; ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem.* Et cap. 32. *Chriſti verò Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua, non amittit ſua, non uſurpat aliena; ſed omni induſtria hoc unum ſtudet, ut*

vetera fideliter ſapienterque retractando, ſi qua illa ſunt antiquitus informata & inchoata, accuſet & poliat: ſi qua jam expreſſa & enucleata, conſolidet, firmet: ſi qua jam confirmata & definita, cuſtodiat.

Dices: ex S. Gregorio Hom. 16. in Ezech. quantò mundus ad extremum ducitur, tantò nobis æternæ ſcientiæ aditus largiùs aperitur: ergo doctrina Religionis Chriſtianæ aliunde eſt petenda, quàm à veteribus.

Diſtinguo anteced. Quantò mundus ad extremum ducitur hoc eſt, ad extremam ætatem, quæ cœpit in Chriſto, juxta illud Apoſtoli, 1. Corinth. 10. *In quo fines ſæculorum devenerunt*, Concedo: quantò ad extremum, ſcilicet ultimæ ætatis mundi, quam immediatè ſequetur omnium reſurrectio, & judicium univerſale; ſubdiſtinguo: aditus ſcientiæ largiùs aperitur reſpectu multitudinis, quia plura in dies ab Eccleſia definiuntur, & explicitè credenda proponuntur, Concedo: reſpectu omnium Paſtorum, & maximè Apoſtolorum, quaſi non cognoverint explicitè quidquid in Scripturis & Traditione continetur, Nego anteced. Itaque diſtinguendum eſt inter capita ſeu duces multitudinis, & ipſam multitudinem. Generatim loquendo Principes & optimates in quolibet ſtatu naturæ corruptæ quo fuerunt Chriſto propinquiores, eo plura cognoverunt, & explicitè crediderunt, ut Apoſtoli in nova lege, Joannes Baptiſta limes veteris Legis, & veluti lucifer Solem juſtitiæ immediate præcedens, pluſquam Propheta fuit, Matth. cap. 11. David Spiritu Sancto afflatus ſcribit Pſal. 118. ſupra ſenes & omnes docentes

tes ſe intellexiſſe; Abraham anterioribus Patriarchis pleniùs percepit myſteria fidei. Ita S. Thomas q. 1. art. 7. ad quartum. *Ultima conſummatio gratiæ*, inquit, *facta eſt per Chriſtum*, *unde & tempus ejus dicitur tempus plenitudinis*, Gal. 4. *& ideo illi, qui fuerunt propinquiores Chriſto, vel ante, ſicut Joannes Baptiſta, vel poſt, ſicut Apoſtoli, pleniùs myſteria fidei cognoverunt.* Et in argumento *ſed contra*, confirmat ſuam ſententiam auctoritate S. Gregorii citata Homil. 16. in Ezech. cujus hæc verba refert: *ſecundùm incrementa temporum crevit ſcientia ſanctorum Patrum, & quantò viciniores adventui Salvatoris fuerunt, tantò Sacramenta ſalutis pleniùs perceperunt.*

Quod verò ſpectat multitudinem, quæ communiter ſcientiam ſalutis non accipit, niſi ſolicitudine & induſtria Paſtorum, dubium non eſt quin plura diſcat, quo remotior eſt à Chriſto, cùm ſucceſſu temporis magis ac magis eluciden-tur, quæ obſcuriùs revelata ſunt in Scripturis & Traditione: & ſicut novæ in dies oriuntur difficultates & controverſiæ, ita multiplicentur Eccleſiæ definitiones.

Dixi, *generatim loquendo*; extraordinariè enim fieri poteſt, ut nonnulli remotiores plura cognoverint: tum ex ſpeciali Dei privilegio, quod præſumere licet fuiſſe conceſſum Moyſi & Iſaiæ: tum ex aliorum incuria ac negligentia, qui veluti in meridiana luce oculos claudunt, & obdormiunt.

Ergo meritò proſcripta eſt ab Academia Pariſienſi anno 1665. & poſtmodum à Clero Gallicano anno 1700. ſequens quorundam Modernorum propoſitio: *Puto omnia eſſe hodie meliùs examinata; hanc ob rem in omni materia, & præcipuè in morali libentiùs juniores, quàm antiquiores lego, & ſequor . . . .*

doctrina

doctrina fidei à veteribus, doctrina morum magis à junioribus petenda. Contra quam propositionem sic insurgunt sacri Antistites. *Hæc propositio est temeraria, scandalosa, perniciosa, erronea, sanctis Patribus, & antiquis Doctoribus contumeliosa, spreta in moribus Christianorum componendis, necessaria Scripturarum ac Traditionum auctoritate & interpretatione, moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones & doctrinas, Christo prohibente, stabiliendas.*

Ergo novitas doctrinæ in iis, quæ spectant fidem & mores, præsefert speciem falsitatis, & ideo vitanda juxta illud mandatum Apostoli 1. Tim. 6. v. 20. *Timothee, depositum custodi, devita profanas vocum novitates.* Ex quibus verbis sic infert Vincentius Lirinensis 1. commonitorii c. 26. *si profana est novitas, sacrata est vetustas.* Et c. 9. *Id enim est proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris traducere, sed à majoribus accepta servare.*

CAPUT II.

De interno Actu Fidei.

Circa internum fidei actum, duo à nobis sunt expendenda. Primum, quæ sit ejus natura & proprietates. Alterum, quæ & quanta ejus necessitas.

§. I.

De Definitione, & Proprietatibus interni actus Fidei.

Q. 1. *Quid est internus Fidei actus?*

R. Est firmus mentis assensus rei revelatæ

velatæ ab Ecclesia propositæ, propter primam veritatem. Responsio constat ex dictis §. 2. de definitione fidei.

Q. 2. *Quot requiruntur ad illum assensum?*

R. Quinque vulgò numerantur actus necessariò prærequisiti, ut mens firmum præbeat assensum rei revelatæ. Primus est perceptio eorum, quæ prædicantur; nam ex Apostolo, Rom. 10. vers. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Secundus est mentis inquisitio & examen, utrùm qui verba facit, fidem mereatur? nam *Qui credit citò, levis corde est.* Eccli. 19. vers. 4. assensus fidei, utpotè actus virtutis, debet esse prudens. Tertius est judicium, quo mens, ponderatis motivis credibilitatis, verbi gratia prophetiis, miraculis, certò judicat omninò credibilia esse, quæ dicuntur. Quartus est alterum judicium, quo mens non solùm judicat rem esse credibilem, sed decernit hìc & nunc esse credendam, quemadmodum ad eliciendos actus aliarum virtutum, putà misericordiæ, satis non est quòd mens judicet laudabile esse opem ferre proximo indigenti; sed insuper requiritur ut decernat hìc & nunc ei opitulandum. Quintus est actus voluntatis, qui dicitur pia affectio & credulitatis affectus, quo voluntas imperat intellectui, ut firmum veritati revelatæ & sufficienter propositæ assensum præbeat; nam ex sancto Augustino, Lib. de Prædestinat. Sanctor. cap. 5. *Credere, vel non credere est in arbitrio voluntatis humanæ.* Et ratio est, quam capite præcedenti §. 2. attulimus, scilicet, quòd veritas proposita, quantumcunque credibilis appareat, maneat semper obscura & inevidens, nec proinde necessariò mentem deter-

determinet ad credendum, quemadmodum conclusio, quæ evidenter deducitur ex principio per se noto, per sui evidentiam intellectum cogit ad assensum.

Q. 3. *Estne necesse ad eliciendum actum fidei, ut præcedat judicium certum de credibilitate rei credendæ?*

R. Constans est Catholicorum doctrina, agnoscendum esse ejusmodi judicium tanquam necessarium: tum quia ex Apostolo, Hebr. 11. Fides est argumentum, seu convictio rerum sperandarum: tum quia assensus fidei debet esse prudens: ad prudentiam autem requiritur certitudo saltem moralis, aliàs non esset virtus mentis, sed opinio duntaxat. Unde meritò Innocentius XI. anno 1679. damnavit hanc propositionem: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus.* Definitioni Summi Pontificis subscripsit Clerus Gallicanus anno 1700. his verbis: *Hæc propositio scandalosa est, perniciosa, & Apostolicam fidei definitionem evertit.* Sed de evidentia motivorum credibilitatis ex professo egimus, Tract. de Incarnat. pag. 52. & seq.

Q. 4. *Omnes illi actus ad assensum fidei prærequisiti, suntne supernaturales?*

R. 1. Tres primi actus possunt naturaliter elici, cùm objecta eorum sint naturalis ordinis, & solo lumine naturali percipi possint; quivis infidelis, v. g. naturaliter audit & percipit, quæ ab Evangelii præcone dicuntur; utrùm autem hæc ita se habeant, naturaliter potest perpendere miracula ac prophetias, quæ in confirmationem proferuntur, & ex iis judicare, quòd Evangelium sit credibile; hæc enim duo lumine naturali nota

ſunt, ſcilicet vera miracula, veraſque prophetias eſſe à Deo, & Deum optimum maximum iis mendacium confirmare non poſſe. Non eſt tamen negandum, quin Deus gratia ſua aliquando inclinet corda hominum ad audiendum Concionatores, & ad perpendenda, quæ in doctrinæ confirmationem proferuntur, ut Act. 16. v. 14. habetur de Lydia: *Cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.*

R. 2. Quartus actus, quo mens judicat hìc & nunc eſſe credendum, cenſeri debet ſupernaturalis, cùm inde exurgat pia voluntatis motio, & credulitatis affectus, qui ex mox dicendis eſt ſupernaturalis, favetque Concilium Arauſicanum II. Can. 7. in quo ſic habet: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem vitæ æternæ pertinet, cogitare ut expedit, vel eligere poſſe confirmat abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur ſpiritu.*

Confirmatur reſponſio ex conſtanti Theologorum doctrina, qua docent virtutibus moralibus infuſis reſpondere in intellectu prudentiam infuſam, qua dirigantur in ſuis actibus ſupernaturalibus, ad quos non pertingit prudentia naturalis & acquiſita.

R. 3. Pia voluntatis affectio, ſeu credulitatis affectus, eſt ſupernaturale Dei donum. Reſponſio eſt de fide. Probaturque 1. ex Scriptura Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater . . . traxerit eum.* Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* 2. Ex Can. 7. mox laudato Concilii Arauſicani II. quo damnantur Semipelagiani, aſſerentes, initium fidei eſſe à nobis, quatenus voluntas noſtra debet eſſe parata ad aſſentiendum

dum divinæ revelationi. 3. Ex ſanctis Patribus: *Credere*, inquit ſanctus Auguſtinus, Lib. de Præ-deſt. Sanctorum cap. 5. *vel non credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed præparatur voluntas à Domino.* Et Enchiridion, cap. 3. expendens verba Apoſtoli, *non volentis .... eſt*, ſic ſcribit; *reſtat ut propterea dictum intelligatur*, non eſt volentis, &c. *ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem præparat adjuvando, & adjuvat præparatam.* Et S. Fulgentius, Lib. de Incarnat. & Gratia cap. 18. *ut velimus credere*, inquit, *miſericordiæ prævenientis illuminamur dono.*

Q. 5. *Firmus ille fidei aſſenſus eſtne ſimplex, ſeu complexa mentis operatio, an judicium, an diſcurſus?*

R. 1. Non eſt mera apprehenſio; quia apprehenſio ſive ſimplex, ſive complexa, eſt prima mentis operatio, neque affirmans, neque negans, ut ſi quis apprehendat illos terminos, *Deus juſtus*, *Deus injuſtus*, nihil affirmando aut negando: atqui per aſſenſum fidei affirmamus, quid ſit Dei proprium v. g. quòd ſit juſtus & negamus, quid ſit ab eo alienum, putà quòd ſit injuſtus: ergo aſſenſus fidei non eſt mera apprehenſio: Difficultas ſolùm eſt, utrùm ſit diſcurſivus, pertineatque ad tertiam mentis operationem.

R. 2. Aſſenſus fidei non eſt diſcurſivus, niſi virtualiter.

Probatur; Aſſenſus diſcurſivus elicitur ex alio præcedenti aſſenſu dato præmiſſis, v. g. ex præmiſſa fidei propoſitione, Chriſtus eſt homo, cui aſſentior utpotè quæ ſit expreſſè revelata, elicio contra Apollinarem hunc aſſenſum, ergo Filius Dei aſſumpſit animam rationalem; quia homo eſſentialiter eſt animal rationale; prior aſſenſus eſt judicium, & poſterior eſt diſcurſus Theologicus:

atqui aſſenſus fidei non elicitur ex alio præcedenti aſſenſu dato præmiſſis; ſed mens apprehenſis hiſce terminis, *Deus in dicendo vera dixit*, ſtatim abſque illatione & diſcurſu aſſentitur propoſitioni à Deo revelatæ: Ergo aſſenſus fidei non eſt diſcurſus, ſed judicium.

Confirmatur. Deus cùm homini loquitur, non rationes, ſed inſtar Judicum ſolam opponit auctoritatem, cui mens humana omne debet obſequium: *Nec decebat aliter*, inquit Lactantius, Lib. 3. Inſtitut. cap. 12. *ut cùm Deus ad hominem loqueretur, argumentis aſſereret ſuas voces; tanquam ei fides non haberetur; ſed ut oportuit, eſt locutus quaſi rerum omnium maximus Judex, cujus non eſt argumentari, ſed pronuntiare verum.*

Dices: Sicut mens non aſſentiretur huic propoſitioni, Chriſtus eſt riſivus, niſi priùs cognoſceret Chriſtum eſſe hominem; ita nec judicaret Chriſtum eſſe hominem; niſi perſpicuum ipſi eſſet, Deum illud dixiſſe, & in dictis eſſe veracem: atqui prior aſſenſus eſt illativus, ac diſcurſivus: ergo & poſterior.

Nego majorem & paritatem; Nam motivum proximum & immediatum hujus aſſenſus, ergo Chriſtus eſt riſivus, non eſt divina revelatio; ſed connexio hujuſce propoſitionis cum alia immediatè revelata, nempe Chriſtus eſt homo; ac proinde priùs cognoſcatur & credatur neceſſe eſt Chriſtum eſſe hominem, quàm ex ea eliciatur, Chriſtum eſſe riſivum. Contra verò motivum proximum & immediatum aſſenſus fidei, eſt prima veritas, ſeu revelatio, per quam immediatè res propoſita eſt credibilis & actu creditur; & ſicut facultas viſiva uno actu fertur in colores & lucem,

cem, per quam ſunt viſibiles; ita mens unico aſſenſu adhæret huic propoſitioni revelatæ, Deus eſt prima veritas, quæ procul dubio non elicitur ex nulla præmiſſa priùs cognita.

Inſtabis: Atqui ex iſta propoſitione eliciuntur cæteri aſſenſus fidei, quemadmodum prima principia in ſcientiis cognoſcuntur abſque diſcurſu, ſed ex iis eliciuntur omnes concluſiones; ideò enim fide divina creduntur, quæ Deus dixit, quia Deus eſt prima veritas, & in dicendo infallibilis auctoritatis.

Nego ſubſumptum. Non enim credimus Deo dicenti, Chriſtus eſt Deus, quia Deus dixit ſe eſſe primam veritatem, ita ut prior propoſitio non ſit credibilis, niſi propter connexionem, quam habet cum poſteriore; ſed immediatè eam credimus propter primam veritatem in illa relucentem; ſicut facultas viſiva per unam & eandem viſionem percipit colores & lucem, per quam colores ſunt viſibiles.

Dixi: *Aſſenſum fidei non eſſe diſcurſivum niſi virtualiter;* Quia ſicut ſcientia Angelorum, licèt non ſit formaliter diſcurſiva, cùm uno & eodem actu percipiant concluſiones in principiis, & principia in concluſionibus: æquivalet tamen diſcurſui, & abſque imperfectione ſe extendit ad ea omnia, quæ mente non poſſumus aſſequi, niſi ſucceſſivè procedendo à noto ad ignotum. Similiter aſſenſus fidei, quamvis ſimul terminetur ad rem revelatam, tanquam ad objectum materiale, & ad primam veritatem revelantem, tanquam ad objectum formale; virtualiter tamen continet huncce diſcurſum: Illud eſt verum & omninò credendum, quod eſt à prima veritate revelatum: atqui

atqui prima veritas revelavit Christum esse Deum: Ergo.

Q. 6. *Assensus fidei estne certior scientia, & qualibet alia virtute intellectuali?*

Nota, triplicem esse certitudinem, scilicet objectivam, formalem, & subjectivam. Certitudo objectiva, est firma & constans veritas objecti, quod cognoscitur. Formalis est firma veritas medii seu rationis, per quam objectum cognoscitur, sicut existentia creaturarum est certum medium & firma ratio, per quam cognoscimus Deum existere. Certitudo subjectiva est firma mentis adhæsio objecto suo.

Certum est, assensum fidei non esse certitudine objectiva certiorem scientia, v. gr. Theologica, Metaphysica, aliisque virtutibus intellectualibus; quia Deus æquè est primarium objectum Theologiæ & Metaphysicæ, ac Fidei: atqui Deo nulla esse potest veritas firmior ac constantior: Ergo difficultas solùm superesse potest de certitudine formali; seu medii & subjecti.

R. 1. Assensus fidei est certior certitudine formali, seu medii assensu cujuslibet scientiæ; quia nititur medio, seu motivo certiore, & magis infallibili, nempe prima veritate.

Dices 1. Lumen naturale, quo nituntur omnes scientiæ, est æquè certum ac lumen fidei, cùm utrumque sit à Deo: Ergo.

Nego anteced. Quia sicut principia, ex quibus eliciuntur conclusiones, sunt certiora ipsis conclusionibus; ita prima veritas, cujus lumen rationis est impressio quædam & participatio, infinitè certior est lumine rationis. Adde, nonnulla quandoque rationi apparere certa & evidentia, quæ

quæ tamen vera non ſunt. Unde ſanctus Thomas quæſt. 4. art. 8. ad ſecundum ſcribit, quòd etſi viſio cæteris paribus ſit certior auditu, nihilominus: *Si ille*, inquit, *à quo auditur multùm excedit viſum videntis, ſic certior eſt auditus, quàm viſus. Sicut aliquis parvæ ſcientiæ magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo ſcientifico, quàm de eo, quod ſibi ſecundùm ſuam rationem videtur. Et multò magis homo certior eſt de eo, quod audit à Deo, qui falli non poteſt, quàm de eo, quod videt propria ratione, quæ falli poteſt.*

Dices 2. Illa cognitio eſt certior, quæ dubitationem non admittit: atqui ſcientia non admittit dubitationem, aſſenſus verò fidei admittit ſaltem involuntariam: Ergo ſcientia eſt fide certior.

Diſtinguo minor. Aſſenſus Fidei dubitationem admittit ex parte ſubjecti, propter rei revelatæ inevidentiam, Conc. Ex parte motivi, Nego minor. Unde,

R. 2. Aſſenſus Fidei ſecundùm quid eſt minùs certus ex parte ſubjecti aſſenſu dato concluſioni demonſtrativæ: abſolutè tamen & ſimpliciter eſt certior quolibet alio aſſenſu. Ita S. Thomas cit. art. 8.

Prima pars probatur; Quia ex mox conceſſis aſſenſus Fidei admittit dubitationem ſaltem involuntariam in credente, quam evidentia ſcientiæ abſolutè excludit. Ideò autem Fidelis nonnunquam pulſatur timore, ne fallat eum Fides ſua: vel quia non ſemper advertit, ut par eſt, ad motivum, cui innititur Fides Chriſtiana, quemadmodum ruſticus nunc aſſenſum negat concluſioni, quem priùs dederat, cùm urgeretur evidentibus rationibus, quæ jam ex ejus mente excide-

 runt;

runt; vel quia myſteria noſtra naturam ſuperant, nec ea mens humana per ſe ipſam attingit, niſi fallaci lumine. Unde ſicut ſenſuum fallaciis obſiſtat neceſſe eſt, cùm verſatur circa ſpiritualia naturalis ordinis; ſic ſecum eam pugnare oportet, cùm ad ſupernaturalia aſſurgit verbo Dei innixa.

Secunda pars probatur; Quia illud abſolutè & ſimpliciter certius eſt certitudine ſubjecti, cui ſubjectum ita adhæret, ut paratum ſit renuntiare cuilibet evidentiæ, quæ videri poſſet oppoſita aſſenſui jam dato; atqui Fidelis ita firmiter adhæret rebus revelatis propter primam veritatem infinitè credibilem, ut paratus ſit renuntiare cuilibet in contrarium rationis judicio; quia in ipſis terminis repugnat, primam veritatem eſſe falſitatem; Unde ſanctus Auguſtinus, Lib. 7. Confeſſ. cap. 10. *Faciliùs*, inquit, *dubitarem vivere me*, *quàm non eſſe veritatem*, *quæ per ea*, *quæ facta ſunt*, *intellecta conſpicitur*.

Ergo Fides omninò perit in eo, qui cum advertentia contumaciter dubitat, vel de una propoſitione, quam Eccleſia definit eſſe à Deo revelatam, probaturque iiſdem argumentis, quibus ſupra negavimus, ullam remanere Fidem Chriſtianam in Hæreticis.

Q. 7. *Aſſenſus Fidei eſtne ita bonus*, *ut fieri non poſſit malus ex prava intentione*, *putà inanis gloriæ?*

R. Affirmativè; Quia aſſenſus Fidei non poteſt eſſe niſi à gratia & ex impulſu Spiritus Sancti; Fides enim donum Dei eſt, Epheſ. 2. atqui repugnat Spiritum Sanctum impellere ad malum culpæ: ergo qui ex inani gloria, aut quolibet alio pravo motivo vellet credere, non eliceret niſi

actum

actum Fidei humanæ, ut supra diximus de Fide Hæreticorum.

Q. 8. *Assensus Fidei estne meritorius?*

R. Si assensus sit Fidei vivæ, quæ per charitatem operatur, est meritorius de condigno: si verò sit Fidei mortuæ & informis, est meritorius duntaxat de congruo.

Prima pars probatur 1. ex Scriptura, Hebr. 11. Sancti *per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.* Gal. 5. v. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed Fides, quæ per charitatem operatur.* 2. Timoth. 4. vers. 7. & 8. *Fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* 2. Ratione; quia omnes conditiones ad meritum de condigno requisitæ, quas supra numeravimus, pag. 141. conveniunt assensui fidei vivæ; est enim actus bonus, supernaturalis, ab homine justo viatore, liberè elicitus, adjunctam habens Dei promissionem, *qui .... credit in me, non morietur in æternum*, Joan. 12. vers. 26.

Secunda pars probatur 1. ex Scriptura, Roman. 3. vers. 28. *Arbitramur enim justificari hominem per Fidem.* Et cap. 5. vers. 1. *Justificati ergo ex Fide.* 2. Ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 6. ubi statuit, Fidem primo loco disponere ad justificationem. 3. Ex sancto Augustino, qui Epistola 186. aliàs 106. ad Paulinum sic habet: *Si quis dixerit, quòd gratiam benè operandi Fides mereatur, negare non possumus, imò verò gravissimè confitemur.* Et ante eum scripserat sanctus Ambrosius, Lib. 2. de Pœnit. cap. 8. *Fides impetrat veniam tamquam ex singrapha.* Cùm autem Fides mortua, & informis sit sine gratia justificante & charitate, meritum

ejus non eſt de condigno, ſed de congruo tantùm; quia ut diximus citato loco de Merito, ſtatus gratiæ ſanctificantis requiritur ad meritum de condigno, juxta illud 1. Cor. 13. *Si .... charitatem autem non habuero, nihil ſum .... nihil mihi prodeſt.*

Q. 9. *Rationes, quæ movent ad credendum minuuntne fidei meritum?*

R. 1. Si movent, ut prudenter credatur, quemadmodum motiva credibilitatis, nullatenus minuunt fidei meritum; quia quod efficit, ut aſſenſus fidei ſit prudens, procul dubio non minuit ejus meritum: atqui ita ſe habent motiva credibilitatis: Ergo.

R. 2. Si rationes illæ ſunt cauſa aſſenſus, adeò, ut ſine iis voluntas non eſſet parata ad impetrandum aſſenſum, meritum minuunt, juxta vulgatum illud S. Gregorii effatum, Homil. 28. in Evangel. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Quia, ut ratiocinatur S. Thomas, qu. 2. art. 10. *Sicut homo actus virtutum moralium debet exercere propter judicium rationis, non propter paſſionem: ita credere debet homo ea, quæ ſunt fidei, non propter rationem humanam, ſed propter auctoritatem divinam:* Ergo quemadmodum non exercet actum virtutis moralis, qui facit ea, quæ virtutis ſunt, ſed ex paſſione, v. g. delinquentem corripit ex præcipiti iræ impetu, opem fert indigenti ex inanis gloriæ appetitu: ſimiliter actum fidei non elicit, nec proinde meretur, qui ad aſſentiendum non inducitur auctoritate divina, ſed evidenti ratiocinio.

R. 3. Rationes, quæ ſe habent conſequenter ad aſſenſum fidei, ut ſi quis firmus in fide, & ex deſide-

desiderio illius fovendæ, tum in se, tum in aliis, excogitet rationes, quibus res sperandæ ampliùs credibiles appareant, sitque paratus ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in ipso est fide & spe, ut optat S. Petrus 1. Epist. cap. 3. nedum minuant fidei meritum, quin illud augent: denotant enim propensiorem voluntatem in ea, quæ sunt fidei. Sed si in fide hæsitans quærit rationes, quibus in ea firmetur, amittit meritum fidei; quia ex Tertullian. Lib. de Præscript. cap. 11. *Nemo quærit, nisi aut qui non habuit, aut perdidit*, nempe fidem.

R. 4. Rationes, quæ rem revelatam demonstrant, v. g. Dei existentiam, non minuunt meritum, si idem in voluntate maneat credulitatis affectus; *Quia*, inquit S. Thomas cit. art. 10. ad 2. *non diminuunt rationem charitatis, per quam voluntas est prompta ad ea credendum, etiamsi non apparerent*, alioquin Theologia esset saluti exitiosa. Sic virtutis opus, etsi privato amori arrideat, utpotè honorificum & quæstuosum, non erit propterea minùs laudabile & præmio dignum, si voluntas, spretis ejusmodi illecebris, rectà ad Deum tendat.

Q. 10. *Credere Deo, credere Deum, & credere in Deum, suntne actus essentialiter diversi?*

R. Minimè, quia habent idem motivum, seu objectum formale, scilicet, primam veritatem, quin & idem objectum materiale primarium, nempe Deum, ad quem omnia credenda referuntur: *Per illa tria*, inquit S. Thomas qu. 2. art. 2. ad 1. *designatur unus & idem actus habens diversam rationem ad fidei objectum.* Responsio patebit ex ipsa terminorum expositione. Itaque

Credere

Credere Deo, eſt credere vera eſſe, quæ Deus dixit propter infinitam ejus in dicendo veracitatem. Credere Deum, eſt credere Deum eſſe, ex eodem motivo divinæ in dicendo veracitatis. Credere in Deum, eſt credere Deum, non ſimpliciter, ſed ex affectu charitatis tendentis in Deum, tanquam in ultimum finem. Credere primo & ſecundo modo, eſt commune omnibus fidelibus juſtis & peccatoribus: credere autem tertio modo, eſt proprium juſtorum. Credere primo & ſecundo modo duntaxat, eſt actus fidei informis, imperfectæ & mortuæ: credere tertio modo, eſt actus fidei formatæ, perfectæ & vivæ, de qua Apoſtolus, Hebr. 10. verſ. 22. *Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei:* Fides enim plena ex mente & corde, ex cognitione & amore ſimul proficiſcitur. Hanc fidem Scripturæ exigunt, Joan. 6. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille.* Non ait, ut credatis ei, vel eum, ſed in eum quem ille miſit. Cap. 11. *Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet*, cap. 14. *creditis in Deum, & in me credite.* Hanc fidem profitemur in utroque Symbolo, Apoſtolorum nempe & Conſtantinopolitano: *Credo in Deum Patrem omnipotentem .... & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum .... & in Spiritum Sanctum.* Juſtorum eſt illa profeſſio, non peccatorum, utpotè, qui in Deum non tendant, tanquam in ſuum ultimum finem; cùm ſolus Deus ſit finis noſter ultimus & beatitudo, in illum ſolum credere licet. Credimus homini probo, & hominem probum. Credimus Eccleſiæ & Eccleſiam; ſed neque in hominem probum, neque in Eccleſiam, neque in ullam creaturam credere fas eſt; quia nulla creatura poteſt eſſe finis noſter ulti-

ultimus. Ita ferè S. Augustinus Tract. 29. in Joan. ubi expendens illa Christi verba, *hoc est opus Dei, ut credatis in Deum, quem misit ille*, sic scribit: *ut credatis in Deum, non, ut credatis ei. Sed si creditis ei: non autem continuò, qui credit ei, credit in eum. Nam & dæmones credebant ei, & non credebant in eum. Rursus etiam de Apostolis ipsius possumus dicere: Credimus Paulo, sed non credimus in Paulum: credimus Petro, sed non credimus in Petrum.* Credenti enim in eum, qui justificat impium, deputatur Fides ejus ad justitiam: *Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari. Ipsa est ergo Fides, quam de nobis exigit Deus, & non invenit quod exigat, nisi donaverit quod inveniat.* Similia habet sanctus Doctor Serm. 144. aliàs 61. de verbis Domini.

Q. 11. *Estne proprium fidei purificare corda hominum?*

R. Affirmat S. Petrus, Act. 15. *Fide*, inquit *purificans corda eorum.* Et ratio est, quia res tum dicitur pura, cùm non est permixta alteri, utique viliori; nam si meliori admisceatur, purior evadit: argentum, v. gr. sine admixtione stanni, aut alicujus vilioris metalli purum est, purius autem cum auro mixtum: atqui Fides corda hominum separat à rebus infimis, & transfert ad ea, quæ sunt meliora & speranda: informis quidem imperfectè, formata verò perfectè: Ergo.

Minor ostenditur. Ac 1. quidem Fides mentes ab errore expurgat; hinc vanas ac fallaces mundi inanitates detegit, horrendaque supplicia impœnitentibus ineluctabilia revelat: inde tanquam præsentem exhibet veram felicitatem virtutis cultoribus præparatam. 2. Si sit adhuc in-

formis

formis, corda, quæ in ipſius lumine ſe criminum conſcia deprehendunt, timore pœnæ concutit, ac veluti ferramento Medici, ut loquitur ſanctus Auguſtinus, Tractat. 9. in primam Joan. utiliter vulnerat ad pœnitentiam, qua tollitur putredo, & introducitur charitas vera cordis munditia.

§. II.

De neceſſitate interioris actus Fidei.

De parvulis nulla poteſt eſſe quæſtio, cùm nullius actus ſint capaces, & certum ſit eos ſalvari, ſi percepto Baptiſmo, è vita excedant. Agitur hìc de ſolis adultis.

Monuimus verò, Tract. de Incarn. pag. 31. 32. duplicem diſtingui neceſſitatem, alteram medii, alteram præcepti, & utriuſque differentiam ibidem expoſuimus. Quibus præſuppoſitis

Q. 1. *Eſtne aliqua neceſſitas, & quæ eliciendi interiores actus Fidei?*

R. Neceſſe eſt neceſſitate, tum medii, tum præcepti elicere interiores actus fidei.

Probatur 1. ex Scriptura, Rom. 10. *Corde . . . creditur ad juſtitiam*, ſcil. accipiendam. Hebr. 11. *Sine fide . . . . impoſſibile eſt placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe, remunerator ſit.* 2. Ex Concilio Tridentino, Seſſ. 6. cap. 8. *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis; ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire.* 3. Ex S. Auguſtino, Serm. 27. aliàs 20. de verbis Apoſtoli, *domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.* Et Lib. de Prædeſtinatione Sanctorum, cap. 7. *Ipſa* (Fides) *prima*

ma datur, ex qua impetrentur cætera. Denique opera ſupernaturaliter bona ſunt adultis neceſſaria neceſſitate medii, & præcepti ad remiſſionem peccatorum obtinendam, & gloriam conſequendam: atqui Fides eſt principium, & neceſſaria radix omnium bonorum operum ſupernaturalium, *nihil ſine ea ſanctum, nihil vivum*, inquit ſanctus Leo, Serm. 4. de Nativit. Ergo.

Confirmatur ex cenſura Alexandri VII. & Cleri Gallicani anno 1700. qui hancce propoſitionem proſcripſerunt: *homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Momenta, quæ noſtræ reſponſioni opponuntur ex Rom. cap. 2. & Act. 10. ſolvimus, Tract. de Gratia, cap. 5. §. 1.

Q. 2. *Quoties tenetur adultus elicere actus fidei?*

Fuit quorundam Modernorum hæc propoſitio, ſed damnata à Summo Pontifice Innocentio XI. anno 1679. & à Clero Gallicano anno 1700. *Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.* Quare rejecta illa ſententia,

R. 1. Quærere, quoties Chriſtianus teneatur ex fide agere, idem ferè videtur, ac ſi interrogares, quoties Philoſophus prudenter operari debeat; quemadmodum enim Philoſophus in omnibus rectam rationem tenetur conſulere, & ad prudentiæ leges cunctos actus ſuos componere, ita Chriſtianus ſtudeat neceſſe eſt omnes greſſus ſuos ad lumen fidei dirigere; *Nam juſtus ex fide vivit*, ait Apoſtolus, Galat. 3. & Hebr. 10. ipſa eſt lucerna lucens, cui attendendum eſt in caliginoſo ſæculi loco, in quo degimus: ipſa eſt columna lucis, viam

rationi

rationi ignotam oſtendens, qua ad terram promiſſam tendere nos oporteat.

R. 2. Eſt peculiaris obligatio, eliciendi actus fidei. 1. In articulo mortis, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ, juxta quam Paſtores tum maximè ſolent exigere actus fidei, ſpei, & charitatis. 2. Initio uſus rationis; quia non habemus acceſſum ad Deum, niſi per fidem: atqui non ſine gravi Dei contemptu, quis ſufficienter monitus diutiùs moraretur ſeſe ad Deum convertere. Sed in eo magis peccant parentes & Paſtores, qui liberis ac ſubditis hæc neceſſaria ſalutis monita dare negligunt. 3. Cùm pulſat gravis contra fidem tentatio; contraria enim contrariis repelluntur, odium per dilectionem, motus libidinis & impudicitiæ per actus charitatis; 4. Quando urget præceptum, quod impleri non poteſt ſine actibus fidei, verbi gratia, cùm ſumenda eſt Euchariſtia, audiendum Sacrum, preces fundendæ; tunc enim per accidens obligat præceptum fidei.

Q. 3. *Qualis debet eſſe ille actus fidei, an explicitus, an implicitus, quo quis crederet quæcumque docet Eccleſia, cùm interim prorſus neſciat quænam illa ſint?*

R. Quædam explicitè credi neceſſe eſt: tum quia Apoſtolus citato cap. 11. ad Hebr. docet, accedentem ad Deum debere explicitè credere quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt: tum quia Fides implicita eſt involuta tenebris ignorantiæ, & veluti lumen abſconditum ſub modio, quod mentem colluſtrare nequit, nec proinde dirigere mores.

Q. 4. *Quænam credenda ſunt explicitè?*

R. Alia ſunt explicitè credenda neceſſitate medii, alia neceſſitate præcepti.

Q. 5.

Q. 5. *Quid necessitate medii credendum est explicitè?*

R. 1. In omni statu etiam naturæ necessarium est necessitate medii explicitè credere Deum esse, remunerari servientes sibi, & animam esse immortalem: est communis Theologorum sententia. Imò contraria opinio damnata est ab Innocentio XI. tanquam scandalosa, & à Clero Gallicano, tanquam hæretica, ut retulimus Tract. de Incarnat. pag. 33. 34. Idipsum enim Apostolus expressè docet laudato sæpius cap. 11. ad Hebr. *Sine fide*, inquit, *impossibile est placere Deo;* quæ verba necessitatem medii perspicuè denotant. Quæ autem sit illa Fides, explicat his sequentibus verbis: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

Porrò loquitur 1. de Fide Patriarcharum, qui sanctitate floruerunt in Lege tum naturæ, ut Abel, Noë, Abraham: tum scripta, ut Moyses, Samuel, David. 2. De remuneratione speranda, non in hac vita, sed in futura, quod necessariò supponit animam non interire cum corpore.

R. 2. In Lege Evangelica necesse est prætereà explicitè credere mysteria Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis. Responsio quoad utramque partem fusè probata est. Prima, Tract. de Trinitate, Tom. 1. pag. 671. Secunda, Tract. de Incarnatione, pag. 31. & sequentibus: Ubi plura diximus notatu digna & scitu necessaria, præsertim Pastoribus.

Q. 6. *Quænam sunt explicitè credenda necessitate præcepti in Lege nova?*

R. 1. Non eadem notitia ab omnibus exigitur, sed alii plura aliis scire debent, unusquisque pro ratione sui officii & conditionis. Nam Cle-

ricis, qui rudiores docere tenentur, ſatis non eſt nôſſe utcumque Religionis myſteria, media ad ſalutem neceſſaria, putà Sacramenta, & præcepta moralia, quibus Chriſtiani mores informantur; ſed inſuper requiritur, ut ea omnia noverint explanare, difficultates ſolvere, & in captivitatem redigere omnem intellectum adverſùs ſcientiam Dei ſeſe extollentem, in obſequium Chriſti, ut loquitur Apoſtolus, 2. Cor. cap. 10. v. 5. Similiter Patresfamilias (quos S. Auguſtinus ideò vocat familiæ ſuæ Epiſcopos, quia domeſticos præceptis fidei & morum imbuere debent) magis explicitè credere convenit.

R. 2. Una eſt Theologorum ſententia, omnes & ſingulos ſcire teneri articulos Symboli Apoſtolorum; probaturque ex praxi univerſalis Eccleſiæ, quæ à primis ſæculis hancce ſalutis ſcientiam hactenus à Fidelibus exegit, ut patet tum ex cap. *Baptizandos*, de Conſecratione diſt. 4. ubi habetur, *baptizandos oportet Fidei Symbolum diſcere:* tum ex Rituali Parochorum, ex cujus præſcripto monendi ſunt patrini ſui officii eſſe, ut curent infantes, quos de ſacro fonte levant, diſcere Symbolum, cùm adoleverint: tum ex Catechiſmo Romano, qui ſic habet: *Quæ primùm homines tenere debent, illa ſunt, quæ S. Apoſtoli Divino Spiritu afflati, duodecim Symboli articulis diſtinxerunt.*

Sed duplici modo Symbolum ſciri poteſt: 1. Memoriter. 2. Quoad ſubſtantiam duntaxat, ſcil. cùm quis, etſi Symbolum ex ordine recitare non valet, interroganti tamen reſpondere poteſt ad ſingulos articulos. Quæritur autem, an poſterior ille modus ſufficiat.

R. 3.

R. 3. Omnes adulti Symbolum Apostolorum memoriter tenere debent.

Probatur 1. Ex Canonibus Ecclesiæ, cap. *Vos*, §. *Ante omnia*, de Consecratione dist. 4. habetur ex sancto Augustino, *ante omnia Symbolum & Orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis de sacro fonte, ostendite*, Cap. 7. Synodi Quinisextæ, *nisi qui has duas sententias*, (scilicet Symbolum & Orationem Dominicam,) *& memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione frequentissimè frequentaverit, Catholicus esse non poterit.* Ex sancto Augustino, Lib. 8. Confess. capite 2. & ex aliis constat Catechumenos, priusquam sacrum fontem ingrederentur, ex Lege Ecclesiastica distinctè & publicè recitâsse illam Fidei formulam, quin etiam nunc patrini jubentur illam cum Oratione Dominica, pronuntiare pro parvulis, quos ad Baptisma offerunt. Meritò autem Ecclesia orationem, quam docuit Magister noster, Symbolo adjungi voluit; quia Fides, sicut nonnisi ipso donante, accipitur, ita nec conservatur, nec fructificat, nisi per ejus auxilium, quod assiduis orationibus implorare necesse est.

Probatur 2. ratione. Fides ex Apostolo, Ephes. 8. vers. 13. & 16. nobis data est veluti spiritualis armatura, quam nobis licet nunquam deponere, cùm adversùm nos continuò instet bellum: *Propterea*, inquit, *induite armaturam Dei ...... in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere:* Atqui Fidem ad manum non habebimus, nisi probè & memoriter Symbolum teneamus: Ergo.

Confirmatur ex sancto Augustino, Serm. 58. aliàs Homil. 42. de Symbolo cap. 11. ubi sic ha-

bet: *Quotidie dicite, quando ſurgitis, quando vos ad ſomnum collocatis. Ne dicatis, dixi heri, dixi hodie ..... commemora fidem tuam, inſpice te. Sit tanquam ſpeculum tibi Symbolum tuum, ibi te vide ...... & gaude quotidie in fide tua. Sint divitiæ tuæ, ſint quotidiana iſta quodammodo indumenta mentis tuæ. Numquid non quando ſurgis, veſtis te? ſic & commemorando Symbolum tuum veſti animam tuam, ne fortè eam nudet oblivio, & remaneas nudus, & fiat, quod ait Apoſtolus, quod abſit à te;* Si tamen veſtiti non nudi inveniamur, 2. Corinth. 5. verſ. 3. *Veſtiti enim erimus fide noſtra. Ipſa Fides & tunica eſt & lorica; tunica contra confuſionem: lorica contra adverſitatem.*

Enimverò quivis experiri poteſt, quod alii non pauci experti ſunt, nempe nihil eſſe efficacius ad excutiendam ſomnolentiam in operibus, & tepeſcentem intentionem erigendam, quàm ſi ex affectu identidem pronuntietur: *Credo in Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos*, nihil promptius ad repellendas mundi & carnis illecebras, quàm ſi opponatur hæc fidei profeſſio, *credo carnis reſurrectionem, vitam æternam*, & ſicut in Symbolo Conſtantinopolitano canitur, *expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi.* Unde S. Auguſtinus, Tract. 46. in Joan. expendens illud Apoſtoli, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, ait: *Fides tua de Chriſto, Chriſtus eſt in corde tuo. Hinc eſt illud, quòd dormiebat in navi, & cùm periclitarentur diſcipuli, excitaverunt eum ..... & facta eſt tranquillitas magna ...... ſic & tu. Intrant venti cor tuum* (ſcilicet tentationes) *audiſti convitium, iraſceris: convitium ventus eſt, iracundia fluctus eſt, periclitaris, diſponis reſpondere, diſponis maledictum pro maledicto reddere,*

jam

jam navis propinquat naufragio. Excita Christum dormientem; ideò enim fluctuas, & mala pro malis reddere præparas: quia Christus dormit in navi; in corde enim tuo somnus Christi, oblivio fidei. Nam si excites Christum, id est, si recolas fidem .... quasi imperatur ventis, & fluctibus, & fit tranquillitas magna.

Satis ergo non videbitur Confessionario, quòd pœnitens sciat Symbolum quoad substantiam, nisi & memoriter teneat, præsertim lingua vernacula, si Latinam non calleat. Et quamvis negligentia in eo non censeatur peccatum lethale, juxta Navarr. cap. 11. Manual. num. 22. & alios benemultos; est tamen ratio sufficiens differendi absolutionem, quando pœnitens jam monitus discere neglexit, nec aliter à somnolentia excitari potest. Vix ingenii tarditas eum excusabit, cùm stupidissimi quique facilè cantilenas ediscant.

Singulis quoque necessaria est notitia, 1. ex S. Thoma q. 2. art. 7. Mysteriorum, quæ solemniter celebrantur, cùm sine ea non posset recoli grata memoria, propter quam ab Ecclesia proponuntur. 2. Sacramentorum suscipiendorum, ac præsertim Eucharistiæ, & Sacrificii Missæ, qui ex præcepto diebus festivis interesse debent, alioquin ea sanctè, ut par est, tractare non possent. 3. Præceptorum Decalogi & Ecclesiæ, in quibus continentur, quæ facere & quæ vitare tenentur.

§. III.

Satisfit nonnullis difficultatibus circa Symbolum Apostolorum.

Q. 1. *Quid est Symbolum?*

R. Secundùm vim nominis Græci, est colle-

collectio ſeu collatio multorum ad aliquod opus; quo ſenſu, Prov. 23. verſ. 21. qui partes ſuas ad convivium afferunt, dicuntur dare Symbola. Sumitur etiam nomen illud pro ſigno vel teſſera militari, qua veri milites ab aliis diſcernuntur.

Apud Scriptores Eccleſiaſticos Symbolum in utraque ſignificatione accipitur, nempe pro ordinata collectione articulorum fidei; & ſigno, quo Fideles tanquam veri milites Chriſti exteriùs ſe produnt, & ab aliis diſtinguuntur.

Q. 2. *Propoſitio fidei eſtne idem quod articulus fidei?*

R. Minimè; licèt enim articulus fidei ſit propoſitio fidei; non omnis tamen propoſitio eſt articulus.

Q. 3. *In quo ergo differunt articulus, & propoſitio?*

R. In eo potiſſimùm, quòd propoſitio ſit cujuslibet rei immediatè à Deo revelatæ; articulus verò ſit præcipuarum rerum ad æternam ſalutem pertinentium. Hinc quòd Saul fuerit primus Rex Iſraël, & quòd Jeſſe genuerit Davidem, ſunt propoſitiones fidei, utpotè quæ fuerint immediatè à Deo revelatæ; ſed non ſunt articuli fidei, ſicut iſta: Jeſus Chriſtus eſt unicus Dei Filius Patri conſubſtantialis; quia illæ non ſunt rerum ſperandarum, quemadmodum iſta.

Q. 4. *Unde primariæ illæ propoſitiones dicuntur fidei articuli?*

R. Ita dicuntur per analogiam ad membra corporis humani, quæ ſuis articulis conſtant; eſt enim articulus quoddam diminutivum artus, quaſi particula membri, & quaſi junctura, qua artus ſeu membra coaptantur & copulantur; ſed vulgò articulus ſumitur pro ipſo membro. Eſt autem membrum pars corporis inſignior, conſtans ex partibus

partibus minoribus, & habens ſpecialem uſum & functionem, ut brachium compoſitum ex oſſibus, nervis, muſculis, &c. quæ membra dici nequeunt, cùm ſingulis non competat ſpecialis & diſtincta functio.

Articuli igitur Fidei ſunt veluti membra, in quæ dividitur Fides tanquam corpus integrum. Unde definiri poteſt articulus fidei,

Primaria fidei propoſitio omnibus ab initio ad credendum explicitè propoſita, & peculiarem difficultatem continens.

Dicitur 1. *Primaria*, id eſt, rerum ſperandarum, quæ ad vitam æternam pertinent, vel tanquam ejus objectum, ut Deus unus in tribus Perſonis ſubſiſtens, vel tanquam medium neceſſarium, ut Verbi divini incarnatio, Chriſti paſſio, reſurrectio, &c.

Dicitur 2. *Omnibus ab initio ad credendum explicitè propoſita*, ut diſtinguatur ab eis propoſitionibus, quæ ſucceſſu temporis ab Eccleſia fuerunt definitæ, v. gr. quòd liceat pingere imagines, quòd duo Libri Machabæorum ſint Canonici, &c.

Dicitur 3. *Peculiarem difficultatem continens*; Quia ſicut membrum corporis ex multis partibus minoribus conſtat; quæ ſeparatim non habent ſpecialem functionem; ut mox diximus; ita articulus fidei aliquando ex pluribus propoſitionibus exurgit, quæ ſingulæ non habent peculiarem difficultatem, v. gr. tertius Symboli articulus, *qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*, tres fidei propoſitiones includit: primam, quòd Chriſtus ſit conceptus de Spiritu Sancto; ſecundam quòd natus ſit ex Ma-

ria; tertiam, quòd Maria ſit Virgo, quarum propoſitionum prima peculiarem difficultatem ſola continet; poſito enim quòd Chriſtus conceptus ſit de Spiritu Sancto, poſteriores propoſitiones neceſſariò ſequuntur, nempe quòd natus ſit, & quòd Maria ſit Virgo. Quòd autem Chriſtus paſſus ſit, alia occurrit difficultas à præcedente diſtincta. Unde his verbis: *paſſus ſub Pontio Pilato, mortuus & ſepultus*, novus conſtituitur articulus, conſtans ex tribus propoſitionibus ita coaptatis, ut ſi aſſenſus primæ præbeatur, nimirum quòd Chriſtus ſit paſſus, facilè credetur mortuus & ſepultus.

Q. 4. *Quot ſunt Symbola?*

R. Quatuor, tertium tamen cum ſecundo vulgò confunditur ex eo, quòd illud integrè contineat cum nova aliqua additione; unde tria duntaxat Symbola nonnunquam numerantur.

Primum eſt Apoſtolorum, qui ad inſtructionem Fidelium collegerunt brevem ſummam fidei capitum, ad quæ cætera facilè reduci poſſunt, ut ſicut omnium credentium eſt cor unum, eſſet quoque os unum, & una confeſſio, ex ſancto Irenæo, Lib. 1. contra Hæreſes, c. 3.

Secundum, Nicænum dicitur, quia editum eſt in Concilio Nicæno ad convellendam Arii Presbyteri Alexandrini impietatem, qua negabat Filium Patri conſubſtantialem.

Tertium eſt Conſtantinopolitanum, in quo propter Macedonium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, abjudicantem Spiritui Sancto divinitatem, & Manichæos aſſerentes Deum non eſſe Conditorem rerum corporearum, nonnulla addita ſunt à Patribus Symbolo Nicæno.

Quar-

Quartum est S. Athanasii, non quòd sanctus Athanasius sit illius auctor, non enim prodiit nisi post ejus mortem; sed quòd contineat doctrinam, quam sanctus Doctor mira eruditione, & pluribus laboribus & periculis asseruit adversùs Arianos. Unde Symbolum illud non est aliud quàm major explicatio Symboli Nicæni & Constantinopolitani.

Q. 5. *Unde opus illud, quod circumfertur sub nomine sancti Athanasii habet auctoritatem Symboli?*

R. Ab Ecclesia; cùm enim Symbolum sit regula fidei omnibus Fidelibus proposita, non est cujusvis Pastoris eam constituere. Porrò Symbolum S. Athanasii nuncupatum, erat in auctoritate septimo sæculo; illius quippe meminit Concilium Augustodunense anno 670.

Q. 6. *Apostoli suntne reverà auctores Symboli, quod eorum nomine insignitur?*

Visum est Moderno cuidam, eatenus duntaxat illud Symbolum dici Apostolorum, quatenus eorum doctrinam continet, quemadmodum circumferuntur Canones, qui dicuntur Apostolorum, quos constat ab Apostolis non fuisse conditos. Sed hæc opinio adversatur Ecclesiæ traditioni. Quare

R. Apostoli reverà sunt auctores Symboli eorum nomine nuncupati.

Probatur ex constanti Ecclesiæ traditione.

Tertullianus Lib. de Præscript. cap. 37. *Superest igitur*, inquit, *ut demonstremus an hæc nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur.*

S. Ambrosius Epistol. ad Syricium Summum Pontificem sic scribit: *Credatur Symbolo Apostolo-*

rum, quod Ecclesia Romana semper intemeratum custodit & servat. Et Serm. ultimo de Jejunio Eliæ ait: *Duodecim enim Apostolorum Symbolo Fides sancta concepta est, qui veluti periti artifices in unum convenientes clavim suo Symbolo conflaverunt. Clavim enim quandam ipsum Symbolum dixerim, per quam reserantur tenebræ, & lux Christi advenit.*

Rufinus quarto sæculo illud Symbolum, tanquam opus Apostolorum, usque ad suam ætatem creditum exposuit: idipsum Libro uno præstitit S. Augustinus quinto sæculo.

Cassianus Lib. 6. de Incarnat. cap. 3. *Collata,* inquit, *ab Apostolis Domini totius Catholicæ Legis fide, quidquid per diversum divinorum voluminum corpus immensa funditur copia, totum in Symboli colligitur brevitate perfecta.* Mitto alios, ut S. Hieronymum, Leonem, &c.

Cùm autem illud Symbolum duobus modis edi potuerit. 1. Ut unus Apostolus integrum opus confecerit, & cæteri illud approbaverint: 2. Ut omnes in unum convenerint, & singuli manum operi adhibuerint: posterior hic modus communiter admittitur; *ipsa Catholici Symboli brevis & perfecta confessio*, inquit S. Leo Epist. 13. ad Pulcheriam, *duodecim Apostolorum est insignita sententiis.* Quin Auctor Serm. 115. inter Sermones sancti Augustini de Tempore, assignat singulis Apostolis suum articulum, S. Petro primum, & sic deinceps. Sed id dicitur gratis & sine fundamento.

Q. 7. *Symbolum Apostolorum estne inter Scripturas sacras numerandum?*

R. Minimè; quia Apostoli non illud condiderunt, tanquam Dei amanuenses & ejus nomine, sed tanquam Ecclesiæ Pastores, eo modo quo eorum

eorum successores in Conciliis Oecumenicis Canones exarârunt, qui licèt contineant verbum Dei, conflati tamen non sunt dictante Spiritu Sancto, sed assistente duntaxat.

Probatur responsio 1. quia Ecclesia, quæ identidem texuit Catalogum Librorum sacrorum, ut in Concilio Laodicæno cap. 60. Carthaginensi III. cap. 43. Tridentino, Sessione 4. Symbolum Apostolorum non recensuit. 2. Quia mutationes aliquando factæ sunt in Symbolo Apostolorum; nam Rufinus testatur hanc sententiam, *descendit ad inferos*, omissam fuisse in Ecclesia Romana. Sanctus etiam Augustinus eam omittit Lib. 1. de Symbolo cap. 3. sicut & particulam, *Catholicam*, cap. 6. ejusdem Libri: atqui non licet quidquam mutare circa textum Scripturæ sacræ: Ergo Symbolum Apostolorum non est Scriptura sacra.

CAPUT III.

De externo actu Fidei.

Q. 1. *Extatne præceptum exteriùs profitendi Fidem?*

R. Extat Rom. 10. v. 9. & 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris . . . . . salvus eris, corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Quibus verbis Apostolus docet actum internum fidei sufficere ad remissionem peccatorum, & justificationem impetrandam, *corde enim creditur ad justitiam*, ad salutem verò æternam consequendam insuper requiri externam fidei professionem, *ore autem confessio fit ad salutem.* Unde S. Augustinus Lib. de Fide

Fide & Symbolo c. 1. *Fides*, inquit, *à nobis duplex officium exigit*, *cordis & linguæ.* Et ratio est, quia nulla est vera virtus, quæ per actus internos non tendat ad actus exteriores, ut Religio ad cultum exteriorem Deo exhibendum, misericordia ad sublevandum pauperem, cujus interiùs miseretur, fortitudo ad subeunda mortis pericula, ubi recta ratio illud exigit; nec crederetur Religiosus, misericors, fortis, qui nollet data occasione, exteriùs Deum colere, misero opem ferre, mortis periculum subire. Ergo à pari, qui habet in corde affectum credulitatis, non quiescit in assensu interno rebus revelatis; sed prorumpit in actus exteriores, qui respondeant interno illi affectui: *Credidi*, inquit Regius Psaltes Psal 115. *propter quod locutus sum.* Similiter Apostolus 2. Cor. 4. *habentes autem eundem Spiritum fidei . . . & nos credimus*, *propter quod & loquimur.* Et Glossa in illud 2. Thessal. 1. *Impleat . . . opus fidei in virtute*, *ut clarificetur nomen Domini*, dicit opus fidei esse confessionem. Denique sanctus Augustinus vult Fidem ita appellari, quia per eam fit quod dicitur, *quis est*, inquit Serm. 148. aliàs Hom. 17. *qui non credit*, *quòd Jesus sit Christus? qui non sic vivit*, *quomodo præcepit Christus. Multi enim dicunt: Credo. Sed Fides sine operibus non salvat. Opus autem Fidei ipsa dilectio est*, *dicente Paulo Apostolo*, & Fides, quæ per dilectionem operatur . . . *Cum dilectione Fides Christiani: sine dilectione fides dæmonis.* Non itaque sola oris confessio, sed quæcunque alia exterior actio relata ad finem fidei, est opus fidei, non quidem elicitum, sed imperatum.

Q. 2. *Confessio Fidei estne ad salutem necessaria necessitate medii, sicut interior mentis assensus?*

R. Per

R. Per ſe non eſt neceſſaria, niſi neceſſitate præcepti; quia infidelis juſtificatus per actum perfectæ contritionis, hoc eſt, per Fidem, quæ per charitatem operatur, ſalvari poterit, ſi decedat priuſquam occaſio profitendi fidei ſeſe obtulerit: Ergo confeſſio fidei neceſſaria non eſt neceſſitate medii: ſed præcepti tantùm.

Dixi, *per ſe;* nam per accidens poteſt eſſe neceſſaria neceſſitate medii, putà ratione Baptiſmi, in quo fit profeſſio fidei.

Q. 3. *Quotuplex eſt præceptum confeſſionis fidei?*

R. Duplex, affirmativum nempe, quo fidei confeſſio imperatur, & negativum, quo prohibetur fidei negatio, ſive verbis, ſive factis; habitus enim eſt contrariorum, inquiunt Philoſophi, hoc eſt, eadem virtus, quæ inclinat ad actum honeſtum, avertit ab actu contrariè oppoſito: eodem præcepto, quo jubemur proximum diligere, parentes colere, prohibemur proximum odiſſe, & parentes contumelia afficere: Ergo eodem fidei præcepto tenemur, & Fidem non negare, & Fidem aliquando profiteri.

Q. 4. *Quandonam obligat præceptum affirmativum profitendi fidem?*

R. Cum S. Thoma qu. 3. art. 2. duobus in caſibus obligare, nimirum cùm per omiſſionem confeſſionis *ſubtraheretur honor debitus Deo, aut etiam utilitas proximis impendenda, putà, ſi aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non eſſet vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide. In hujuſmodi enim caſibus confeſſio fidei eſt de neceſſitate ſalutis.*

Confir-

Confirmatur auctoritate Innocentii XI. qui anno 1679. hanc propositionem quorundam Modernorum proscripsit, *si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo: tacere ut peccaminosum per se, non damno.*

Duo sibi objicit Angelicus Doctor. Primum: proprius finis fidei est conjungere mentem humanam veritati divinæ: atque id fieri potest absque exteriori confessione: ergo. Secundum, tradere aliis doctrinam fidei, non est cujuslibet fidelis: atqui exterior fidei confessio est quædam fidei doctrina: ergo non exigitur à quolibet fideli.

Respondet ad primum, finem fidei, sicut & aliarum virtutum debere referri ad finem charitatis. *Et ideò quando honor Dei, vel utilitas proximi hoc exposcit, non debet esse contentus homo, ut per fidem suam ipsi veritati divinæ conjungatur: sed debet fidem exteriùs confiteri.* Ad secundum autem, *in casu*, inquit, *necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum Fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem.* Multò magis sapientum mundi, *à quibus puritatis virtus*, ut loquitur sanctus Gregorius Lib. 10. Moral. cap. 1. *fatuitas creditur, & quod in opere fidei veritas approbat, illud vituperant, & in derisum vertunt*, quæ quidem derisio, ex sancto Thoma 2. 2. quæst. 75. art. 2. *valde nociva est, quia per hoc homines à bene agendo impediuntur, secundùm illud Gregorii, qui in aliorum actibus exoriri bona respiciunt, mox ea manu pestiferæ exprobrationis evellunt.* Quare qui tacet aut dissimulat in ejusmodi circumstantiis, fidem videtur deserere, nec illud Christi Luc. 9. vers. 26. effugiet, *qui me erubuerit*

&

& meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua.

Quod ſpectat negativum fidei præceptum, certum eſt illud obligare ſemper & pro ſemper, quia nunquam licet malè agere: atqui fidem negare ſive ex animo, ſive ex ſimulatione tantùm eſt actio per ſe mala: ergo.

Dices 1. Jehu Lib. 4. Regum cap. 10. ſimulavit ſe velle ſacrificare idolo Baal, ac propterea laudatur v. 30. ergo licet aliquando ſimulare falſam Religionem.

Nego conſequens, laudatur quidem Jehu, quòd cultum Baal deſtruxerit; ſed ſimulatio ejus vocatur à S. Auguſtino Lib. de Mendacio cap. 2. impium mendacium.

Dices 2. Eliſeus 4. Regum 5. v. 19. permiſit Naaman Syro adorare in templo Remmon: ergo.

Diſtinguo antecedens, Permiſit adorare, id eſt, incurvare ſe, dum Rex, qui ſolebat illi inniti, ad adorandum procumberet, Concedo: permiſit adorare idolum ſive ex animo, ſive per ſimulationem, Nego antecedens.

Q. 5. *Peccaretne contra præceptum negativum fidei, qui negaret ſe Sacerdotem, aut Miſſæ Sacrificio interfuiſſe?*

R. Minimè, quia mendacium illud eſt non fidei negatio, ſed conditionis aut actionis cujuſdam, ſine qua poteſt quis eſſe Chriſtianus & Catholicus.

Q. 6. *Licetne Chriſtiano ad declinandam perſecutionem geſtare veſtes infidelium?*

R. Non licet, ſi veſtes illæ ſint ſigna determinata falſæ Religionis, ſecus ſi diſtinguant duntaxat nationem à natione, Turcam v.g. ab Hiſpano.

Ex

Ex quo ſequitur eum peccare contra Fidem,

1. Qui cœnam manducaret cum Hæreticis, ne v. g. offenſam patris incurreret, & ab ipſo fortè exhæreditaretur; quia actio illa eſt ſignum falſæ Religionis.

2. Qui tempore perſecutionis libellum acciperet ab infideli Magiſtratu ſibi familiari, quo ſignificaretur, quamvis falſò, ipſum ſatisfeciſſe impio edicto; qui ſimularet falſam Religionem. Hinc graves expoſtulationes S. Cypriani Serm. de lapſis, & Cleri Romani Epiſtola, quæ eſt 31. inter Epiſtolas S. Cypriani, adverſùs Libellaticos, quos in numero Apoſtatarum à fide reponunt, eo quòd ejuſmodi libellis pretio comparatis, viderentur ſacrificâſſe idolis.

3. Qui manducaret carnes præcepto Eccleſiaſtico certis diebus, puta Quadrageſimæ vetitas, in hypotheſi quòd Princeps hæreticus, in odium Religionis Catholicæ, omnibus ſubditis præcepiſſet ejuſmodi carnibus veſci; in hac quippe hypotheſi eſus ille eſſet ſignum falſæ Religionis; & ideo Eleazarus maluit mori, quàm carnes ſuillas Lege veteri prohibitas comedere, 2. Machab. 6. Extra verò hunc caſum, liceret ad vitandam perſecutionem, manducare carnes Lege Eccleſiaſtica prohibitas; quia Lex humana non obligat cum tam gravi detrimento, ut diximus Tract. de Legibus.

4. Contra Fidem peccaret, qui intereſſet conventibus & concionibus Hæreticorum, ſi extaret edictum obligans ad ejuſmodi conventus & conciones in ſignum falſæ Religionis. Secus ſi nullum tale eſſet edictum, nec periculum propriæ

priæ ſalutis, nec ſcandalum. Sed de iis plura, ubi de ſcandalo.

Q. 7. *Qui ſimulatè thus coram idolo incenderet animum ad Chriſtum dirigens, amitteretne fidem?*

R. Graviter quidem peccaret contra negativum Fidei præceptum, ſed Fidem non amitteret, utpote qui mente firmiter adhæret revelationi divinæ per Eccleſiam propoſitæ.

Q. 8. *Qui fugit tempore perſecutionis, peccatne contra præceptum poſitivum confitendæ fidei?*

R. Non peccat, ſi ex ejus fuga nullum oriatur Fidei ſcandalum, juxta ea, quæ diximus ad quartum quæſitum. Probatur autem reſponſio, 1. ex Scriptura Matth. 10. *Cùm perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam.* 2. Exemplo Apoſtolorum, S. Athanaſii, & aliorum Sanctorum, qui fugerunt. 3. Judicio Eccleſiæ, quæ Tertullianum nimiæ ſeveritatis & erroris arguit, quòd quemlibet fugientem damnaret. 4. Quia qui fugit, Fidem profitetur, nedum neget; non enim fugeret, ſi Fidem abjurare vellet. 5. Quia qui maneret abſque neceſſitate aut utilitate, culpandus eſſet; quia ex S. Thoma 2. 2. qu. 124. art. 1. ad tertium: *Non debet homo occaſionem dare alteri injuſtè agendi.*

Dices: Chriſtus Joan. 10. reprehendit mercenarium, qui videt lupum venientem, & fugit: Ergo fugere eſt contra confeſſionem fidei.

Nego conſequens: Si ut jam diximus, fuga illa non conjiciat proximum in periculum amittendæ Fidei, alioquin Paſtor fugiens tempore perſecutionis, non magis contra Fidem peccaret, quàm ſi fugeret tempore peſtis. Ad ſummum deeſſet Paſtorali officio, *bonus enim Paſtor dat animam ſuam*

pro ovibus ſuis, Joan. 10. ſcilicet cùm id neceſſitas aut evidens utilitas poſtulat; nam in quibuſdam circumſtantiis prudentia exigit, ut vitam pro grege & communi Eccleſiæ utilitate conſervet. Conſule in hanc rem egregiam S. Auguſtini Epiſtolam 228. aliàs 180.

CAPUT IV.

De Peccatis Fidei oppoſitis.

Q. 1. *Quot ſunt peccata Fidei oppoſita?*

R. Tria vulgò numerantur, ſcilicet infidelitas, hæreſis, & Apoſtaſia. Qui enim non aſſentitur rebus à Deo revelatis, vel Fidem ſeu Baptiſmum nunquam ſuſcepit, ut Pagani, qui colunt idola, Mahumetani & Judæi; & privatio ſive carentia Fidei in eo dicitur infidelitas, quæ dividitur in Paganiſmum, Mahumetiſmum, & Judaiſmum: vel ex parte recedit à Fide, quam amplexus fuerat in Catechumenatu, aut in Baptiſmo, & privatio Fidei in illo dicitur hæreſis à verbo Græco *αἱρεῖναι*, quod ſignificat, *eligo*, quia Hæreticus non omnibus, quæ docet Eccleſia, mentem ſuam ſubjicit; ſed ex illis eligit, quæ videntur veriſimiliora; contra illud Tertulliani Lib. de Præſcript. cap. 6. *nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere, quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit*, vel denique Catechumenus, aut baptizatus totaliter Fidem & Auctorem ejus Chriſtum abjicit, tranſitque ſive ad Paganiſmum, ſive Mahumetiſmum, ſive Judaiſmum, & illa Fidei abdicatio dicitur apoſtaſia. Addi poſſet quarta peccati ſpecies contra Fidem, nempe Atheiſmus, quo quis nullum

agnoſcit Deum, nequidem falſum, quemadmodum Paganus.

Q. 2. *Illa peccatorum diviſio ſitne per differentias eſſentiales, quæ conſtituant diverſas phyſicè peccati ſpecies?*

R. Minimè; quia omnia illa peccata pugnant contra unam ſpecie virtutem Fidei, & contra unicum ejus objectum formale, nimirum revelationem divinam ab Eccleſia propoſitam.

Differunt ergo ſolùm accidentaliter, quatenus unum, v.g. apoſtaſia ad plura ſe extendit, quàm hæreſis, & reperitur in alio ſubjecto, quàm infidelitas. Baptizatus tamen teneretur exprimere in Confeſſione Sacramentali, an à Fide receſſiſſet per apoſtaſiam, vel per atheiſmum, vel per hæreſim duntaxat; quia duo priora peccata longè ſunt graviora. Adde quòd apoſtaſia vulgò ſit tranſitus ad profeſſionem falſæ Religionis, putà ad Paganiſmum, Judaiſmum, vel Mahumetiſmum. Porrò ſuperſtitioſi illi cultus ſunt peccata ſpecie diſtincta.

Q. 3. *Quotuplex eſt infidelitas?*

R. Duplex, nempe negativa, & poſitiva. Negativa eſt defectus, ſeu, ut ajunt, carentia fidei in eo, qui nihil unquam audivit, nec audire potuit de Evangelio. Poſitiva eſt privatio fidei in eo, qui Evangelium audivit, & ei contradicit, vel ſaltem credere contemnit.

Q. 4. *Infidelitas eſtne peccatum?*

R. Negativa peccatum non eſt; ſed pœna peccati: poſitiva verò eſt peccatum formaliter, utpote quæ ſit voluntaria. Ita S. Thomas quæſt. 10. art. 1. *Infidelitas*, inquit, *dupliciter accipi poteſt, uno modo ſecundùm puram negationem: ut dicatur infidelis ex hoc ſolo quòd non habet fidem. Alio modo poteſt intelligi*

ſecundùm contrarietatem ad fidem, qua ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipſam. Et in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis, & ſecundùm infidelitatem eſt peccatum. Si autem accipiatur ſecundùm negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis conſecuta eſt. Qui autem ſic ſunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt: non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Unde Dominus dicit Joan. 15. ſi non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. Sed de eis plura Tract. de Gratia paſſim, & Tract. de Actibus humanis, ubi de ignorantia.

Q. 5. *Debentne tolerari infidelium ritus?*

R. Vel infideles ſunt politicè ſubditi: vel non ſunt ſubditi. Si primum, poſſunt impediri eorum ritus; quia Principes jus habent impediendi in ſuo regno ea, quæ pugnant ſive adverſùs Legem naturæ, ut idololatria; ſive adverſùs veram Religionem, ut hæreſis; ſermo enim infidelium ut cancer ſerpit, & facilè pacem Reipublicæ perturbat. Hinc Leges tum Conſtantini de claudendis Paganorum templis, & ſacrificiis abolendis; tum aliorum Imperatorum de Hæreticis puniendis. Si ſecundum, tolerari debent, nec licet eis bellum inferre præciſè ob injuriam illatam Deo per idololatriam, inceſtus, adulteria, &c. quia ad horum vindictam ſumendam requiritur juriſdictio, qua carent Principes Chriſtiani in non ſubditos.

Dixi, *præciſè:* nam ſi illa Dei injuria in ſubditos Regis redundaret, v. g. contumeliis fidem illorum proſcinderent, filias aut uxores eorum pelli-

pellicerent, bona invaderent, Principes Chriſtiani illos licitè ac juſtè punirent.

Q. 6. *Princeps Chriſtianus poteſtne tolerare ritus infidelium ſubditorum?*

Reſpondet S. Thomas q. 10. art. 11. poſſe juſta de cauſa; quia *humanum regimen*, inquit, *derivatur à divino regimine, & ipſum debet imitari. Deus autem, quamvis ſit omnipotens & ſummè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in univerſo, quæ probibere poſſet, ne eis ſublatis, majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala ſequerentur. Sic ergo in regimine humano, illi qui præſunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur, ſicut Auguſtinus dicit in Libro de Ordine, aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.*

Q. 7. *Licetne communicare cum infidelibus?*

R. Licet in civilibus, modò abſit ſcandalum vel periculum ſubverſionis; id enim permittit Apoſtolus 1. Cor. 10. v. 27. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate.* Et Tertullianus Lib. de Idololatria cap. 14. *Licet*, inquit, *convivere cum Ethnicis, commori non licet: convivamus cum omnibus, collætemur ex communione naturæ, non ſuperſtitionis: pares anima ſumus, non diſciplina, compoſſeſſores mundi, non erroris.*

Cùm autem Judæi præ cæteris infidelibus infeſti ſint Religioni Chriſtianæ, & ſoliti eam blaſphemiis proſcindere, Jure Canonico, Cap. *Omnes*, cap. *Nullus*, 28. qu. 1. & cap. *Judæus*, extra. tit. de Judæis, prohibentur Chriſtiani cum eis habitare, comedere, in balneo lavari, ab eis medicinam accipere, & in ipſorum ſervitio commorari.

R. 2. Nefas eſt directè & proximè communicare cum infidelibus in eorum ſuperſtitioſis riti-

bus, putà Sacrificiis, Luſtrationibus, Feſtis, &c. quia illa ſunt per ſe mala, & ab Apoſtolo expreſſè prohibita, 2. Cor. 6. *Nolite ducere jugum cum infidelibus . . . . quæ autem conventio Chriſti ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli?*

R. 3. Licet indirectè & remotè communicare cum infidelibus in iis, quæ cùm per ſe ſint indifferentia, æquè in bonum uſum ac in ſuperſtitioſum converti poſſunt, v. g. vendere agnos, boves, pannos, flores, &c. quibus fortè infidelis emptor utetur ad Sacrificia & cultum idolorum; quia cùm abuſus ille ſequatur per accidens reſpectu vendentis, non poteſt illi imputari.

Dixi, *remotè*; graviter enim peccaret, qui proximè cooperaretur ſacrilegiis infidelium, v. gr. qui veſtes conficeret in ornatum idoli, agnum venderet Judæo, ſciens non emi, niſi ad immolandum: ſtatuam Apollinis exculperet in idolum erigendam; quia etſi res illæ per ſe indifferentes ſint, in iis tamen circumſtantiis determinatæ ſunt tanquam media ad finem per ſe malum.

Confirmatur; quamvis venenum & arma per ſe vendere licitum ſit, quia Reipublicæ æquè utilia ac noxia eſſe poſſunt; in omnium tamen ſententia reus eſt homicidii, qui vendit vel toxicum noto venefico, vel enſes mox duello conflicturis: Ergo à pari particeps eſt idololatriæ, qui effingit ſtatuam in idolum convertendam. *Tu colis*, inquit Tertullianus Lib. de Idol. cap. 6. *qui facis ut coli poſſint. Colis autem non ſpiritu viliſſimi nidoris alicujus ſed tuo proprio, nec anima pecudis impenſa, ſed anima tua. Illis ingenium tuum immolas, illis ſudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis.* Et cap. 8. dicit eandem eſſe rationem templi, aræ, ædi-

ædiculæ, & domus in honorem idolorum. Cap. autem 4. & 5. oſtendit, quàm meritò ſua ætate diſciplina Eccleſiæ non reciperet picturæ & ſculpturæ artes, utpote quæ (idololatria tum ubique diffuſa) magis ad cultum idolorum, quàm ad alios licitos uſus deſervire viderentur, tandemque excuſationes ejuſmodi artificum refellit. *Jam*, inquit, *illa objici ſolita vox: non habeo aliud quod vivam diſtrictiùs repercuti poteſt, vivere ergo habes? Quid tibi cum Deo eſt, ſi tuis legibus? .... Pateat ergo Eccleſia omnibus* (etiam falſariis, furibus) *qui manibus & ſuo opere tolerantur, ſi nulla eſt exceptio artium, quas Dei diſciplina non recipit.*

Dices: In caſu neceſſitatis licet petere juramentum ab Ethnico, quamvis per falſos Deos prævideatur juraturus, Sacramenta à peccatore, & mutuam pecuniam ab uſurario: Ergo licitum eſt communicare indirectè etiam proximè peccato alterius.

R. 1. Si exemplis agatur, quæ in moralibus ſæpius fallunt, oppono cenſuram, qua Innocentius XI. & Clerus Gallicanus hanc propoſitionem perſtrinxerunt. *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties ei ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, putà ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.*

Cenſura autem Cleri Gallicani ſic ſe habet: *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, pernicioſa; verbis Dominicis & Apoſtolicis apertè contraria, & hæretica:* quam *enim* dabit homo commutationem pro anima ſua? Matth. 16. v. 26. Rom. 1. v. 32. Et digni ſunt

morte non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Ex quo exemplo concluderet aliquis contra argumentum, quod nobis objicitur: Ergo nunquam licet indirectè communicare peccatis alienis. Quare ad elucidandam utcunque rem in moralibus & praxi omnium difficillimam.

R. 2. Negando consequentiam; neque enim invocatio falsi numinis in juramento, neque sacrilegium in administratione Sacramenti, neque usura in mutuo, proximè sequuntur ex actione seu postulatione alterius, utpote qui non petat ab Ethnico, à Sacerdote impio, & ab usurario nisi opus honestum, quod honestè & piè præstare possunt ac debent: abusus autem juramenti, Sacramenti, & mutui, per accidens est respectu petentis, ac proinde non est ipsi tribuendus, cùm ad illum non tendat ejus petitio, sed malæ voluntati duntaxat Ethnici, Sacerdotis, & usurarii ascribendus. Sic caupo apponit vinum hospitibus, famulus domino suo, quo contingit eos inebriari, sed præter intentionem ministrantium; ministerium quippe eorum non erat actio determinatè tendens ad ebrietatem, sed ad honestam corporis refectionem. At famulari Ethnico ad idolum effingendum, adultero ad adulterium, furi ad furtum, homicidæ ad homicidium, ebrioso ad ebrietatem, nempe fundendo vinum, dum penè temulentus est, sunt actiones per se malæ, cùm determinatè tendant ad opus per se illicitum, nec proinde faciendæ ullo timore pœnæ etiam gravissimæ.

Confirmatur. Magistratus capite damnat & quidem justè, eum qui metu gravioris pœnæ coopera-

operatus eſt hero ad furandum, vel ad interficiendum adverſarium, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile præſtando. Quid ita, niſi quia eſt cauſa voluntaria damni proximo allati? Ergo qui ſciens & volens cooperatur ad idololatriam, fabricando idolum, ad ſtuprum aperiendo januam, deferendo litteras amatorias, ad ebrietatem infundendo pocula vino jam ſemigravi, eſt cauſa moralis ejuſmodi criminum. Sed de his iterum, ubi agemus de ſcandalo.

Aliæ moventur quæſtiones circa infidelitatem, 1. an infideles ſint capaces dominii. 2. an licitè poſſint cogi ad fidem. 3. an, ipſis invitis, liceat baptizare eorum infantes. Sed iſta alibi expendimus. Primum quidem, Tract. de Juſtitia & Jure cap. 16. Secundum & tertium, Tract. de Baptiſmo cap. 8.

Q. 8. *Quid eſt hæreſis?*

R. Eſt hominis Chriſtianiſmum profitentis error pertinax contra veritatem immediatè à Deo revelatam, & ab Eccleſia propoſitam.

Dicitur 1. *hominis Chriſtianiſmum profitentis;* quia ex dictis, hæreſis eſt fidei jam ſuſceptæ ejuratio.

Dicitur 2. *error pertinax;* namque ex ſancto Auguſtino Epiſt. 43. aliàs 162. relata cap. *Dixit Dominus* 24. quæſt. 3. *qui ſententiam ſuam, quamvis falſam atque perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt .... corrigi parati, cùm invenerint, nequaquam ſunt inter Hæreticos deputandi.*

Ergo qui ex ignorantia etiam craſſa aut affectata, contrarium aliquid fidei credit, quamvis ob negligentiam culpandus ſit, hæreticus tamen non eſt; quia error illius eſt ſine pertinacia; *errare potero,* inquit S. Auguſtinus, *ſed hæreticus non*

 ero;

ero; nimirum quia se sentiebat paratum deferre judicio Ecclesiæ.

Dicitur 3. *contra veritatem immediatè revelatam*; quia si quis affirmet aut neget contra Conclusionem Theologicam, quæ mediatè tantùm revelata est, propositio ejus dicitur erronea, non verò hæretica: si contra communem Theologorum sententiam, propositio est temeraria: si verba tendant ad solvendam Ecclesiæ unitatem, turbasque excitandas, propositio est schismatica: si in peccatum inducant, & ab officiis pietatis avertant, propositio est scandalosa.

Q. 9. *Licetne legere libros Hæreticorum?*

R. 1. Jure naturali iis interdicitur Librorum Hæreticorum lectio, quibus est occasio peccati & ruinæ. Responsio per se patet. Sed difficultas est, utrùm aliqua lege positiva omnibus prohibeatur ejusmodi lectio.

R. 2. Nulla est lex positiva in Galliis recepta, quæ absolutè & generaliter prohibeat lectionem quorumlibet Librorum Hæreticorum, sive jam editi, sive in posterum edendi fuerint, sed satis fuit Ecclesiæ Pastoribus, & Christianis Principibus interdicere eorum Hæreticorum Libros, quorum errores compescere ac extinguere studuerant. Sic Leo X. & Paulus III. Lutheranorum Libros prohibuerunt, Concilium Constantiense Wicleffi, Nicænum II. Iconoclastarum, Chalcedonense Eutychetis, Ephesinum Nestorii, Nicænum I. Arii, ut refert Nicephorus Lib. 8. Hist. cap. 18. Imperatores quoque suam auctoritatem interposuêre, ut ejusmodi ex hominum memoria prorsus delerentur.

Constantinus apud Socratem Lib. 1. Hist cap. 6. Arii

Arii ſcripta cremari juſſit, vetuitque ſub pœna capitis ne retinerentur, aut legerentur. Idipſum præſtitere Theodoſius & Valentinianus lege 3. de ſancta Trinitate.

Ex his intelliges, quàm periculoſa, quámque noxia ſemper viſa fuerit Patribus lectio Librorum Hæreticorum, præſertim indoctis & ſemidoctis hominibus, ſive Laicis, ſive Clericis. Enimverò ſi quivis litigans per ſcriptum, in quo momenta ſuæ cauſæ exponit, & argumenta partis adverſæ explodere nititur, Lectorem in ſuam ſententiam facilè trahit, aut ſaltem inclinat; quî non commovebitur ſemidoctus ex captioſis & fallacibus argumentis vafrorum Hæreticorum? namque ex Apoſtolo 2. Tim. 2. v. 17. *ſermo eorum ut cancer ſerpit.* Hinc paſtoralis ſolicitudo hactenus cavit, ne ejuſmodi Libri manibus tenerentur, niſi eorum, quorum officium eſt, ſanam doctrinam tueri, & contradicentes refellere. Et hæc de Libris Hæreticorum.

Sed non minùs, imo multò magis periculoſa ſunt ſcripta fucatis quibuſdam luminibus reſperſa Pſeudo-Politicorum, & impiorum hominum, quos Libertinos vocant, ut qui Fidem ſibi facere præſumant, & ab Eccleſia accipere dedignentur, homines mente corrupti, modicæ, & ut veriùs dicatur, nullius Religionis; Religio quippe ita vocatur, quia mentes auctoritati divinæ ſubjicit, & ligat Eccleſiæ, per quam divina oracula nobis panduntur. Illi autem, ſpretis credibilitatis motivis, quibus tanquam validiſſimis vinculis æterna ſapientia prudentes quoſque Doctrinæ Catholicæ aſtrictos tenet, ſaniora, ut illis videtur, quàm ſcripſerint Apoſtoli, meditantur, alteram Religio-

nem,

nem, eamque præſtantiorem excogitare ac delineare non verentur, & fallaci ingenii acumine, ac fucata ſcribendi facundia ita legentium oculos perſtringunt, ut difficilè reperiatur, qui ex eorum conſuetudine, vel ex frequenti ſcriptorum lectione non fluctuet circa fidem, qui jam judicata non retractet, atque ex proprio ſenſu temerè definiat. Quamobrem nihil in Religione, ac moribus magis peſtiferum infeſtumque, quàm ejuſmodi Libri. Sub gravibus quidem pœnis prohibentur, ſicut & omnium Hæreticorum Libri in Bulla, quæ dicitur *in Cœna Domini;* & in Indice; ſed ejuſmodi Leges non vigent in Gallia, ut jam monuimus.

Q. 10. *Cur Pius IV. in Indice ipſius auctoritate edito, probibet Bibliorum ſacrorum in vulgarem linguam converſorum lectionem?*

R. Rationem affert ibidem hiſce verbis: *Cùm experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus ob hominum temeritatem detrimenti, quàm utilitatis oriri, hac in parte judicio Epiſcopi aut Inquiſitoris ſtetur, ut cum conſilio Parochi vel Confeſſarii à Catholicis Auctoribus verſorum lectionem in vulgari lingua eis concedere poſſint, quos intellexerint ex ejuſmodi lectione non damnum, ſed fidei ac pietatis augmentum capere poſſe.* Circa quam regulam nonnulla notanda ſunt.

Primò, lectio ſacræ Scripturæ hac ſanctione ne ipſis quidem mulierculis ac rudioribus abſolutè interdicitur; ſed iis duntaxat, qui ex ea plus detrimenti, quàm utilitatis acciperent, ut legenti perſpicuum fiet.

Secundò, conſtat experientia, lectionem ſacræ Scripturæ quibuſdam eſſe noxiam, ac primò quidem Hæreticis, & aliis nimiùm de ſe præſumentibus;

bus; nam ex sancto Augustino Tract. 10. in Joan. *neque natæ sunt hæreses, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.* 2. Nonnullis etiam Catholicis, quos comperimus vel lapsos, vel gravibus tentationibus agitatos ex lectione quorundam capitum Geneseos & Ezechielis, quæ apud Judæos juvenibus non licebat legere, sicut nec Canticum Canticorum. Denique, annon cum evidenti salutis periculo, legerent Epistolam ad Romanos, qui jam præcipites ruunt in desperationem, quique vix divelli queunt à præconcepta opinione, quòd conditi sint ad pœnas æternas, nec sit eis liberum declinare à malo, & facere bonum?

Tertiò, detrimenta illa spiritualia non nascuntur ex sacris Scripturis, quemadmodum ex Hæreticorum, & aliorum impiorum hominum libris; sed ex temeritate, & malè affecta voluntate legentium; nam ex Apostolo 2. Tim. 3. v. 16. & 17. *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Absit ut credatur verba à Spiritu Sancto dictata posse ad aliud incitare, quàm ad amorem Dei, & fugam peccati. Sed quemadmodum Sacramenta per se efficacia ad sanctificandos Fideles, obsunt tamen malè dispositis; ita & lectio sacrarum Litterarum. Quæ autem animi præparatio sit ad eas afferenda, latè exposuimus in Proleg. pag. 24. & sequentibus.

Quartò, spectandum est qua occasione fuerit præscripta ejusmodi regula, nempe cùm Novatores palàm & ubique deblaterarent quemlibet privatum,

vatum, præſertim ſi firmiter credat ſe prædeſtinatum, interiùs edoceri à Spiritu Sancto, quis ſit Scripturæ ſenſus, adeò ut Cerdones & Sartores eam non lectitarent modò, ſed etiam enucleare, & ex ea diſputare præſumerent, non ſine magna Eccleſiæ perturbatione, & evidenti infirmorum periculo. Quid verò in ejuſmodi anguſtiis conſultius facere potuit vigilantia paſtoralis, quàm confirmare primùm Canones, quibus prohibetur Laicis ſub pœna excommunicationis ferendæ, diſputare de rebus Fidei, ut Cap. *Quæcunque §. inhibemus:* tit. de Hæreticis in 6. deinde è manibus indoctorum auferre ſacra Biblia vulgari lingua edita? Sed abſurdiſſimo errore cum ſuis auctoribus nunc anathemate perculſo, & procul ejecto, amotum eſt periculum, quod Eccleſiæ filiis imminebat, Paſtoreſque liberiùs repetunt priſtinum morem, quo ſubditos urgebant, maximè eos, qui ſæcularibus negotiis diſtendebantur, ut ſacras Litteras frequentiùs legerent, meditarenturque: *tuum eſt magis, qui negotiis vacas,* inquit S. Chryſoſtomus Hom. 3. de Lazaro, *perpetuò ſtas in acie, frequentes accipis plagas. Non poteſt fieri, non poteſt, inquam, ut quiſquam ſalutem aſſequatur, ni perpetuò verſetur in lectione ſpiritali.* Tum prævertens excuſationem eorum, qui paupertatem cauſari ſolent, quominus emant ſacros Libros, ſic pergit: *Sunt inſtrumenta noſtræ artis, quibus animam noſtram fabricamus. Nunquam artifex in quacunque neceſſitate fuerit, vendet inſtrumenta ſuæ artis. Hoc inſtrumento vas ligneum poteris reddere aureum in honorem ſanctificatum. Quemadmodum arma regalia repoſita iis, qui habitant, magnam præbent cuſtodiam . . . . . . ſic ubicunque fuerint Libri ſpirituales, illinc expellitur omnis vis diabolica,* multa-

multaque inhabitantibus accedit consolatio, quandoquidem ipse etiam Librorum aspectus potest nos reddere segniores ad peccatum. Sed plura de fructibus, qui ex lectione Scripturæ sacræ percipi possunt, & de animi præparatione ad eam afferenda diximus Prolegomenis toto capite tertio jam citato, & consulendo.

5. Cùm laudata Regula ad consilium Confessarii referat, qui ex lectione sacrorum Librorum non damnum, sed fidei ac pietatis augmentum capere possint, satis intelligitur ipsius officii esse, ut exploret, num pœnitentes sacræ Scripturæ vacent, vel non. Si lectitent, inquiret, quo fine, an gloriæ & honorum cupiditate aut curiositate, ut plerumque accidit Scholaribus, qui Libros sacros evolvunt ea ferè mente, qua Philosophi Scholæ suæ Principes consulunt, nempe ut litteram duntaxat, quæ occidit, assequantur, nullatenus soliciti promereri Spiritum, qui solus vivificat. Si negligunt: sicut ad frequentem Sacramentorum usum, sic ad sacram lectionem hortabitur, maximè Clericos; ideo quippe Scriptura sancta dicitur à Patribus Liber Sacerdotalis, seu Manuale; quia nunquam excidere debet ex eorum manibus; quin ejus lectionem, si necesse sit, imponet veluti in pensum quotidianum, indoctisque indicabit, quas Bibliorum partes majori cum fructu legere debeant. Sed quia Sancta sanctè tractanda sunt, imprimis suas curas conferet, ut singuli ea, qua par est, reverentia, pietate, ac studio sacræ illi lectioni incumbant.

Q. II. *Quænam sunt Hæreticorum pœnæ?*

R. In Jure Canonico plures numerantur extra. tit. de Hæreticis, & in 6. eodem titulo, ut excommu-

communicatio, irregularitas, tum eorum, qui hæresim professi sunt, tum filiorum. Sed in Gallia nec filii nec patres ad Ecclesiam reversi censentur irregulares.

Q. 12. *Quotuplex est apostasia?*

R. Quadruplex vulgò recensetur, nempe apostasia à Fide, ab Obedientia, à Religione, & ab Ordine. Sed prima duntaxat pertinet ad materiam, quam hìc tractamus.

Apostasia à Fide est infidelitas, qua Christus & Fides Christiana jam suscepta penitus deseritur. Supra autem diximus, apostasiam à Fide non differre ab hæresi, nisi accidentaliter secundùm magis & minus; apostasia quippe est totalis desertio Fidei & Auctoris ejus; hæresis verò est desertio duntaxat quorundam dogmatum. Unde Calvinistæ non sunt Apostatæ, si strictè loquamur, sed Hæretici, utpote qui Christo adhæreant, & plura Fidei dogmata retineant.

Apostasia ab Obedientia est ea, qua quis præcepta Prælati non solùm negligit, quod est inobedientiæ, sed insuper iis formaliter se opponit, eaque contumax abjicit.

Apostasia à Religione, est criminosa recessio à quolibet Ordinis Religiosi instituto, cum proposito non revertendi, sive retineatur habitus, sive abjiciatur.

Dicitur 1. *criminosa recessio*; quia qui licitè recedit, ut electus ad Dignitatem Episcopalem, non est apostata.


Dicitur 2. *à quolibet Ordinis Religiosi instituto*; si quis enim sine dispensatione recedit ad laxiorem,

quam-

quamvis graviter peccet, imò excommunicationem incurrat, ſi ſit ex Ordine Mendicantium, ex extravag. 1. de Regularibus, non eſt tamen Apoſtata.

Dicitur 3. *Cum propoſito non revertendi;* qui enim habet animum redeundi aut permanendi in ſtatu Religioſo, vagus eſt, non apoſtata, etiamſi habitum dimiſerit ad tempus. Sed Religioſus profeſſus habitum temerè dimittens, incurrit excommunicationem, cap. *Ut periculoſa*, tit. *Ne Clerici, vel Monachi*, in 6. Cenſetur autem habitum dimittere, qui omninò abſcondit, ita ut nullum ſignum præſeferat, quo Religioſus deprehendi poſſit.

Apoſtaſia ab Ordine eſt ea, qua quis à ſacris Ordinibus dimiſſo habitu, tranſit ad ſtatum laicæ converſationis, putà conjugii.



* *
* *

SECUNDA PARS
De Spe.

Spei nomen aliquando uſurpatur metaphoricè, 1. pro ipſa re ſperanda, ut Tit. 2. *expectamus beatam ſpem*. 2. Pro cauſa efficiente, ſive principe, ſive inſtrumentali ſpei noſtræ; quo ſenſu dicitur amico præpotenti, quòd ſit unica ſpes noſtra, hoc eſt, quòd per ipſum ſolum ſperemus conſequi finem optatum. Sic compellamus Deum Pſalm. 90. *Tu es, Domine, ſpes mea*, id eſt, tua gratia tuoque auxilio nititur ſpes mea, & Beatam Virginem tanquam cauſam inſtrumentalem ſpei noſtræ, *vita, dulcedo, & ſpes noſtra, ſalve*. Sed propriè ſumitur pro ſperandi vel actu, vel habitu, ut 1. Cor. 13. nunc tamen manent tria hæc, Fides, ſpes, & charitas. Hìc agitur de Spe poſteriori modo ſumpta, circa quam quæremus 1. Quid ſit. 2. Quodnam ejus objectum. 3. Utrùm & quomodo differat à fide & charitate. 4. Quæ ejus neceſſitas. 5. Quæ certitudo. 6. Quæ peccata ipſi oppoſita. 7. Quæ ejus cauſæ. 8. Qui effectus.

CAPUT PRIMUM.
De Spei definitione, objecto, & diviſione.

Spes propriè dicta ſpectari poteſt genericè & ſpeci-

ſpecificè; alia enim eſt appetitus ſenſitivi, quæ dicitur paſſio, quamque ſanctus Thomas 1. 2. quæſt. 40. artic. 3. agnoſcit in belluis: alia eſt appetitus rationalis ſeu voluntatis, & hæc totuplex eſt, quotuplex eſt bonum, quod ſperatur. Unde alia eſt ſpes militum, qui ſibi proponunt victoriam: alia mercatorum, qui lucrum appetunt: alia Chriſtianorum, qui ad beatitudinem cœleſtem anhelant; & ſpes iſta eſt verè Theologica, utpotè quæ verſetur circa Deum, qui ſolus eſt beatitudo noſtra.

Quamvis noſtra diſputatio ſit duntaxat de ſpe Theologica, operæ tamen pretium eſt accuratiùs exponere genericam ſpei definitionem, circa quam omnes conveniunt tum Philoſophi, tum Theologi, ut ex ea colligamus, quæ debeat eſſe ſpei Theologicæ definitio, circa quam diſſentiunt Theologi; effatum enim eſt in Scholis receptum, ſcilicet ea quæ conveniunt generi, neceſſariò convenire & ſpeciei, v. gr. quod eſt eſſentiale animali & virtuti, genericè ſpectatis, illud quoque eſſentiale eſt cuilibet ſpeciei animalis, & virtutis. Quamobrem,

Q. 1. *Quid eſt ſpes genericè ſpectata?*

R. Definitur communi Philoſophorum & Theologorum ſuffragio, motus appetitus efficaciter tendentis in bonum abſens, arduum, apprehenſum ut poſſibile.

Dicitur 1. *motus appetitus*, ſive ſenſitivi, ſi ſpes ſit paſſio & actus neceſſarius; ſive rationalis, ſi ſit actus Liber tendens in bonum mente apprehenſum. His autem vocibus ſignificatur, ſpem non pertinere ad intellectum; ſed ad appetitum ſeu voluntatem; quia ſpes fertur in bonum,

quòd non eſt objectum intellectus ſed appetitus.

Dicitur 2. *Efficaciter tendentis in bonum*, ut diſtinguatur à ſimplici complacentia & volitione inefficaci, quale poteſt eſſe deſiderium inefficax victoriæ in imbelli; ſpes enim eſt deſiderium efficax obtinendi bonum concupitum.

Dicitur 3. *In bonum abſens*, quo ſpes differt, tum ab amore, qui æquè eſt boni præſentis ac abſentis: amamus enim bonum ſive ſit præſens, ſive ſit abſens: tum à gaudio, quod eſt fruitio boni præſentis & poſſeſſi. Spes autem, licèt ex amore procedat, non poteſt eſſe, niſi boni futuri & abſentis; ex Apoſtolo enim Rom. 8. v. 24. *Spes quæ videtur, non eſt ſpes; nam quod videt quis, quid ſperat?*

Dicitur 4. *Arduum*, hoc eſt, obtentu difficile, ut diſtinguatur ſpes à deſiderio, quod eſt etiam boni abſentis, ſed apprehenſi ut obtentu facilis: dives eſuriens v. gr. non ſperat, ſed deſiderat alimenta; pauper verò deſiderat ſimul & ſperat: ille, quia aliqua alimenta ipſi apponentur ſtatim ut juſſerit: iſte, quia ipſi comparanda ſunt vel labore & induſtria, vel multis precibus idoneis ad flectendam divitum miſericordiam. Hinc Philoſophi deſiderium reponunt in appetitu concupiſcibili, qui, nullo obſiſtente, fertur in bonum, & averſatur malum: ſpem verò in iraſcibili, quem ita appellant; quia quodammodo irritatus difficultatibus, quibus ſeptum proponitur bonum, ſtimulatur & accenditur ad illas ſuperandas.

Dicitur 5. *Apprehenſum ut poſſibile*; quia ex S. Thoma 1. 2. qu. 40. art. 1. ad tertium, *nullus movetur ad id, quod æſtimat impoſſibile adipiſci*; canis, inquit,

inquit, non insequitur leporem, quem nimis remotum conspicit, quia ejusmodi prædam apprehendit ut impossibilem.

Ergo objectum spei genericè spectatæ, materiale quidem est res bona; formale verò ejus bonitas absens, ardua, & possibilis; illud enim est objectum materiale actus aut habitus, circa quod actus vel habitus versatur; formale verò, quod est ratio, sub qua actus vel habitus versatur circa objectum materiale; atqui spes versatur circa rem bonam quatenus bona est, absens, ardua, & possibilis: Ergo.

His præmissis de spe in genere.

Q. 2. *Quid est Spes Theologica?*

R. Est virtus supernaturalis Theologica, per quam certa cum fiducia futuram beatitudinem, & media illius assequendæ expectamus per Dei auxilium.

Dicitur 1. *Virtus*; Quia virtus facit bonum habentem se, opus ejus bonum: atqui spes Theologica facit bonum habentem se, juxta illud Ps. 33. *Beatus vir, qui sperat in eo*, & opus ejus bonum; quia, ut argumentatur S. Thomas quæst. 17. art. 1. opus bonum dicitur quod propriam regulam attingit; *sicut*, inquit, *dicimus vestem esse bonam, quæ nec excedit, nec deficit à debita mensura*: humanorum autem actuum duplex est regula, altera proxima, scil. ratio, altera remota & suprema, nempe Deus: atqui actus spei utramque regulam attingit 1. rationem, quæ dictat tendendum in ultimum nostrum finem, & beatitudinem, 2. Deum, cujus auxilio innititur.

Dices: Spes est in peccatoribus: ergo non facit bonum habentem se.

R. 1. Argumentum illud nimis probat: inde enim concluderetur, præter charitatem, quæ ſola excludit peccatum, nullam eſſe virtutem.

R. 2. Diſtinguendo conſequens; Spes non facit bonum ſimpliciter & abſolutè, Conc. Quia à ſperante non excludit omne peccatum lethale: non facit bonum ſecundùm quid, Nego conſequentiam; Peccator enim quatenus ſperans in Deo, ut decet, bonus eſt & laudabilis, licèt aliunde ſit vituperandus. Quemadmodum igitur quodlibet ſidus aërem colluſtrat, ſed modo diſpari; quia non eadem uniuſcujuſque claritas; ſol omnino fugat tenebras, Luna & Stellæ ex parte duntaxat magis aut minùs pro cujuſque claritate; ſic cogites animam illuſtrari virtutibus: charitas ad inſtar Solis ſuo præcellenti fulgore, omnes peccati, ſaltem lethalis, tenebras expellit, cæteræ tanquam luminaria minora eas duntaxat, quæ propiùs & immediatiùs ipſis opponuntur, ut religio impietatem, fortitudo ignaviam, Fides infidelitatem, ſpes deſperationem & præſumptionem; ſicut enim ſtella à ſtella differt in claritate, ita virtus à virtute in perfectione, nulla in ſuo genere imperfecta, niſi comparatè ad aliam perfectiorem.

Dicitur 2. *Supernaturalis*; ac proinde à Deo infuſa, juxta illud Rom. 15. *Deus . . . . . ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritus Sancti.* Et ratio eſt, quia ſpes tendit in Deum ſupernaturaliter poſſidendum.

Dicitur 3. *Theologica*; quia habet Deum pro objecto primario.

Dicitur 4. *Per quam certa cum fiducia futuram beatitudinem expectamus*; quia ſpes veluti anchora, animam

mam tentationibus & procellis hujus vitæ agitatam, firmat in promissis Dei, juxta illud Apostoli, Hebr. 6. verf. 19. 20. *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Sed de certitudine Spei posteà.

Dicitur 5. *Et media illius assequenda*, quibus denotatur secundarium spei objectum, nempe gratia & bona opera, sine quibus vana esset spes nostra, & mera præsumptio, quæ est peccatum Spei Theologicæ oppositum, ut infrà dicetur.

Dicitur 6. *Expectamus per Dei auxilium;* quia beatitudo naturæ viribus non est possibilis: *infinitæ virtutis est*, inquit S. Thomas quæst. 17 art. 2. *ad infinitum bonum perducere*; ideoque magis propriè vitam æternam expectare dicimur, quàm sperare; nam ex eodem Angelico Doctore, 1. 2. quæst. 40. art. 2. ad primum; *Quod aliquis sperat per propriam virtutem adipisci, non dicitur expectare, sed sperare tantùm: sed propriè dicitur expectare quod sperat ex auxilio virtutis alienæ.*

Ergo primarium spei objectum materiale est Deus possidendus: *Non enim minùs aliquid ab eo sperandum est, quàm sit ipse*, ait S. Thomas cit. qu. 17. art. 2. secundarium verò sunt ea etiam temporalia, per quæ Deus decrevit nos ad seipsum adducere. Consequentia sequitur ex allata definitione; objectum enim materiale cujuslibet virtutis est res, circa quam adæquatè versatur: atqui spes adæquatè versatur primariò circa futuram beatitudinem, quæ non est aliud, quàm Deus possidendus; secundariò verò circa media, quibus obtineri potest; *Sicut & Fides*, inquit S. Thomas q. 17. art. 2. ad secundum, *principaliter quidem respicit Deum & secundariò respicit ea, quæ ad Deum ordinantur*, nec quid-

quidquam aliud attendit; namque *homini qui anhelat ad aliquid magnum*, ait idem ſanctus Doctor eodem articulo ad tertium, *pravum videtur omne aliud, quod eſt eo minus.*

Dixi: *Per quæ Deus decrevit*, &c. Temporalia enim ſecundùm ſe ſpectata, æquè poſſunt eſſe impedimenta ſalutis ac adjumenta, nec illius conſequendæ evadunt media, niſi ad eam fuerint ordinata & quidem à Deo; nam ſine ejus motione à nobis ordinari nequeunt; ac proinde non ex affectu ad illa, ſed ex affectu ad vitam æternam illa quærere, & petere debemus; alioquin illa non ex gratia & virtute, ſed ex cupiditate expeteremus. Sed de iis plura ubi de Oratione, Tom. 4. Tractatu de Religione, cap. 4. §. 4.

Q. 3. *Quod eſt objectum formale ſpei?*

R. Hìc in varias ſententias abeunt Theologi. Alii ſtatuunt omnipotentiam divinam & miſericordiam, ſeu Deum, ut omnipotentem & miſericordem, nituntur que auctoritate S. Thomæ, qui quæſt. 28. art. 4. ad ſecundum, ex eo diſtinguit ſpem ab aliis virtutibus, quòd *addat ex parte objecti quandam ſpecialem rationem, ſcilicet arduum & poſſibile adipiſci.* Et qu 17. art. 6. in Corpore: *Spes*, inquit, *facit Deo adhærere, prout eſt in nobis principium perfectæ bonitatis, in quantùm ſcilicet, per ſpem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.* Atqui quod eſt ratio tendendi in objectum materiale, & diſtinguendi virtutem ab aliis, procul dubio eſt formale virtutis objectum; juſtitia v. gr. & liberalitas, licèt verſentur circa idem objectum materiale, nimirum circa pecuniam numerandam, ſunt tamen duæ virtutes diſtinctæ; quia ſub diverſa ratione pecuniam reſpiciunt, juſtitia quidem ut debitam,

libera-

liberalitas verò ut gratuitam largitionem: Ergo.

Alii contra aſſerunt, bonitatem divinam relativè ad nos, ſeu Deum ut nobis bonum, eſſe objectum formale ſpei; quia inquiunt, ſicut deſiderium naſcitur ex amore; nemo quippe id deſiderat, circa quod indifferens eſt; ita ſpes naſcitur ex amore concupiſcentiæ; atqui idem eſt objectum formale amoris & deſiderii, ſcilicet, bonitas objecti diverſimodè apprehenſa in amore ſimpliciter & abſque circumſtantia præſentis, aut abſentis; in deſiderio determinatè ut abſens & futura: Ergo à pari idem eſt objectum formale ſpei Theologicæ, & amoris concupiſcentiæ, quo expectamus poſſidere Deum, ut ſummum bonum noſtrum.

Sed utraque ſcientia facilè conciliari poſſe videtur; & ſi ſuperſit difficultas, erit purè metaphyſica, à Philoſophis potiùs quàm à Theologis excutienda.

Atque ut mentem aperiam, prætermittendum eſt, quod apud omnes conſtat, nimirum voluntatem non ferri in objectum niſi ſub ratione boni, aut mali: boni quidem proſequendi, mali verò fugiendi; ac proinde ſicut verum ſaltem apparens eſt objectum formale mentis aſſenſus: ita bonum eſt neceſſariò objectum formale conatus voluntatis in rem amatam, nihil intelligibile, niſi ſub ratione veri: nihil appetibile, niſi ſub ratione boni. Atqui nec poſſibilitas, nec omnipotentia, ex qua poſſibilitas repetitur, alliciunt voluntatem ratione ſui præciſè, ſed ratione bonitatis, cum qua apprehenduntur conjunctæ, namque omnipotentia, qua pœnam æternam concipimus

possibilem, spem non injicit, sed timorem propter malum pœnæ, quam peccantibus inferre concipitur. Ergo sicut malum pœnæ per omnipotentiam possibile & impendens, est objectum formale, seu motivum temporis; ita Deus ut nobis bonus & possidendus per omnipotentiam divinam & misericordiam, est formale spei objectum; ac proinde objectum formale spei non est simplex, sed complexum, ex bonitate divina relativè ad nos, & ex omnipotentia & misericordia, quibus possessio Dei fit possibilis.

Ergo beatitudinis possibilitas per omnipotentiam & misericordiam divinam minus est formale objectum spei, quàm circumstantia, conditio, & modificatio ejus objecti formalis, nempe beatitudinis per auxilium Dei consequendæ. Nec aliud vult S. Thomas locis laudatis, ut colligitur ex qu.17. art.2. in quo ex professo probat, beatitudinem æternam esse proprium spei objectum. Et art. 4. sic habet; *Spes duo respicit, scil. bonum, quod obtinere intendit, & auxilium, per quod illud bonum obtinetur. Bonum autem, quod aliquis sperat obtinendum, habet rationem causæ finalis: auxilium autem, per quod aliquis sperat obtinere illud bonum, habet rationem causæ efficientis.* Ex quibus verbis sic argumentari licet, causa finalis est primum movens ad opus: atqui ex S. Thoma, bonum, quod spes obtinere intendit, nempe beatitudo æterna, habet rationem causæ finalis; Ergo beatitudo æterna est spei objectum motivum, seu formale.

Dices 1. In eo qui sperat Deum ut suam beatitudinem, duo sunt distinguendi actus, alter desiderii, quo tantum bonum absens & futurum desiderat, & hic actus pertinet ad charitatem, cujus objectum

objectum eſt bonitas divina: alter ſpei, quo conatur ad illud bonum, nixus omnipotentia & miſericordia divina, quas reſpicit tanquam proprium objectum formale; inde enim movetur ad conandum: Ergo.

R. 1. Utrùm in eo, qui ſperat, concurrant duo actus diſtincti, alter deſiderii, alter ſpei, quæſtio eſt planè Philoſophica: nobis ſatis eſt, quòd ſperans feratur in Deum ut ſuum bonum, arduum quidem, ſed obtentu poſſibile per divinum auxilium. Videtur tamen unicum elicere actum, qui virtualiter duplex eſt. Quemadmodum enim qui deſiderat bonum abſens, non elicit duos actus, alterum amoris, alterum deſiderii; ſed unico actu, nempe deſiderii fertur in ſuum objectum; quid eſt enim deſiderium, niſi amor boni abſentis? Similiter qui ſperat, unico actu movetur efficaciter in bonum ſuum abſens, arduum, & poſſibile, ita ut ratio abſentis, ardui, & poſſibilis ſit circumſtantia, conditio & modificatio unius & ejuſdem objecti, nimirum beatitudinis objectivæ, quæ eſt cauſa finalis & motiva unius realiter actus, ſcil. ſpei, virtualiter autem duplicis; in ſpe enim intelligitur amor & deſiderium; niſi enim quis amaret & deſideraret bonum, non niteretur illud aſſequi. Sed utut ſit,

R. 2. Negando, deſiderium illud ſemper eſſe actum charitatis; peccator enim deſiderat, ac ſperat veniam & vitam æternam, non per charitatem, qua caret, ſed per ſpem Theologicam.

Dixi: Deſiderium vitæ æternæ non ſemper eſſe actum charitatis, ut innuerem, illud aliquando à charitate, aliquando verò à virtute ſpei proficiſc

ficifci. In quo autem differant duo illa defideria, dicetur capite proximè fequenti.

Dices 2. Appetere Deum ut bonum noftrum, eft referre Deum ad nos tanquam ad finem, & amare illum amore concupifcentiæ: atqui inordinatus eft ille amor; rectus enim ordo poftulat, ut omnia ad Deum tanquam ad ultimum finem referantur: Ergo.

Diftinguo major. Eft referre Deum ad nos tanquam ad finem, cui optamus tantum bonum, Conc. Tanquam ad finem, cujus gratia cætera affumuntur tanquam media, Nego major.

Diftinguo fimiliter minorem, inordinatus eft amor, quo Deum ad nos referimus tanquam ad finem, cujus gratia, Conc. Tanquam ad finem cui, Nego minor.

Finis *cui*, eft perfona, cui optamus bonum, quod aliquando tanti æftimamus, ut ipfum fit nobis quoque finis, cujus gratia multa facimus, fic fapientia v. gr. quatenus propter illam acquirendam oramus, vigilamus, laboramus, eft finis cujus gratia: quatenus autem illam nobis optamus, fumus ejus finis cui. Contra verò fumus finis cujus, gratia pecuniæ, alimentorum & neceffariæ fuppellectilis, quæ nobis comparamus; quia non fpectantur illa tanquam bona propter fe expetibilia, quemadmodum fapientia; fed propter nos duntaxat tanquam media neceffaria, & ad ufus noftros accommodata.

Porrò turpe eft & flagitiofum, Deum ad fe referre tanquam ad finem cujus gratia; hoc enim eft Deum minoris facere quàm nos ipfos, & perverfo ordine uti ultimo fine veluti medio: *Omnis humana perverfio eft*, inquit fanctus Auguftinus

Lib. 83.

Lib. 83. quæſt. 30. (*quod etiam vitium vocatur*) *fruendis uti velle, atque utendis frui. Et rurſus omnis ordinatio* (*quæ virtus etiam nominatur*) *fruendis frui, & utendis uti. Fruendum eſt autem honeſtis, & utendum utilibus.* Et Lib. 15. de Civ. Dei cap. 7: *boni utuntur mundo, ut fruantur Deo: mali autem ècontra ut fruantur mundo, uti volunt Deo.*

Sed honeſtè & piè Deum ad nos referimus tanquam ad finem *cui*, in eo quippe teſtamur ſummam ejus bonitatem & omnimodam perfectionem; ſic refertur cauſa ad effectum, fons ad rivulum, plenitudo ad vacuum, miſericordia ad miſerum, perfectivum ad perfectibile. Sic ſubditus Principem ſuum honorat, dum benevolentiam ejus ſibi conciliare ſatagit, & gratiam ſeu favorem ejus, amicitiæ cujuslibet aulici præponit.

Inſtabis 1. Atqui per amorem ſpei, qui eſt amor concupiſcentiæ, Deum non appetimus propter ſe, ſed propter nos duntaxat: ergo inordinatus eſt ille amor.

R. 1. Argumentum illud nimis probare, cùm ex eo æquè concludi poſſit, nullam agnoſcendam eſſe virtutem præter charitatem, quæ ſolum Deum propter ſe diligit: imò nos inordinatè à Deo auxilium petere in adverſis; ejuſmodi enim precum ſumus finis *cui*; cùm tamen ipſe teſtetur Pſal. 49. ſe eas ducere honori & gloriæ: *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me;* eſt enim ſolemnis confeſſio omnipotentis bonitatis divinæ. Inde ergo ſequitur duntaxat, amorem ſpei non eſſe æquè perfectum ac amorem charitatis, quod ultrò fatemur; nam ex ſancto Thoma quæſt. 17. artic. 8. *Perfectus amor eſt, quo aliquis ſecundùm ſe amatur, utpotè cui aliquis vult bonum*

num, ſicut homo amat amicum. Imperfectus amor eſt, quo quis amat aliquid non ſecundùm ipſum, ſed ut illud bonum ſibi ipſi proveniat, ſicut homo amat rem, quam concupiſcit. Primus autem amor pertinet ad charitatem quæ inhæret Deo ſecundùm ſeipſum. Sed ſpes pertinet ad ſecundum amorem; quia ille qui ſperat, aliquid ſibi obtinere intendit.

R. 2. Diſtinguo ſubſumptum; atqui per amorem ſpei Deum non appetimus propter ſe, ſed propter nos, ita ut apprehendamus illum ut ſummum bonum appetibile propter ſe, nec per imperfectum ſpei amorem excludamus perfectiorem motum charitatis, Concedo: Non appetimus propter ſe, ſed propter nos, ita ut Deus nobis videatur ut medium nobis utile & neceſſarium, nec aliter amabile, quàm in ordine ad nos, Nego ſubſumptum; Amor enim ſpei ſub illo reſpectu eſſet inordinatus & turpis, excluderétque charitatem, quemadmodum cupiditas prædominans. Sed abſit à Spe Theologica tanta perverſitas, quin ipſa diſponit ad amandum Deum propter ſe: *Spes*, inquit S. Thomas cit. art. 8. *introducit ad charitatem, in quantùm aliquis ſperans remunerari à Deo, accenditur ad amandum Deum, & ſervandum præcepta ejus.* Et S. Bernardus Tract. de diligendo Deo cap. 9. *Si frequens ingruerit tribulatio, ob quam & frequens ad Deum converſio fiat, & à Deo frequens liberatio conſequatur, nonne etſi fuerit ferreum pectus, vel cor lapideum toties liberati, emolliri neceſſe eſt ad gratiam liberantis, quatenus Deum homo diligat non propter ſe tantùm, ſed & propter ipſum?*

Inſtabis 2. Amor mercenarius eſt vituperandus; atqui amor ſpei eſt mercenarius, ex ſancto Bernardo cit. Tract. de diligendo Deo cap. 12.

Eſt

Est qui confitetur Domino, quoniam potens est; & est qui confitetur, quoniam sibi bonus est, & item, qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, & timet sibi. Secundus mercenarius, & cupit sibi. Tertius filius, & defert patri. Itaque & qui timet, & qui cupit, utrique pro se agunt. Ergo.

Distinguo major. Amor mercenarius strictè sumptus, qui pro mercede temporalia expectat, quo sensu Joan. 10. reprobatur Pastor mercenarius, Conc. Mercenarius in lata significatione, qui aliam mercedem præter Deum non intendit, Nego majorem: Nam Christus, Matth. 5. v. 13. Spe hujusce mercedis nos nutrit & roborat: *Gaudete*, inquit, *& exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et Hebr. 11. v. 26. laudatur Moyses, quòd aspexerit in hujusmodi remunerationem. Porrò S. Bernardus loquitur de eo, qui facit opus Dei intuitu bonorum temporalium: *facit & mercenarius*, inquit, cit. c. 12. *sed quia non gratis, propria trahi cupiditate convincitur.*

Q. 4. *Potestne quis sperare alteri beatitudinem æternam?*

Respondet S. Thomas qu. 17. art. 3. cum hac distinctione: vel proximus spectatur ut alter à nobis, vel ut unitus, ac veluti unum quid nobiscum per amorem, consanguinitatem, & aliud simile vinculum: Si primo modo spectetur, non possumus illi sperare beatitudinem Spe Theologica, juxta illud S. Augustini, Enchir. cap. 8. *Fides & suarum rerum est & alienarum . . . . . . spes autem nonnisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum spem agere perhibetur.* Et ratio est, quia Spei Theologicæ objectum formale & motivum, est bonum divinum; motivum autem desiderii, quo optamus alteri beatitudinem, si amore non sit nobis unitus, non potest esse nisi

nisi bonitas, quæ in ipso est, ac proinde desiderium illud non erit actus Spei Theologicæ.

Sed si proximus secundo modo spectetur; scilicet ut aliquo vinculo nobis unitus, illi tanquam nobis ipsis beatitudinem speramus spe Theologica: quia motivum hujusce desiderii non est aliud, quàm bonitas divina possidenda, nec incitamur ad ejus possessionem appetendam ex aliqua bonitate, quæ sit in nobis, cùm naturalis impetus nos impellat in nostri amorem & prosecutionem nostri boni, etiamsi nullam in nobis apprehendamus perfectionem.

Q. 5. *Quotuplex est Spes Theologica?*

R. Una est specie; quia unicum est ejus objectum formale & motivum; accidentariò tamen, & ex quibusdam adjunctis dividitur sicut Fides in spem informem, & spem formatam.

Spes informis est spes sine charitate, ut in peccatoribus; spes formata est spes conjuncta cum charitate, ut in Justis. Spes informis dicitur mortua; quia separata à charitate, vel est sine motu & actu sicut corpus ab anima separatum: vel si operetur, opera ejus, etsi supernaturaliter bona, disponántque ad justificationem, viva tamen non sunt, nec meritoria vitæ æternæ, ut diximus ubi de conditionibus necessariis ad meritum de condigno. Plerumque autem spes informis otiosa est, 1. propter malam conscientiam: *Ille sperat*, inquit S. Augustinus in Psalm. 31. *qui bonam conscientiam gerit: quem verò pungit mala conscientia, retrahit se à spe*, nimirum timor, qui ex mala conscientia nascitur, diffidentiam injicit. 2. Propter frigus cupiditatis, qua peccatoris animus astringitur & quodammodo agglutinatur rebus terrenis & cœlestium

oblivisci-

viſcitur : nullus autem ſperat bona ſpiritualia, niſi ea vehementer deſideret : quomodo verò deſideraverit, qui non amat? Spes ergo jacet in corde frigido peccatoris velut radix ſterilis, & ſi quando ſperare videtur, plerumque vana confidentia eſt & præſumptio, ut infrà dicetur.

Spes verò formata dicitur viva; quia charitas eſt veluti ſpiritus vitalis vivificans, & ponens in actu virtutes, quas informat. 1. Quia tribuit bonam voluntatem, inſpirat deſiderium cœleſtium bonorum, ex quo facilè ſequitur conatus ad ſuperanda ardua quæque. 2. Quia operit multitudinem peccatorum, & conſcientiam mundat: atqui mens benè conſcia fiduciam, hoc eſt, firmam ſpem ſumit, ut habetur, 1. Joan. 3. v. 21. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* 3. Quia conſtituit nos Dei amicos: vera autem amicitia excludit omnem diffidentiam. Unde S. Ambroſius laudatus à S. Thoma, qu. 17. art. 8. ſcribit in Lucæ c. 17. *ex fide eſt charitas, ex charitate ſpes*, non quidem informis; hæc quippe charitatem præcedit, ſed formata & perfectior, ut interpretatur Angelicus Doctor, his verbis: *Secundùm ordinem perfectionis charitas prior eſt naturaliter. Et ideò adveniente charitate, ſpes perfectior redditur, quia de amicis maximè ſperatur.* Porrò ſpes viva, ſicut & Fides viva eſt propria Chriſtianorum, juxta illud primæ Petri cap. 1. v. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam.*

Q. 6. *Licetne ſperare in homine?*

R. Licèt tanquam in cauſa inſtrumentali, quando Deus ea utitur ad noſtram ſalutem : non licet

autem ſperare in homine tanquam in cauſa principali; ſcriptum eſt enim Jer. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine*, probatque S. Thomas qu. 17. art. 7. hac ratione: *Sicut*, inquit, *non licet ſperare aliquod bonum præter beatitudinem ſicut ultimum bonum, ſed ſolùm ſicut id, quod eſt ad finem beatitudinis ordinatum: ita non licet ſperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, ſicut de prima cauſa movente in beatitudinem. Licet autem ſperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, ſicut de agente ſecundario & inſtrumentali, per quod aliquis adjuvatur, ad quæcunque bona conſequenda in beatitudinem ordinata.*

Dices: Spes utpote Theologica, non nititur, niſi omnipotentia & miſericordia divina: Ergo nullatenus ponenda eſt in homine, etiam ut cauſa inſtrumentali, ſed ſolùm in auxilio divino; aliàs niteretur poteſtate creata, & ſub illo reſpectu non eſſet Theologica.

Nego conſeq. Quia inſtrumentum non agit, niſi virtute cauſæ principalis. Unde ſicut qui tegitur gladio cuſtodientis ſe, non confidit propriè in gladio, ſed in perſona gladio inſtructa; ſimiliter qui, ut ſecuriùs ſaluti ſuæ conſulat, ad ſapientem confugit, & conſiliis ejus ſe regendum præbet, ea mente & perſuaſione, quòd Deus eo tanquam miniſtro utatur, non alio, quàm in Deo ſpem ſuam collocat; ſecus ſi præcipuè ob naturales ejus dotes, & naturali quadam animi propenſione ſe illi adjungeret; tunc enim ſpem ſuam poneret in homine, & non in Deo; quod maximè cavendum.

CAPUT II.

De Differentia Spei à Fide & Charitate.

Q. 1. *Spes estne virtus à Fide distincta?*

Negant Pseudo-Reformati, contendúntque veram fidem nihil aliud esse, quàm certam fiduciam in promissis Dei; quam hæresim confutavimus, Tract. de Gratia, ubi de justificatione c. 4. & §. 8. Quare cum omnibus Catholicis,

R. Spes est virtus à fide distincta, probatúrque 1. ex Scriptura, 1. Cor. 13. v. 13. *Nunc autem manent fides, spes, & charitas: tria hæc;* ubi Apostolus manifestè spem à fide distinguit. 2. ratione; quia illæ virtutes essentialiter distinguuntur, quæ habent diversum non solùm subjectum, sed etiam objectum formale; omnis quippe habitus & actus suam essentiam desumit ab objecto formali: atqui sic se habent fides & spes; fides est virtus intellectualis intellectum informans: spes verò residet in voluntate, tanquam in proprio subjecto: fides tendit in objectum quatenus verum, in Deum nempe, ut est prima veritas; spes autem respicit Deum, ut est summum bonum, & supernaturalis nostra beatitudo objectiva: Ergo fides & spes sunt duæ virtutes essentialiter distinctæ.

Q. 2. *Spes distinguiturne à charitate?*

R. Apostolus citato loco non solùm eam distinguit, sed insuper opponit tanquam relatum correlato; postquam enim dixit, *nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc;* subdit statim: *major autem horum est charitas.* I[illegible]rò nihil est majus

jus reſpectu ſui ipſius, ſed reſpectu alterius correlati : ergo.

Dices : Illæ virtutes non diſtinguuntur, quæ habent idem objectum formale : atqui ſpes & charitas idem habent objectum formale : Ergo.

Minor probatur. Objectum ſpei ex dictis capite præcedenti, eſt ſupernaturalis beatitudo objectiva, ſeu Deus poſſidendus, ut ſummum noſtrum bonum : atqui idem eſt charitatis objectum ; nam charitatis conſummatæ in Beatis eſt frui Deo, gaudere de Deo præſente, & in illo quieſcere tanquam in ſummo bono : charitatis verò proficientis in viatoribus, eſt deſiderare ejus conſpectum & poſſeſſionem, ægréque ferre ejus abſentiam : ergo idem eſt utriuſque virtutis objectum formale, ac proinde ſpes & charitas ſunt una & eadem virtus.

R. 1. Negari non poſſe, quin charitas in viatoribus tendat in Deum, tanquam in ultimum noſtrum finem, deſideriumque fruendi tanto bono, ſit proprius illius actus, quemadmodum Eminentiſſimus Cardinalis *De Noailles*, efficaciter & multa cum eruditione demonſtrat in ſua Inſtitutione Paſtorali, adverſùs ſpurios Myſticos. Enimverò nihil amanti optatius, quàm frui amati præſentia ; nihil moleſtius, quàm ab illo divelli, aut ſeparari. Annon ſponſa, per quam exprimitur juxta S. Patres quilibet juſtus in amore Dei perfectus, ex puriſſimo charitatis affectu per vicos & plateas quærebat dilectum ? Cant. 3. Annon Apoſtolus ex ardentiſſimo Chriſti amore dicebat Philipp. 2. *Coarctor . . . . è duobus deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius : permanere autem in carne, neceſſarium propter vos.* Sed hæc

hæc reſponſio nedum ſolvat difficultatem, illam potiùs auget, nec parùm torquet Theologos, ubi ſtatuendum eſt diſcrimen ſpem inter & charitatem.

Alii ita admittunt Deum ut beatitudinem noſtram objectivam, eſſe objectivum formale charitatis, ut definiant, objectum ſpei eſſe præciſè omnipotentiam & miſericordiam divinam, quibus objectum charitatis poſſibile redditur, ut quemadmodum in politicis virtus fortitudinis inſervit juſtitiæ legali ad tuendum ordinem, & conſervandam pacem, quibus conſiſtit regni felicitas; ita ſpes charitati inſerviat ad ſuperandum arduum, quod in ejus objecto apprehenditur.

Refelluntur 1. Ex dictis capite præcedenti. 2. Ex Patribus, qui aſſerunt, poſſeſſionem Dei ut ultimum noſtrum finem per ſpem & charitatem expeti; ſed ratione planè diverſa; ideoque duas illas virtutes eſſe omninò diſtinctas; nam virtutes & cæteri habitus magis diſtinguuntur ex objecto formali, quàm ex objecto materiali, ut ſæpè diximus. Sanctus Gregorius Nyſſenus Hom. 1. in Cantica, ſpem à charitate in eo diſtinguit, quòd illa mercedem, iſta ſolam operis honeſtatem reſpiciat: *Nonnullis*, inquit, *fit etiam ſalus per timorem, quando intuentes ad minas ſuppliciis gehennæ ſeparantur à malo: ſunt etiam aliqui, qui propter ſpem mercedis repoſitam iis, qui piè vixerint, ſe rectè & ex virtute gerunt, non charitate bonum poſſidentes . . . . ſed qui animo currit ad perfectionem, expellit quidem timorem: eſt enim ejuſmodi ſervilis affectio . . . deſpicit ipſas quoque mercedes, ne videatur mercedem pluris facere, quàm eum qui donat lucernam.* Ubi S. Doctor tres gradus diſtinguit in aſcenſu ad Deum. In primo

eos collocat, qui timore impelluntur. In ſecundo, qui alliciuntur ſpe mercedis, quæ non poteſt eſſe niſi Deus, alioquin aberrarent. In tertio, qui ſolo charitatis amore ducuntur. S. Baſilius in Procemio Regularum fuſiùs diſputatarum, & S. Gregorius Nazianzenus Orat. 40. eandem diſtinctionem ſecuti, primos vocant ſervos, ſecundos mercenarios, tertios filios. Ergo in mente illorum Patrum, ſpes in eo diſtinguitur à charitate, quòd ſpectet, non quidem omnipotentiam & miſericordiam, ſed mercedem, quam per divina illa attributa obtinere nititur: merces autem illa non poteſt eſſe aliud, quàm Deus ipſe, quatenus eſt ſummum noſtrum bonum. Sanctus Chryſoſtomus pluribus in locis, ut Hom. 17. in Epiſt. ad Hebræos, docet ſervanda eſſe præcepta, non ſolùm ſpe mercedis, ſed etiam amore illius, qui legem tulit: *Etiamſi*, inquit, *merces non eſſet propoſita, oporteret eſſe bonum; ſed tamen cum mercede ſimus boni.* Et Hom. 5. in Epiſt. ad Rom. *Nec propter minas ſupplicii, nec propter promiſſionem regni, ſed propter eum, qui legem tulit.* Similia habet S. Auguſtinus Lib. 21. de Civ. Dei cap. 15. *Sed (ſi quod abſit) illius tanti boni ſpes nulla eſſet, malle debuimus in hujus conflictationis moleſtia remanere, quàm vitiis in nos dominationem non eis reſiſtendo permittere.* Caſſianus collatione 11. cap. 6. hæc verba refert Abbatis Cheremontis: *Tria ſunt, quæ faciunt homines à vitiis temperare, id eſt, aut metus gehennæ ... aut ſpes & deſiderium regni cœlorum, aut affectus boni ipſius, amorque virtutum.* Et cap. 8. ſic concludit: *Quamobrem nobis ſtudendum eſt de hoc timore ad ſpem, & de ſpe ad charitatem Dei, vel ipſarum virtutum amorem perfecto mentis conſcendamus amore.* De triplici etiam gradu nempe ſervorum,

rum, mercenariorum, & filiorum ſimili modo loquuntur S. Climacus gradu primo, & Venerabilis Beda in cap. 15. Lucæ: *Fides eſt*, inquit, *quæ futuri judicii ac ſuppliciorum metu vitiorum facit contagia declinare: ſpes, quæ mentem noſtram de præſentibus avocans, univerſas corporis voluptates cœleſtium præmiorum expectatione contemnit: charitas, quæ nos ad amorem Chriſti, & ſpiritualium virtutum fructum, mentis ardore ſuccendens, quidquid illis contrarium toto facit odio deteſtari.* S. Bernardum, & S. Thomam in eandem rem laudavimus, cap. præced. Ergo conſtat ex communi SS. Patrum doctrina. 1. Spem à charitate diſtingui. 2. Utramque virtutem tendere ad Deum poſſidendum, ſed ſub diverſa ratione formali: ſpem quidem ut mercedem & bonum nobis, charitatem verò ſine intuitu mercedis, ſed ſublimiori motivo, ſequenti reſponſione elucidando. Itaque

R. 2. Negando minorem, & argumenti, in ejus confirmatione adducti, diſtinguo minorem: Idem eſt objectum ſpei & charitatis materiale, Concedo: Idem eſt objectum formale, Nego minorem: Spes enim, ut ſæpiùs diximus, fertur in Deum ut bonum ſibi; *Et qui timet*, inquit S. Bernardus cit. cap. 12. Lib. de diligendo Deo, *& qui cupit, utrique pro ſe agunt.* Charitas verò tendit ad Deum ut bonum in ſe, refertque ad eum & ipſum amantem, & ejus beatitudinem & cætera omnia, quæ per ſpem concupiſcuntur: *Charitatem voco*, inquit S. Auguſtinus, Lib. 3. de Doctrina Chriſt. cap. 10. *motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum.* Et Lib. 10. Conf. cap. 22. *Ipſa eſt*, Deum alloquitur, *beata vita gaudere ad te, de te, ipſa eſt, & non eſt altera.* S. quo-

que Bernardus cit. c. 12. poſt laudata verba, *& qui timet, & qui cupit, utrique pro ſe agunt*, ſubdit: *ſola, quæ in filio eſt charitas non quærit, quæ ſua ſunt.* Et cap. 14. *Denique*, inquit, *cupiditas tunc rectè à ſuperveniente charitate ordinatur, cùm mala quidem penitus reſpuuntur, bonis verò meliora præferuntur, nec bona niſi propter meliora appetuntur. Quod cùm plenè per Dei gratiam aſſecutum fuerit, diligetur corpus propter animam: anima propter Deum; Deus autem propter ſeipſum.* Sed ponderanda imprimis quæ ſcribit cap. 15. ubi de eo, qui ſpe impellitur, ſic ſcribit: *Diligit itaque in ſecundo gradu Deum, ſed propter ſe, non propter ipſum. At verò cùm ipſum cœperit occaſione propriæ neceſſitatis colere & frequentare cogitando, legendo, orando, obediendo; quadam hujuſcemodi familiaritate paulatim ſenſimque Deus innoteſcit, conſequenter & dulceſcit, & ſic guſtato quàm ſuavis eſt Dominus, tranſit ad tertium gradum, ut diligat Deum, non jam propter ſe, ſed propter ipſum. Sanè in hoc gradu diu ſtatur: & neſcio ſi à quoquam hominum quartus in hac vita perfectè apprehenditur, ut ſe ſcilicet diligat homo tantùm propter Deum. Aſſerant hoc ſi qui experti ſunt: mihi, fateor, impoſſibile videtur. Erit autem procul dubio cùm introductus fuerit ſervus bonus fidelis in gaudium Domini ſui, & inebriatus ab ubertate domus Dei. Quaſi enim miro quodam modo oblitus fuit, & à ſe penitus velut deficiens totus pergit in Deum, & deinceps adhærens ei, unus cum eo ſpiritus erit.* Quibus verbis ſanctus Doctor, 1. perſtringit errorem ſua ætate nondum natum, & noſtra damnatum in novis Myſticis, qui præſumunt ſuos diſcipulos perducere via breviori ad eum ſtatum perfectionis, in quo anima ſui oblita tam perfectè Deo adhæret propter ipſum ſolum, ut nec pulſetur beatitudi-

nis

nis desiderio, nec afficiatur proficiendi studio; nec sit illi curæ, comprimere inordinatos concupiscentiæ motus. 2. Ita distinguit spem inter & charitatem, ut nihilominus utrique virtuti assignet idem objectum materiale, nempe Deum possidendum. 3. Differentiam essentialem utriusque virtutis repetit (& quidem juxta antiquiores Patres, quorum verba laudavimus) ex earum objecto formali, seu ex diversa ratione & motivo, quo spes & charitas tendunt in Deum possidendum; spes quippe tendit in Deum, ut bonum nobis; charitas verò, ut bonum simpliciter & absolutè, ad quod & beatitudinem nostram & nos ipsos & cætera refert.

Ergo in mente sancti Bernardi & aliorum Patrum, in prima nostra responsione laudatorum, divina misericordia & omnipotentia statui nequeunt pro formali spei objecto. Latum est autem discrimen spem inter & fortitudinem, quæ in exemplum allata est; namque fortitudinis officium & actus est amovere malum, moderari timorem, qui illud refugit, & regere impetum audaciæ in illud insurgentis. At spes, sive spectetur, ut virtus, sive ut passio, fertur in bonum, tanquam in proprium objectum, illudque prosequitur, quamvis arduum, innixa sive propriis viribus, si sit passio, sive alienis, putà omnipotentia & misericordia divina, si sit virtus Theologica. Bonum autem, quod est objectum spei in peccatore ad justificationem per gratiam sese disponente, non sunt bona temporalia, cùm eorum cupiditatem conetur abjicere: non est etiam Deus, ut in se bonus; cùm illam charitate nondum diligat, &

 per

per ſpem diſponatur ad puriſſimo illo modo diligendum, ut ſupra dicebat ſanctus Bernardus: reſtat ergo, ut dicamus bonum, quod ſpes Theologica proſequitur, eſſe Deum, ut nobis bonum.

Inſtabis 1. Amor concupiſcentiæ non eſt actus virtutis, ſed vitii: atqui actus, quo quis ſibi bonum concupiſcit, eſt concupiſcentiæ. Sic enim S. Bernardus cit. cap. 12. ſcribit: *Facit & mercenarius* (opus Dei) *ſed quia non gratis, propria trahi cupiditate convincitur. Porrò ubi proprietas, ibi ſingularitas. Ubi autem ſingularitas, ibi angulus. Ubi verò angulus, ibi ſine dubio ſordes, ſeu rubigo:* Ergo.

Diſtinguo maj. Amor concupiſcentiæ rerum temporalium, qui ex S. Auguſtino propriè dicitur cupiditas, eſt actus vitii, Conc. Amor concupiſcentiæ beatitudinis, ſapientiæ, & aliorum bonorum ſpiritualium eſt actus vitii, Nego major. Quin laudatur & commendatur in Scripturis: *Cogitatum habe in præceptis Altiſſimi .... & concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi*, Eccli. 6. verſ. 37. *Concupiſcite ergo ſermones meos, diligite illos*, Sap. 6. verſ. 12. & infra verſ. 14. *Præoccupat* (ſapientia) *qui ſe concupiſcunt, ut illis prior ſe oſtendat.* Et verſ. 21. *Concupiſcentia itaque ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum.* Itaque ſunt obſcœnæ concupiſcentiæ, ſunt & ſanctæ concupiſcentiæ, ex Origene Hom. 7. in Levit. ſecundùm verſionem Ruffini. Unde S. Thomas 2. 2. quæſt. 26. art. 3. ad tertium, non dubitat ſpem vocare amorem concupiſcentiæ, *quòd aliquis*, inquit, *velit frui Deo, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiſcentiæ.* Uſus tamen obtinuit, ex S. Auguſtino, Lib. 14. de Civ. Dei cap. 7. *Ut ſi cupiditas, vel concupiſcentia dicatur, nec addatur cujus rei ſit, non niſi in malo poſſit intelligi.*

Inſta-

Instabis 2. Atqui nihil possumus amare, nisi illud sit nobis bonum: Ergo fictitius est ille amor charitatis, à spuriis Mysticis excogitatus, quo Deus dicitur amari, ut est bonus in se, & sine relatione ad nos.

Antecedens probatur; Quia, ut aliquid actu ametur aut appetatur, satis non est, quòd sit simpliciter & absolutè bonum; sed insuper requiritur, ut amanti sit bonum vel utile, vel jucundum, vel honestum & conveniens; alioquin, cùm omne ens secundùm se spectatum, sit simpliciter bonum, esset etiam cuilibet amabile & appetibile, quod longè absurdissimum est; quàm multa enim in se bona valde, sunt aliis noxia, & ideò fugienda? aqua v. g. expellit calorem, quamvis in se bonum, utpote ipsi infestum; optimas carnes bos fastidit, quas leo concupiscit. Quis hominum nesciat Deum esse summè bonum? Illum tamen peccator non amat; quia illum non apprehendit, ut sibi bonum, nec unquam amare poterit, nisi voluntas ejus misericorditer præparetur, experiaturque per gratiam, quàm suavis sit Dominus, & quàm bonum sit ipsi diligere suum Creatorem. Hinc vulgare apud Philosophos effatum, *amicabilia quæ sunt ad alterum, veniunt ex amicabilibus, quæ sunt ad se ipsum*, Ethic. 9. Ergo amor nostri est veluti prima radix, ex qua oriuntur & crescunt cæteri amores; ac proinde una est ratio amandi Deum, scilicet, bonitas ejus relativè ad nos spectata, fictitiumque ac prorsus impossibile amare Deum, quatenus præcisè bonus est in se.

Distinguo anteced. Non possumus amare supernaturaliter, Nego: Naturaliter, subdistinguo, in statu naturæ corruptæ, Conc. In

statu

ſtatu naturæ integræ, Nego antec. & conſeq. *Primùm dilige Deum*, inquit S. Auguſtinus Serm. 368. aliàs 37. Lib. 50. Hom. *deinde teipſum; poſt hæc dilige proximum ſicut teipſum. Priùs tamen diſce amare teipſum; ſic dilige proximum ſicut teipſum: Nam ſi teipſum non noſti amare, quomodo proximum poteris in veritate diligere?* . . . qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam: *Si ergo amando iniquitatem, teipſum non ſolùm non diligis, ſed etiam odio habes; quomodo aut Deum, aut proximum diligere poteris?*

Enimverò amor ſui, qui ſupponitur præcedere tanquam radix amoris Dei, & cujuslibet creaturæ, vel eſt inordinatus & malus: vel ordinatus & bonus: atqui neutrum dici poteſt. Non primum, aliàs natura humana, utpotè neceſſaria radix fructus mali, eſſet ſubſtantia mala, & à malo principio; bona quippe arbor non poteſt malos fructus facere, Matth. 7. Non ſecundum, 1. quia is amor non eſt ordinatus & bonus, qui caret ſuo debito fine: atqui ejuſmodi eſſet proprius ille amor, utpotè qui terminaretur ad ipſum amantem, ut ſupponitur, nec tenderet ad Deum, qui eſt ultimus rerum omnium finis. 2. Quia Deus non ſolùm eſt rerum omnium finis, ſed etiam principium: atqui inevidens eſſet inordinatio in operibus Dei, ſi (quod abſit) voluntates humanas formaret, inclinaretque ad aliud, quàm ad ſe ipſum, & independenter à libera earum electione ante omnia converteret ad privatum bonum. Ergo prima Dei impreſſio & motio in natura creata adhuc integra eſt ad illum propter ſe amandum ſuper omnia.

Confir-

Confirmatur : Omnis pars primariò tendit in bonum totius ; illudque naturaliter præfert propriæ saluti, manus v. g. absque mora & cunctatione imminenti periculo se exponit ad tuendum caput, ex quo pendet salus totius corporis : atqui Deus habet rationem totius respectu cujuslibet creaturæ : ergo naturale est homini in statu naturæ integræ plus diligere Deum, quàm se ipsum. Ita S. Thomas 1. part. qu. 60. art. 5. *Videmus*, inquit, *quòd naturaliter pars se exponit ad conservationem totius corporis ; sicut manus exponitur ictui absque deliberatione ad conservationem totius corporis. Et quia ratio imitatur naturam, hujusmodi imitationem invenimus in virtutibus politicis ; est enim virtuosi civis, ut se exponat mortis periculo pro totius Reipublicæ conservatione ; & si homo esset naturalis pars hujus civitatis, hæc inclinatio esset ei naturalis. Quia igitur bonum universale est ipse Deus, & sub hoc bono continetur etiam Angelus & homo, & omnis creatura ; quia omnis creatura naturaliter secundùm id quod est, Dei est, sequitur, quòd naturali dilectione etiam Angelus & homo plus & principaliùs diligat Deum, quàm se ipsum ; alioquin si naturaliter plus seipsum diligeret, quàm Deum, sequeretur, quòd naturalis dilectio esset perversa, & quòd non perficeretur per charitatem, sed destrueretur.*

Ad confirmationem respondeo ambiguè opponi, ut res ametur, satis non esse, quòd sit bona in se, sed insuper requiri, ut sit amanti conveniens ; si enim per hanc vocem, *conveniens*, intelligatur, quòd amans debeat esse ordinatus ad illam rem, vera est propositio ; convenit enim unicuique servare debitum ordinem : si verò sensus sit, rem illam, ut ametur, semper debere referri ad ipsum amantem tanquam ad finem, falsitas pro-

propositionis perspicua est vel solo membrorum exemplo; unicuique enim convenit, ut sese periculo objiciat pro salute totius corporis; minimè verò, ut commune bonum corporis ad propriam incolumitatem referat.

Urgebis: Sequeretur, charitatem præcedere omnes virtutes, & motum spei in peccatore esse inordinatum; utpotè qui sit amor sui; absurdum consequens: ergo & antecedens.

Distinguo sequelam majoris ut supra; Charitatem præcedere omnes virtutes in statu naturæ integræ, Conc. In statu naturæ corruptæ, in quo gratia naturam paulatim sanat, & liberat à servitute cupiditatis, Nego sequelam. Nam ex Patribus supra laudatis, maximè ex S. Bernardo, peccator, cujus voluntatem gratia prævenit, à timore incipit, tum in spem erigitur, ac tandem *transit ad tertium gradum, ut diligat Deum non jam propter se, sed propter ipsum. Sanè in hoc gradu diu statur: & nescio si à quoquam hominum quartus in hac vita perfectè apprehenditur, ut se scil. diligat homo tantùm propter Deum. Asserant hoc, si qui experti sunt: mihi, fateor, impossibile videtur.* Absit autem, ut inordinatus dicatur spei motus, quo introducitur charitas, cùm ille motus sit à Spiritu Sancto, disponatque ad diligendum Deum super omnia: *Quod enim Dei est, immundum esse non potest*, inquit sanctus Bernardus cit. cap. 12.

Porrò recentiores Mystici, quos Quietistas vocant, damnati sunt, quòd non solùm cum sancto Bernardo & omnibus Catholicis assererent, hominem in hac vita diu stare posse in eo gradu, in quo diligat Deum non jam propter se, sed propter

propter ipſum ; ſed ulteriùs progreſſi hanc propoſitionem evulgarent, quæ eſt prima ex vigintitribus, quas Innocentius XII. confixit anno 1699. *Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt charitas pura, & ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe . . . . Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent ampliùs in eo partem. Non amatur ampliùs Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.* Ut autem intelligatur, quàm meritò damnata ſit ejuſmodi propoſitio, expendendum eſt ex profeſſo, quæ ſit ſpei neceſſitas, quamdiu hanc vitam mortalem vivimus. Sit itaque

CAPUT III.

De Spei Neceſſitate.

Q. I. *Actus ſpei ſuntne adultis neceſſarii ad ſalutem?*

R. Sunt neceſſarii tum neceſſitate medii, tum neceſſitate præcepti naturalis & divini.

Prima pars, quæ eſt de neceſſitate medii, probatur 1. iiſdem momentis, quibus ſupra demonſtravimus fidei neceſſitatem: *Nempe*, ait ſanctus Bernardus Serm. 10. in Pſalm. 9. *germana fidei ſpeique cognatio eſt, ut quod illa futurum credit, hæc ſibi incipiat ſperare futurum . . . . Dicit fides, parata ſunt magna & inexcogitabilia bona à Deo Fidelibus ſuis: Dicit ſpes, illa mihi ſervantur.* Hinc eſt, quòd in Scripturis fides & ſpes ſoleant ſimul conjungi, quaſi eſſent una & eadem virtus, cùm tamen ſint eſſentialiter diſtinctæ, Rom. 4. v. 3. de fide dicitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam:*

de

de ſpe verò v. 18. *Qui in ſpem contra ſpem credidit.* Et v. 20. *In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentia.* Hebr. 11. v. 9 *Fide demoratus eſt* (Abraham) *in terra repromiſſionis tanquam in aliena.* Hæc quoad fidem: quoad ſpem autem v. 10. *Expectabat enim fundamenta habentem civitatem.* Quin ſpes Hebr. 11. indirectè ponitur in definitione fidei: *Eſt autem fides*, inquit Apoſtolus, *ſperandarum ſubſtantia rerum*, & increduli vocantur filii diffidentiæ, Eph. c. 2. v. 2. & cap. 5. v. 6. Infirmus enim fruſtra credit ſe poſſe ſanari à Medico, niſi & ſperet ſe ſanandum, imò ejus diffidentia ſignum foret ipſum non credere. Sicut ergo accedentem ad Deum credere oportet quia eſt; quia pœnitentibus peccata dimittit, deprecantes exaudit, inquirentibus ſe remunerator eſt; ſimiliter eadem ſperet neceſſe eſt, alioquin fides ejus inanis foret; ſpes enim eſt diſpoſitio neceſſaria tum ad veniam peccatorum obtinendam, ex Concilio Tridentino Seſſ. 6. c. 6. juxta illud Prov. 28. v. 25. *Qui ſperat in Domino, ſanabitur.* Et Matth. 9. *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua*: tum ad cæteras gratias impetrandas, Jac. 1. v. 7. *Non ergo æſtimet homo ille* (qui hæſitat diffidentia) *quòd accipiat aliquid à Domino.*

Probatur 2. ex ſanctis Patribus. S. Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromatum ſic ſcribit: *Fides eſt ad ſalutem inclinatio, poſt quam timor, ſpes, & pœnitentia.* S. Ambr. Lib. 1. de Pœnitentia c. 1. *Nemo*, inquit, *poteſt bene agere pœnitentiam, niſi ſperaverit indulgentiam.* S. Aug. Serm. 352. aliàs 27. inter 50. Homil. c. 3. docet, ſpem non minùs eſſe neceſſariam ad conſervandam vitam ſpiritalem, quàm reſpirationem ad vitam animalem. *Judam traditorem*,

rem, inquit, *non tam ſcelus, quod commiſit, quàm indulgentiæ deſperatio fecit penitus interire .... quod fecit in corpore ſuo, hoc factum eſt in anima ipſius ..... Quomodo ergo qui ſibi collum ligant, inde ſe occidunt, quia non ad eos intrat ſpiritus aëris hujus: ſic illi, qui deſperant de indulgentia Dei, ipſa deſperatione intus ſe ſuffocant, ut eos Spiritus Sanctus viſitare non poſſit.*

Ex his autem ſic conficitur argumentum: illud eſt neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo nec remiſſio peccatorum, nec æterna ſalus obtineri poſſunt; atqui ex dictis ſine ſpe adulti nec remiſſionem peccatorum, nec ſalutem æternam obtinere poſſunt: Ergo ſpes neceſſaria eſt neceſſitate medii.

Secunda pars, quæ eſt de neceſſitate præcepti tàm naturalis, quàm divini, probatur 1. quoad præceptum naturale; quia recta ratio exigit, ut media ad ſalutem neceſſaria aſſumamus: atqui ſpes ex dictis eſt medium neceſſarium ad ſalutem æternam: Ergo.

Probatur 2. quoad præceptum divinum, Pſ. 65. *Sperate in eo omnis congregatio populi.* Eccli. 11. *Dirige viam tuam, & ſpera in illum.* Oſeæ 12. *Spera in Deo tuo ſemper.* 2. Petr. c. 1. *Sperate in eam, quæ vobis offertur gratiam.*

Confirmatur auctoritate Alexandri VII. & Cleri Gallicani, qui proſcripſerunt hanc propoſitionem: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Quam propoſitionem Clerus Gallicanus anno 1700. declarat ſcandaloſam, in praxi pernicioſam, erroneam, inducentem Fidei & Evangelii oblivionem.

Q. 2. *Quandonam tenemur elicere actus ſpei?*

R. 1. Generatim quoties tenemur operari propter vitam æternam; non enim ad eam nitimur propriis viribus, ſed omnipotentis Dei auxilio, quod miſericorditer promiſit ſperantibus in ſe. Vide ergo an ſit aliquod tempus, quo non teneamur tendere ad vitam æternam, quæ eſt ultimus noſter finis; & intelliges, utrùm ſpes in nobis aliquando debeat manere otioſa. Enimverò ſicut ſpes victoriæ conficit exercitum, ſpes lucri in unum corpus erigit mercatores; ita ſpes adipiſcendæ vitæ æternæ congregavit Eccleſiam. Quid enim pollicitus eſt Imperator noſter, cùm primos Evangelii ſui præcones miſit ad conſcribendos militiæ ſuæ milites, & conducendos, qui ejus nomine negotiarentur donec veniat? *Euntes*, inquit, Matth. 10. *prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum cœlorum.* His promiſſis illecti innumeri nomen ſuum dederunt militiæ Chriſtianæ, & collecta eſt Eccleſia. Exinde regnum cœlorum vim patitur, unus veri Chriſtiani ardor illud rapere, unum ſtudium augere lucra Domini ſui; *qui enim de futuro ſæculo non cogitat*, inquit S. Aug. Serm. 9. aliàs 96. de Tempore, *nec propterea Chriſtianus eſt, ut id quod Deus in fine promittit, accipiat, nondum Chriſtianus eſt*, aut ſaltem abortivus cenſendus; quotquot enim ſumus Chriſtiani, in Chriſto renaſcimur in ſpem vivam, juxta illud 1. Petri c. 1. v. 3. *regeneravit nos in ſpem vivam per reſurrectionem Jeſu Chriſti, ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem; conſervatam in cœlis.* Qua autem virtute & induſtria arduum illud opus aggredimur? an propria? *ſed maledictus, qui confidit in homine.* Jer. 17. Ergo & in ſeipſo, quia & ipſe homo eſt.

Reſtat igitur, ut quemadmodum monet Apoſtolus

ſtolus 1. Theſſal. 5. ſemper ſimus induti loricam fidei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis; hoc eſt, nihil præſumamus de nobis, ſed ſicut nobis eſt continua pugna, ita continuò ſpem noſtram in Dei miſericordia & omnipotentia figamus.

R. 2. Communis eſt Catholicorum ſententia, præceptum ſpei præſertim obligare in hiſce caſibus, 1. initio uſus rationis; ſicut enim tunc tenetur homo ad Deum ſe convertere per fidem, ut ſupra diximus; ita & per ſpem & charitatem. 2. in articulo mortis, & ita fert diſciplina & praxis Eccleſiæ, juxta quam Paſtores in ejuſmodi circumſtantiis exigunt à quolibet Fideli, ut non ſolùm credat, ſed etiam ſperet carnis reſurrectionem & vitam æternam, ad quam jamjam migraturus eſt. 3. quando graves tentationes contra ſpem ingruunt, & animus concutitur motibus deſperationis; quia ſicut infidelitati opponenda eſt fides, odio dilectio, ſuperbiæ humilitas; ita ſpes deſperationi. Nec audiendi ſunt Pſeudo-Myſtici, dùm dicunt, Fideles charitate perfectos gratum Deo ſacrificium oblaturos, ſi, ubi æterna ſalus ipſis deſperata apparet, omnem ejus ſpem abjiciant ex motivo puriſſimi amoris; proſcripta quippe eſt illa doctrina ab Innocentio XII. cujus Conſtitutionem unanimi conſenſu amplexi ſunt Antiſtites Gallicani, & promulgarunt unuſquiſque in ſua Diœceſi anno 1699. 4. Cùm urget pœnitentiæ præceptum; nam ex S. Ambroſio ſupra laudato, *nemo poteſt bene agere pœnitentiam, niſi ſperaverit indulgentiam.* 5. Denique quando inſtat orationis neceſſitas, poſtulandum quippe eſt in fide & cum fiducia, ut latè proſequimur Tract. de Religione, ubi de conditionibus Orationis. Cùm autem oratio

tio debeat esse continua, saltem moraliter, ut ibidem demonstramus, vel inde colligitur quàm frequentes & continui actus spei esse debeant.

Q. 3. *Existitne in hac vita is perfectionis status, in quo nec timor pœnarum, nec desiderium remunerationis æternæ ullam partem habeant?*

Affirmarunt novi Mystici, ut patet ex eorum propositione allata ad calcem præcedentis capitis, sed cùm fuerit à Sede Apostolica rejecta & damnata, ac deinceps ab universo Clero Gallicano,

R. Non existit.

Probatur 1. ex Scriptura Rom. 8. v. 23. & seq. *Nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus .... Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.* Hæc dicuntur de perfectissimis Christianis, etiam de ipso Apostolo, qui raptus est usque ad tertium cœlum, cuique nemo se adæquare præsumet, nedum anteponere. Et Philipp. 3. vers. 12. & seq. *Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus sim ... fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor ... quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.*

Probatur 2. ex sanctis Patribus. S. Aug. in Psal. 122. initio sic scribit: *Non præter spem esse debemus, imò cum magna fiducia præsumere, quia si per charitatem ipse nobiscum in terra est, per eandem charitatem & nos cum eo in cœlo sumus .... Ille deorsum est compassione charitatis, nos sursum sumus spe charitatis;* spe enim salvi facti sumus, Rom. 8. S. Bernardus supra laudato capite 15. de diligendo Deo: *Nescio,* inquit,

inquit, *si à quoquam hominum quartus* (gradus) *in hac vita perfectè apprehenditur, ut se scilicet diligat homo tantùm propter Deum. Asserant hoc, si qui experti sunt: mihi, fateor, impossibile videtur. Erit autem procul dubio, cùm introductus fuerit servus bonus fidelis in gaudium Domini sui.* Ubi S. Doctor non negat dari aliquos actus in hac vita, quibus homo diligat Deum non propter se, sed propter ipsum; id enim agnovit in iis, qui tertium gradum attigerunt. Sed contendit nullum esse statum vitæ hujus, in quo amor sui partem non habeat, nec ulla spe mercedis æternæ moveatur.

Probatur 3. ratione, quia quamdiu hìc degimus, nunquam desunt tentationes, corpus quod corrumpitur, aggravat animam identidem erigendam oratione, quæ sola Dei misericordia & omnipotentia nititur: caro concupiscit adversùs spiritúm, adversarius noster diabolus semper circuit quærens quem devoret: Ergo ex Apostoli præcepto, Eph. 6. in omnibus assumendum est scutum fidei, & galea spes salutis, hoc est, fiducia in Deum, *in quo sunt vires nostræ, ex adjutorio enim ejus vincimus, non ex præsumptione nostra,* S. Aug. Conc. 2. in Ps. 90.

CAPUT IV.

De Spei Certitudine.

Q. 1. *Spes Theologica estne certa?*

R. Certa est ratione sui: incerta respectu nostri: simpliciter tamen & absolutè certa dici debet. Tres sunt responsionis partes.

Prima pars, quæ est de certitudine spei ratione sui, probatur 1. ex Scriptura, Psal. 23. *Qui susti-*

nent te, non confundentur. Eccli. 2. verſ. 11. *Reſpicite, filii nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt.* Rom. 8. *Spes non confundit.* 2. Tim. 1. *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare.*

Probatur 2. ratione. Illa virtus eſt certa ratione ſui, quæ nititur medio certo & infallibili; ſcientia v. g. eſt cognitio certa, quia habetur per medium certum & neceſſarium: contra verò opinio non eſt certa, quia medium ejus eſt incertum: atqui Spes Theologica nititur medio certo & infallibili, nempe omnipotentia & miſericordia divina, adde & veracitate, ſeu fidelitate in promiſſis; ait enim Pſal. 36. *Adjuvabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & ſalvabit eos, quia ſperaverunt in eo.* Quæ poſtrema verba expendens S. Bern. Serm. 9. in Pſalm. 9. ſic habet: *Dulcis cauſa, attamen efficax, attamen irrefragabilis. Si hæc ſapimus, ut quid cunctamur . . . huic uni tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei, tota devotione animi, toto fervore ſpiritus inhærere? Si quid illi impoſſibile, ſi quid vel difficile eſt, quære aliud in quo ſperes, ſed verbo omnia poteſt, quid facilius dictu? . . . an verò de facilitate jam non dubitas, ſed ipſa tibi eſt ſuſpecta voluntas? planè & voluntatis teſtimonia credibilia facta ſunt nimis . . . Denique quando in ſe ſperanti deſit illa majeſtas, quæ tam ſtudioſè monet in ſe ſperari?* De quacunque tribulatione, *inquit*, clamaverint ad me, exaudiam eos. *Ecce numera tribulationes . . . . . dummodo ad alium non convertaris, dummodo clames ad eum: dummodo ſperes in eum, nec humile aliquid vel terrenum, ſed Altiſſimum ponas refugium tuum. Quis ſperavit in eo, & confuſus eſt? facilius eſt cœlum & terram tranſire, quàm verbum ejus evacuari.*

Secunda

Secunda pars, quæ eſt de incertitudine ſpei reſpectu noſtri, eſt contra Pſeudo-Reformatos, qui definiunt, fidem eſſe certam fiduciam, qua quiſque firmiter credat ſe eſſe prædeſtinatum, & ſibi indubitanter applicet promiſſiones generatim factas. Probatur autem Catholica reſponſio ex Scriptura, Eccli. 9. *Neſcit homo, utrùm amore, an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* 1. Cor. 10. v. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Philipp. 2. v. 12. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Vide, quæ in hanc rem diximus Tract. de Gratia c. 4. §. 8.

Tertia pars, nempe quòd ſpes ſimpliciter & abſolutè certa dici debeat, probatur; quia res quælibet æſtimari & denominari debet ex iis, quæ ſunt ei propria; non verò ex iis, quæ ipſi per accidens adveniunt; ars v.g. & prudentia ſunt virtutes certæ & infallibiles, licèt dubium eſſe poſſit, an aliquis ad illarum virtutum regulas opus ſuum exegerit: atqui Spes Theologica ex dictis prima noſtra reſponſione, eſt certa ratione ſui, utpote quæ nitatur promiſſis Dei veracis & omnipotentis, de quibus nefas eſt dubitare & diffidere: quidquid ſperans patitur incerti & fluctuationis, naſcitur ex defectu liberi arbitrii, & pravitate cordis humani, cujus conſilia & intentiones penetrari nequeunt. Ita S. Thomas q. 18. art. 4. ad 3. *Quòd aliqui*, inquit, *habentes ſpem deficiant à conſecutione beatitudinis, contingit ex defectu liberi arbitrii ponentis obſtaculum peccati, non autem ex defectu divinæ potentiæ vel miſericordiæ, cui ſpes innititur. Unde hoc non præjudicat certitudini ſpei.* Et in reſponſione ad 2. *Spes non innititur principaliter gratiæ jam habitæ, ſed divinæ omnipotentiæ & miſericordiæ: per quam etiam qui*

gratiam non habet, eam consequi potest, ut sic ad vitam æternam perveniat, de omnipotentia autem Dei & misericordia ejus certus est, quicunque fidem habet.

Dices: illa virtus non est certa ratione sui, quæ est causa timoris: atqui Spes Theologica est causa timoris; efficax enim desiderium possidendi bonum absens & arduum, naturaliter producit timorem illius amittendi, & quidem eò majorem, quò bonum illud pluris æstimamus, & obtentu difficilius apparet: ergo Spes Theologica, non est certa ratione sui.

Confirmatur. Ideo opinio non est cognitio certa, quia conjuncta est cum erroris periculo, & injicit timorem falsi: ergo nec Spes Theologica, utpote quæ timore amittendæ beatitudinis, & excidendi à gratia sperantes percellat, qui enim tantum malum non metuit, aut ab omni spe dejectus est, aut certè nimium de se præsumit, & in Spem Theologicam peccat, ut dicetur infra.

Distinguo maj. Si per se & ratione sui timorem injiciat, quemadmodum opinio, Concedo: si per accidens & ratione alterius, nempe subjecti, quod deficere potest, Nego maj. Nempe prudentia & ars sunt cognitiones certæ, quia nituntur regulis infallibilibus; quanta tamen anxietas in artifice, præsertim cùm tractat materiam pretiosam, quatenus timor in viro prudente, cùm de re magni momenti consulitur? uterque tamen certas habet regulas suæ disciplinæ; sed metuit ne ab iis recedat, deficiatque.

Distinguo similiter min. Spes Theologica est causa timoris per accidens & ratione subjecti, nempe sperantis, qui deficere potest; hoc est, minùs quàm par sit adhærere Dei promissis, & confortari

fortari in potentia virtutis ejus, ut loquitur Apostolus, Concedo: est causa timoris per se & ratione sui, Nego min. de infinita enim Dei misericordia & omnipotentia nullus dubitaverit, nisi infidelis & insipiens.

Ex timore igitur id unum colligere licet, nempe spem non esse certam respectu nostri; quia periculum est, ne quis desit gratiæ Dei, propter pravitatem cordis sui, & innatam voluntatis levitatem ac inconstantiam. Sed timor ille nedum remittat spem nostram, quasi sit incerta, quin illam acuit, & ad Deum confugere vehementiùs impellit, juxta illud Psalm. 13. *Qui timent Dominum, speraverunt in Domino.* Paradoxum & contra communem hominum sensum prima fronte videtur, quòd timor sit causa sperandi: timor quippe perspicit malum imminens, & vitatu difficile; spes verò bonum absens & arduum. Sed distinguendum inter timorem hominis, & timorem Dei: hominem tùm timemus, cùm nobis malè vult, & ideo manus ejus fugimus, certi quòd non parceret, si in ejus potestatem nos venire contingeret. Deum verò timemus ne deserat, ne propter peccata à se projiciat; atque ejusmodi timore impellimur confugere ad illum, cujus natura est bonitas omnipotens, & opus misericordia, *qui timent Dominum, speraverunt in Domino.* Nec frustra; subditur enim *adjutor eorum, & protector eorum est.* Adjutor, inquit S. Bernardus, ut liberentur à malis: protector, ne jam liberati iterum labantur. Quare? Quibus meritis? quia speraverunt in eo, *quoniam in me speravit*, inquit, *liberabo eum*, Psal. 90. *hoc enim totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo, qui totum hominem salvum*

facit; ſpes noſtra ſeu deſiderium eſt veluti hydria in mente S. Auguſtini: pro cujus amplitudine haurimus ex fonte divinæ bonitatis. Et S. Bernardus ad ſenſum tropologicum pro more transferens quod legitur Deuter. 11. *Omnis locus, quem calcaverit pes veſter, veſter erit . . . nullus ſtabit contra vos*, ſic ſcribit: *pes veſter utique ſpes veſtra eſt. Et quantumcunque illa proceſſerit, obtinebit, ſi tamen in Deum tota figatur, ut firma ſit, & non titubet.*

Spem certam ac firmam exigit S. Doctor, utpote quæ debeatur omnipotentiæ & miſericordiæ divinæ, quibus noſtra beatitudo fit acquiſitu poſſibilis, ſicut enim Deus meretur in dictis infinitam fidem; quia eſt prima & infinita veritas: ita & in promiſſis infinitam ſpem; quia eſt infinita & omnipotens bonitas. Cùm autem operari ſequatur eſſe, ac proinde creatura finita non poſſit niſi finito modo agere, reſtat, ut contendamus ſemper creſcere in fide, ſpe, & charitate, orantes cum Eccleſia, *da nobis Domine, fidei, ſpei, & charitatis augmentum.*

Ergo per exceſſum non peccatur contra ſpem, neque contra duas alias virtutes Theologicas, fidem ſcilicet & charitatem, ſed per defectum duntaxat, ſi ratio habeatur earum objecti; in eoque differunt à virtutibus moralibus. Adverſùs iſtas quippe æquè peccatur per exceſſum, (ſola juſtitia excepta) ac per defectum; quia objecto earum, utpote bono creato & finito, voluntas adhærere poteſt pluſquam oporteat & deceat; bona enim creata ſunt moderatè amanda, & propter majora dimittenda. Sed bonum in quod tendunt fides, ſpes, charitas, eſt increatum & infinitum, ac proinde in illud voluntas magis ac magis

magis sese extendere debet. Porrò qui ita sunt affecti, rectè dicuntur ex toto corde credere, sperare, ac diligere.

Dixi, *si ratio habeatur earum objecti;* quia ratione subjecti potest quis excedere circa virtutes Theologicas; nimia quippe & imprudens contentio circa hujmodi virtutes, quæ noceret sanitati, improbanda esset tanquam excessus, quemadmodum inordinatus zelus, nimia sui fiducia, &c. Sed qui censetur excessus per ordinem ad subjectum, defectus est per ordinem ad objectum, quod meretur infinitè credi; concupisci, & diligi.

Ergo qui sperat in Domino, quomodo præscribit Fides Catholica, & nos jam exposuimus, verè exuit infirmitatem humanam, & induit fortitudinem Dei, ut dicat cum Apostolo, *cùm infirmor tunc potens sum, omnia possum in eo, qui me confortat;* quid enim non possit, qui innititur omnipotentiæ & misericordiæ divinæ, quam Fides docet non defuturam, modo ipse non desit? Hinc S. Bern. confidenter scribit Serm. 9. in Psal. 90. *Quidquid agendum sit, quidquid declinandum, quidquid optandum, tu es Domine, spes mea . . . . sperent in aliis alii, fortè hic in scientia litterarum: hic in astutia sæculi; ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat, propter te omnia detrimentum feci, & ut stercora arbitror, quoniam tu es, Domine, spes mea. Speret qui vult in incerto divitiarum: ego verò ne ipsa quidem nisi abs te victui necessaria spero . . . Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant adversùm me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversùs spiritum concupiscat, in te ego sperabo. Fratres, hoc sapere,*

pere, ex fide vivere eſt, nec alius ex ſententia dicere poteſt: quoniam tu es, Domine, ſpes mea.

Ergo præcipua cura ſit Confeſſariis & Paſtoribus, ut eos, quorum ſaluti deſerviunt, bona ſpe in Deum compleant, meticuloſos confirment, doceantque timorem, quem Eccleſia donum Dei agnoſcit nedum animum dejicere, & à Deo repellere, quin ad ipſum impellere quaſi ventum ſecundum flantem à tergo, ut relinquentes priſtinam agendi conſuetudinem, velociùs ad æternæ ſalutis portum feramur: contra verò timorem, quem peccatores ſibi fingunt tanquam murum oppoſitum, quo ipſis ad Deum intercluditur acceſſus, injici à ſpiritu maligno, ut ſpem adimat, aut ſaltem minuat, quo nihil pernicioſius; *qui enim hæſitat*, inquit S. Jac. cap. 1. *ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur; non ergo æſtimet homo ille, quòd aliquid accipiat à Domino;* nec juſtificabitur peccator niſi timor Dei illum in ſpem erigat; nec juſtus in virtute proficiet, nec perſeverabit, niſi ita de ſe diffidat, ut firmam ſpem in Deo ponat. *Vir duplex animo*, addit autem Apoſtolus citato loco, *inconſtans eſt in omnibus viis ſuis*, hoc eſt vir, cujus animus veluti in duos diſſectus, ſpe ſcilicet & metu, fiducia & diffidentia, audacia & deſperatione, multa in ſua anxietate tentat ac movet, ſed nihil promovet; ſi ex una parte aſſurgit, ex altera miſerè cadit. Quare Confeſſarius oleum operamque perdet, niſi pœnitentem eò adduxerit, ut de ſe prorſus diffidat; & certam ſpem in Deo collocet, quod magis perſpicuum fiet ex dicendis capite ſequenti.

CAPUT

CAPUT V.

De Peccatis oppositis Spei Theologicæ.

Q. 1. *Quotuplex peccatum est Spei oppositum?*
R. Duplex, scilicet desperatio & præsumptio.

Q. 2. *Quid est desperatio?*

R. Est diffidentia assequendi beatitudinem, & obtinendi media ad illam necessaria. Itaque sicut Spei Theologicæ duplex est objectum obtentu possibile, primarium, nempe beatitudo, seu possessio Dei; & secundarium, scilicet auxilia gratiæ, & bona opera, quibus tanquam mediis ad beatitudinem pervenitur: ita desperationis duplex assignatur objectum obtentu impossibile sive absolutè, sive moraliter, hoc est, nimis difficile; nimirum beatitudo & media ad illam necessaria, puta pœnitentia, & alia bona opera. Porrò bonum apprehensum ut possibile proponitur voluntati desperanti, ut incommodum disconveniens, & malum quoddam abjiciendum, seu fugiendum: apprehensum verò ut possibile, speranti exhibetur, ut conveniens & appetibile: & ideo desperatio est quidam voluntatis recessus à beatitudine, & mediis ad illam ordinatis: spes contra se habet ut accessus & conatus ad beatitudinem, & ad media, scilicet bona opera, quibus obtineri potest beatitudo.

Q. 3. *Quid est præsumptio?*

R. Est temeraria expectatio beatitudinis, & mediorum illius assequendæ.

Dicitur temeraria, id est, vana, futilis, & carens omni fundamento. Ejusmodi autem expectatio

ctatio poteſt eſſe dupliciter temeraria, 1. quidem, quia non innititur divinæ miſericordiæ, & omnipotentiæ; ſed viribus humanis ſive propriis, ſive alienis. 2. quia inordinatè confidit in divina miſericordia & omnipotentia, expectando ſcilicet quæ Deus nedum promiſerit, imò ſe negaturum minatus eſt. Vana illa expectatione deluduntur, qui ſibi meritum per bona opera in Deo facta comparare negligunt, & pœnitentiam ad mortem differunt, interim cupiditatibus ſuis laxantes habenas, quia ita audiunt quod ſcriptum eſt Ezech. 33. verſ. 12. *Impietas non nocebit ei* (impio) *in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua*, ut aures ſuas obturent ad ea, quæ alibi dicuntur: *Dies Domini ſicut fur in nocte*, 1. Theſſ. 5. verſ. 2. *Qua hora non putatis Filius hominis veniet*, Luc. 11. verſ. 39. *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius*, Eccli. 5. verſ. 8. *Iniqui regnum Dei non poſſidebunt; nolite errare.* 1. Cor. 6. verſ. 9. Unde S. Aug. Serm. 21. novæ editionis ſcribit: *Si mihi legis de Libro ſancto, ſicut indulgentiam tibi promiſſam eſſe converſo, ſic tibi promiſſum craſtinum diem, differ ad craſtinum. Prorſus quando te converteris, dabit: ſed ipſum quando, quando eſt?* Nuſquam promittitur, ac proinde vana eſt illius expectatio.

Ergo deſperatio contra ſpem pugnat per defectum: præſumptio verò per exceſſum, ſcilicet ex parte ſubjecti ſperantis, quod Deus non promiſit: nam ex parte objecti exceſſus eſſe nequit, ſed ſolummodo defectus, ut capite præcedenti probavimus.

Q. 4. *Deſperatio & præſumptio ſuntne cum infidelitate conjunctæ?*

R. 1.

R. 1. Sunt aliquando, cùm ſcilicet oriuntur ex judicio ſpeculativè falſo; ut ſi quis deſperaret ſe veniam conſecuturum, aut pœnam æternam evaſurum, credens cum Novatianis, Eccleſiæ non eſſe conceſſam poteſtatem remittendi graviora peccata poſt Baptiſmum commiſſa; vel cum Pſeudo-Reformatis: Deum aliquos antecedenter prædeſtinaſſe ad malum culpæ, & ad ſupplicia æterna; ejus deſperatio conjuncta eſſet cum hæreſi. Cùm autem illa circumſtantia addat deſperationi novam peccati ſpeciem, in Confeſſione Sacramentali eſt explicanda, ideóque inquirendum à pœnitentibus, quam ob cauſam deſperaverint. Idem dicendum eſt de præſumptione: poteſt enim oriri ex falſa & hæretica opinione vel Pelagianorum, quòd ſolis liberi arbitrii viribus vitam æternam promereri poſſimus; vel Novatorum, quòd fide ſola ſine bonis operibus juſtificemur & ſalvemur.

R. 2. Deſperatio & præſumptio plerumque in Catholicis ſunt ſine infidelitate: attamen ſemper denotant fidem modicam & imperfectam.

Prima pars probatur; quia deſperatio & præſumptio ſunt defectus voluntatis, non adhærentis iis, quæ intellectus lumine Fidei illuſtratus judicat eſſe abſolutè & univerſaliter vera; atqui neceſſe non eſt ad peccatum, ut peccans apprehendat generalem Fidei regulam morum ut falſam, judicétque legem prohibentem, aut præcipientem eſſe iniquam; ſed ſatis eſt, quòd ad eam non attendat, & voluntas ejus aliò inclinet; *ſicut ille qui fornicatur*, inquit ſanctus Thomas qu. 20. art. 29. *eligendo fornicationem ut bonum ſibi ut nunc habet corruptam æſtimationem in particulari, cùm tamen retineat*

tineat universalem æstimationem veram secundùm fidem, scilicet quòd fornicatio sit mortale peccatum; judicium enim practicè falsum circa objectum singulare, potest consistere cum judicio, speculativè verò circa idem objectum; Christianus fornicator v. gr. speculativè judicat fornicationem in genere esse quid malum & illicitum, alioquin esset hæreticus; & simul practicè judicat sibi bonum esse fornicari in his singularibus circumstantiis. Similiter qui spem salutis abjicit, ita generatim credit Deum velle omnes homines salvos fieri, impossibilia non præcipere: dedisse Ecclesiæ potestatem, quælibet peccata dimittendi, ut spectata gravitate peccatorum, & continua tentationum molestia spe decidat minùs ex incredulitate quàm ex ignavia. Idem dicendum de eo, qui contra spem peccat præsumptione; cernere enim est illum contra laxiores opiniones acriter propugnare necessitatem pœnitentiæ, & aliorum bonorum operum; contra Semipelagianos constanter afferre non in nobis gloriandum, sed in Deo solo, à quo est omne posse, velle, & operari: cùm interim soli industriæ & labori innitatur, pensum orationis perfunctoriè solvat, ipsique in litteris occupato hora precandi intempestivè adveniat: quibus perspicuum sit, Christianum posse speculativè dogmata Fidei credere, & simul practicè pelagianicè vivere, confiteri se nosse Deum, factis autem negare, ut loquitur Apostolus Tit. 1. v. 16.

Secunda pars, nempe desperationem & præsumptionem denotare fidem modicam & imperfectam, probatur; quia Fides viva fugat mentis tenebras, quas obducit dæmon; ne & desperans

perpen-

perpendat Dei charitatem, qua ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, Joan. 3. & præſumens non advertat propriam infirmitatem, bonorumque temporalium vanitatem. Cùm autem illa eadem ſint perfecta ei, qui ex fide vivit, veluti in clara luce, nunc contra deſperationem ſe firmat hiſce verbis Apoſtoli Rom. 8. *Qui etiam proprio Filio non pepercit .... quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? .... Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? ... Certus ſum enim quia neque mors, neque vita .... neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Nunc contra præſumptionem propriæ infirmitatis, & rerum temporalium vanitatis bene conſcius opponit, *ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, 2. Cor. 3. *Exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei ... & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Philipp. 3.

Q. 5. *Deſperatio & præſumptio ſuntne peccata lethalia?*

R. Sunt ex genere ſuo lethalia, ſi adfuerit ſufficiens conſenſus.

Probatur; quia peccata virtutibus Theologicis oppoſita ſunt ex ſuo genere aliis graviora. *Cùm enim*, inquit, S. Thomas qu. 20. art. 3. *virtutes Theologicæ habeant Deum pro objecto, peccata eis oppoſita important directè & principaliter averſionem à Deo. In quolibet autem peccato mortali, principalis ratio mali & gravitas eſt ex hoc quòd avertit à Deo. Si enim poſſet eſſe converſio ad bonum commutabile ſine averſione à Deo, quamvis eſſet inordinata, non eſſet peccatum mortale. Et in eo illud, quod primò & per ſe habet averſionem à Deo, eſt graviſſimum inter peccata mortalia.* Atqui deſperatio & præſumptio, utpote peccata ſpei Theo-

logicæ opposita, directè avertunt à Deo: Ergo ex suo genere sunt peccata mortalia, eaque gravissima.

Minor probatur, simulque elucidatur in hunc modum. Fides docet, & ratio naturalis demonstrat Deum esse ultimum finem, ad quem tendere oportet, primum rerum principium, à quo omnia bona expectanda sunt. Illinc voluntas spe erigitur; Deum concupiscit, & nihil prætereà, nisi propter ipsum: hinc bona expectat non ab ulla creatura, sed à Deo solo, cujus omnipotenti misericordia & bonitate innititur. Hic est supremus cultus, quem Deus primo loco à creatura rationali exigit, *invoca me in die tribulationis*, inquit, Psal. 49. *eruam te & honorificabis me.* Divinum illum honorem Deo denegare, summa injuria est: ad creaturam transferre, species est idololatriæ. Nihilominus tantæ impietatis reos se quodammodo constituunt, & qui desperat, & qui præsumit: ille quidem; quia ut patet, directè, & ut loquitur S. Thomas, principaliter avertit se à Deo ultimo omnium fine. Sed quò perrecturus? Audi Apostolum de ejusmodi perditis, Ephes. 4. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Præsumens quoque; utpote qui pelagianicè glorietur sive in se, sive in eo, in quo confidit, & cujus se creaturam quandoque nuncupare non putet, ut significet se illi devinctum tanquam auctori bonorum suorum, honorem ad creaturam iniquè transferens, quem Deus, (à quo bona cuncta fluunt sive immediatè, sive ministerio hominis, quem implet veluti canalem) sibi reservat, & ut debitum exigit in omnibus ferè Scripturæ paginis: *gloriam meam alteri*

non

non dabo, inquit Iſa. 42. & Jer. 17. *maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus . . . non videbit cùm venerit bonum, ſed habitabit in ſiccitate.* Et gravitate autem pœnæ colligitur culpæ atrocitas.

Nec minùs Deo exoſa eſt altera præſumptionis ſpecies, qua quis, ut ſuprà dicebamus, pœnitentiam differt ſpe miſericordiæ conſequendæ. Illud quippe nequidem ab iniquiſſimo Principe expectaretur, ut flagitioſum civem ſecurum faceret veniæ obtinendæ, poſtquam cædibus & rapinis civitatem repleverit: ejuſmodi gratia nec petitur, ne ſperatur etiam ab indulgentiſſimo, niſi pro delictis præteritis, nec conceditur niſi pollicenti vitæ emendationem, alioquin ſpem veniæ injicere pro flagitiis in futurum committendis, quid aliud eſt quàm furentem armare in ſuos concives? Illud tamen ipſum præſumens ſperat à Deo optimo, maximo, quod à nequiſſimo Judice expectare non auderet: ſperet in morte veniam peccatorum: cur Deo figit illum terminum? Quia in omni genere libidinum vitam terere propoſuit, & juxta Lutheranorum impietatem, (quam tamen ſpeculativè deteſtatur utpote Catholicus) confidit ſe ſine bonis operibus, & mandatorum obſervatione vitam æternam conſecuturum. Abſit à Chriſtiano ut tam indigna de Deo ſentiat, Scriptura reclamante, & contra execrandam hujuſmodi præſumptionem fulminante, *nemini dedit ſpatium peccandi* Eccli. 15. verſ. 21. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram* (non miſericordiam) *in die iræ, & revelatio-*

nis justi judicii Dei, *qui reddet unicuique secundùm opera ejus*, Rom. 2.

Dixi in responsione 1. *si adfuerit sufficiens consensus;* quia in turbulentissimis desperationis tentationibus plerumque nullus aut saltem imperfectus adest consensus, tametsi pœnitentes conscientiæ nimiùm timidæ hujusce criminis se insimulent. Sed Confessarius veritatem explorabit si inquirat, num ex illo affectu consueta pietatis opera intermiserint: si enim pro more in iis perseveraverint, colliget eos non consensisse, nisi imperfectè: secus, si neglexerint, præsertim cùm urgeret præceptum.

Dixi 2. desperationem & præsumptionem esse peccata ex suo genere mortalia, ut innuerem, posse aliquando esse venialia propter levitatem materiæ.

Dices: quilibet dissensus propositioni revelatæ etiam in materia levi, destruit fidem, & est peccatum mortale: Ergo.

Nego consequentiam & paritatem. Disparitas est, quòd dissensus ille semper sit conjunctus cum contumacia, & cum contemptu divinæ auctoritatis revelantis, & Ecclesiæ proponentis, aliàs non esset infidelitas, sed error duntaxat, ut supra diximus; contumacia autem & contemptus semper est damnabilis. At levis præsumptio vel diffidentia circa aliquod medium ad salutem omninò necessarium, potest esse sine contemptu, sed ex mera infirmitate, ac proinde non pertinet habitum spei, sicut nec levis offensa contra charitatem proximo debitam, destruit habitum charitatis.

Q. 6. *Quare desperatio & præsumptio dicuntur peccata in Spiritum Sanctum?*

R. Quia

R. Quia ex dictis pag. 188. peccata in Spiritum Sanctum ſunt ea, quæ ſpecialiter pugnant contra Dei bonitatem & ejus dona, quibus declinamus à malo: atqui ſic ſe habent deſperatio & præſumptio. Deſperatio quidem, utpote quæ ſit contemptus bonitatis, qua Deus ſeipſum offert in præmium & beatitudinem noſtram. Præſumptio etiam, idque dupliciter, 1. quatenus eſt vana expectatio beatitudinis ſine pœnitentia & bonis operibus, in qua expectatione neceſſariò intelligitur contemptus donorum, quibus incitamur ad benè operandum. 2. Quatenus eſt fiducia in viribus humanis, neglecto Dei adjutorio, ſine quo nec peccatum vitari, nec ſalus obtineri poteſt. Quomodo autem peccata in Spiritum Sanctum, ac proinde deſperatio & præſumptio dicantur irremiſſibilia, expoſuimus pag. 188. & 189.

Q. 7. *Deſperatio & Præſumptio ſuntne peccata omnium graviſſima?*

R. Sunt quidem omnium pernicioſiſſima: non tamen graviſſima. Ita S. Thomas qu. 20. art. 3.

Prima pars probatur; quia qui nec timore coercetur, nec ſpe incitatur, tanquam effrenis omni intemperantiæ ſe ipſum addicit, non eum movet virtutis honeſtas, non frangit legum auctoritas: nam ex S. Th. q. 22. art. 1. *Lex ſine fide & ſpe locum habere non poteſt*. Unde S. Aug Ser. 87. *illa duo*, inquit, *occidunt animas, aut deſperatio, aut perverſa ſpes*, id eſt præſumptio. Et Ser. 20. *Si deſperes, peris: ſi ſperes, peris. Ubi tibi tutus locus erit, ut ab utraque fovea te eripias? malè deſperabas, audiſti*, in quacunque die converſus fuerit iniquus, omnes iniquitates ejus oblivifcar. *Malè ſperare cœperas, audiſti*, ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem. *Undique te circumdedit Provi-*

dentia Dei misericorditer. Et Serm. 352. *ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus; rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus.*

Secunda pars probatur; quia peccatum eò gravius est, quò pugnat contra præstantiorem virtutem, quemadmodum in Physicis mors censetur majus malum quàm cæcitas, quia destruit majus bonum, scilicet vitam: atqui odium Dei directè pugnat contra præstantiorem virtutem, nempe charitatem: ergo odium Dei est gravius peccatum, quàm desperatio & præsumptio, quæ inferiori virtuti, nimirum Spei, formaliter opponuntur.

Ergo desperatio & præsumptio sunt ex suo genere peccata graviora peccatis, quæ pugnant contra virtutes morales, ut avaritia, injustitia; quia destruunt majus bonum, scilicet Spem Theologicam, quæ præstat virtutibus moralibus.

Utrùm autem sint infidelitate graviora, ambigitur. Negat S. Thomas cit. art. 3. nonnulli distinguunt. Si desperatio immediatè oriatur ex fastidio summi boni, quasi displiceat Dei possessio, est infidelitate pejor; majorem enim præsefert Dei contemptum. Si autem nascatur ex quodam tædio & ignavia, secundùm quam beatitudo jus dicatur acquisitu difficilior, infidelitas gravius est peccatum; quia directè pugnat contra Dei veritatem; desperatio verò sic spectata indirectè solùm contra Dei misericordiam & omnipotentiam. Atque hoc sensu Doctorem Angelicum intelligendum censent illi Theologi.

Cæterùm, parùm est malum desperationis & præsumptionis detexisse, nisi sit & illius curandi studium; quod efficax non fuerit, si ignoretur ejus causa. Quamobrem,

8. *Quæ-*

8. *Quænam ſunt cauſæ deſperationis & præſumptionis?*

Reſpondet S. Thomas, acediam, hoc eſt, faſtidium boni ſpiritualis, præſertim divini eſſe cauſam deſperationis: ſuperbiam verò & inanem gloriam præſumptionis.

Ad curandum ergo deſperationis morbum, expellenda eſt illa animi triſtitia, quam S. Thomas poſt S. Gregorium vocat acediam: hoc eſt, faſtidium bonorum ſpiritualium. Qui verò? Nempe ſicut ſatietas nauſeam parit, nec faſtidiens ſtomachus levatur niſi malorum humorum egeſtu; ita faſtidium rerum cœleſtium ingerunt terrenæ cupiditates, & mala conſcientia, in Deus palato animæ ſapere non poſſit, nec proinde concupiſci, niſi detractis parvis affectibus; timida quippe eſt nequitia, & *ſemper . . . præſumit ſæva, perturbata conſcientia*, Sapientiæ 17. Unde S. Auguſt. conc. 2. in Pſal. 31. vult ſpem & bonam conſcientiam eſſe nomina ſynonima etiam in mente Apoſtoli, *pro ſpe*, inquit, *bonam conſcientiam poſuit* (Apoſtolus;) *ille enim ſperat, qui bonam conſcientiam gerit: quem verò pungit mala conſcientia, retrahit ſe à ſpe, & non ſibi ſperat niſi damnationem. Ut ergo ſperet regnum, habeat bonam conſcientiam.*

Sed plurimi refert exponere, quid nomine malæ conſcientiæ intelligendum ſit, ne S. Doctor peccatoribus ſpem ſalutis adimere, eoſque in deſperationem adducere videatur.

Mala igitur conſcientia ex dictis, eſt judicium erroneum, lumini Fidei & rationis practicæ repugnas, & connotans malam voluntatem, à qua imperatur. Unde vulgò mala conſcientia accipitur pro mala voluntate, quamvis ſit practicum

mentis judicium, rectæ rationi oppositum; quia mala voluntas mentem impellit, cogitque ad erroneum ejusmodi judicium ferendum. Quamobrem qui malè affectus est, non immerito dicitur homo malæ Fidei, & malæ conscientiæ, nec sperare sibi potest nisi damnationem. Sed si impius, præveniente Deo & adjuvante, mutet affectum & consilium, ac de præteritis erubescat, doleatque, incipit gerere bonam conscientiam, judicium quippe ejus est practicè rectum, jam cum lege divina concordat, laudat & amplectitur quod illa præcipit, damnat & rejicit quod illa prohibet. Speret ergo in eum, qui justificat impium, non propter præcedentia merita, cùm nulla sint, nisi mala; sed per fidem, non quam fingunt Hæretici, sed quam exponit Apostolus, quæ per dilectionem operatur: *spem enim*, inquit S. August. ibid. *gerit bona conscientia: quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona tota in spe.* Spei conatem non remoretur diffidentia, quam importunè ingerit memoria præteritorum criminum: non concidat propter conscientiæ morsus ob malè ante actam vitam: ejusmodi enim vermibus paulatim consumitur peccatorum putredo, qua consumpta, & ipsi morientur, tuncque paratum & confirmatum erit cor ejus sperare in Domino sine ea difficultate, quam initio expertus est.

Quòd autem superbia sit causa præsumptionis probatur. Duplex enim est præsumptio: altera, qua quis viribus humanis expectat salutem & ea quæ ad illam conducunt; & is manifestè sibi & proprio labore tribuit, quod à solo Deo per continuas orationes expectandum est. Altera, qua ex Dei misericordia quis sperat se consecuturum salu-

ſalutem ſine bonis operibus, & veniam ſine pœnitentia: *& talis præſumptio*, inquit S. Thomas qu. 21. art. 4. *videtur oriri directè ex ſuperbia, ac ſi ipſe tanti ſe exiſtimet, quod etiam eum peccandum Deus non puniat, vel à gloria excludat.* Enimverò intolerandæ eſt ſuperbiæ, quòd filius iræ, gehennæ nedum coram Deo ſe dejiciat, illumque precibus & aliis bonis operibus propitium ſibi reddere curet, quin de illius miſericordia diſponere præſumat, tanquam Dominus, qui famulo diceret: *Recede nunc tua opera uti non mihi vacat, venies cùm te vocavero;* qui enim rectè vivendi horam prorogat, & oblatam gratiam ad morbum ſervandam definit, nonne legem Deo imponit; præſcribitque tempus, quo opitulari debeat, adeò, ut jam non ſit miſerentis Dei, quemadmodum loquitur Apoſtolus, ſed ſolventis hominis? Deus quippe nunc vocando vult miſereri, ſed non fit, quia non vult peccator; malitia enim & duritia voluntatis in cauſa eſt, cur non fiat. Sed ait præſumens; tunc voluntas mihi erit, cùm mortis imminebit periculum. Ergo innititur baculo arundineo, nempe voluntati infirmæ & inconſtanti, quam impræſentiarum ſentit in malo ita obduratam, ut gratiæ quæ ipſi offertur, non obtemperet, damnabiliter quidem, quia cùm poſſit, liberè non vult; ſed ea voluntate in poſterum volet, niſi Deus dederit plenam, expeditam, & efficacem voluntatem; nam ex Apoſtolo Philip. 2. *Deus eſt qui operatur & velle & perficere pro bona voluntate.* Ex quibus perſpicuum eſt cujuslibet præſumptionis cauſam eſſe ſuperbiam, qua quis ſe pluris exiſtimat, quàm debeat.

Ergo præſumptio humilitate expugnanda eſt; ac proinde qui vult confidere in Domino, ſe & cætera pro nihilo putet, dicatque cum regio Propheta Pſal. 118. *Defecit in ſalutare tuum anima mea.* Bonus defectus, inquit S. Auguſt. quia ubi deficit humanum, totum eſt divinum; tum præſertim Apoſtolus potentem ſe credidit; cùm maximè ſe ſenſit infirmum, 2. Cor. 12. v. 10. Quia Deus non derelinquit, qui de ipſo præſumunt; præſumentes verò de ſe, & de virtute ſua gloriantes humiliat, ut dicitur Judith. 6. v. 15. *Beatus*, igitur, *cujus nomen Domini ſpes ejus;* ſed quis ille? *qui non reſpexit in vanitates & inſanias falſas*, Pſ. 39. Sed deficit in ſalutare Dei. Omnes quidem illud concupiſcunt: quàm verò pauci à ſeipſis & cæteris rebus deficiant, ut ſola omnipotentis Dei bonitate, & miſericordia nitantur, probat adverſitas, quæ pleroſque ita dejicit, ut eò ſe miſeros inclinare ſoleant, quòd nulla eis ſpes ſuperſit, niſi in Domino, hoc eſt, ſpes otioſa, quæ eos ſuſtentare nequeat. In rebus ergo proſperis ſtabant ſolis ſuffulti præſidiis humanis, veluti ædes ruinoſæ tignis & arrectariis & aliis ejuſmodi adminiculis innixæ; quæ ſi ſubduxeris, ſtatim corruunt, utpote quæ iis, non parietibus inclinatis niterentur. Qui autem Spe Theologica confidit in Domino, ſicut mons Sion non commovebitur, etiamſi cætera deſint: quin gloriatur in tribulationibus: *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei*, inquit Apoſt. Rom. 5. *non ſolùm autem, ſed gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem: ſpes autem non confundit.*

Ex his colliges, quàm continua nobis debeat eſſe pugna contra præſumptionem & ſuperbiam, utpotè vitia Spei Theologicæ maximè noxia; quamvis

vis enim habitum ejus non ſemper deſtruant, actum tamen ejus impediunt, efficiuntque ut noſtra agendi ratio, & tota vitæ ſeries viribus humanis, non Dei auxilio innitatur.

CAPUT VI.

De Cauſis Spei Theologicæ.

Q. 1. *Quæ ſunt cauſæ Theologicæ?*

R. Ex quatuor cauſis, quæ vulgò recenſentur, ſcil. finalis, efficiens, formalis, & materialis, nulla poteſt eſſe quæſtio, niſi circa materialem. Certum quippe eſt Deum eſſe cauſam finalem & efficientem Spei Theologicæ: finalem quidem, quatenus eſt nobis bonus: efficientem verò, quatenus eam infundit in cordibus noſtris; Spes enim Theologica eſt virtus ſupernaturalis, quæ non poteſt haberi, niſi per infuſionem à Deo. Cauſa autem formalis Spei nulla eſt, utpotè quæ ipſa ſit forma informans animam, vel per modum habitus, ſi ſpectetur ut habitualis, quemadmodum in infantibus & dormientibus: vel per modum actus, ſi ſermo ſit de ſpe actuali.

Cùm autem duplex ſit cauſa materialis: alia ex qua totum componitur, ut homo ex corpore: alia in qua forma accidentalis, ut habitus & actus, reſidet tanquam in ſubjecto: certum eſt Spei nullam eſſe cauſam materialem ex qua: cùm enim ſpes ſit forma ſpiritualis, non componitur ex materia, quemadmodum ſubſtantiæ corporeæ completæ. Tota igitur difficultas eſt circa cauſam materialem in qua, ſeu ſubjectum Spei Theologicæ. Itaque

Q. 2. *Quodnam eſt ſubjectum Spei Theologicæ?*

R. Nulla

R. Nulla eſt Spes Theologica, niſi in habentibus fidem; quia Fides ex Apoſtolo eſt ſubſtantia, ſeu fundamentum rerum ſperandarum: *Domus Dei*, inquiebat ſupra S. Auguſtinus, *credendo fundatur*, *ſperando erigitur*, *diligendo perficitur*: atqui ſublato fundamento, quod ſuperſtruitur corruat neceſſe eſt: ergo ſublata fide, pereunt ſpes & charitas. Sed ſicut paries poteſt eſſe ſine tecto, & fundamentum ſine parietibus; ita ſpes ſine charitate, ut in peccatoribus, & Fides ſine ſpe in iis qui deſperant.

Ergo Spes Theologica non eſt in damnatis, Hæreticis & Beatis, cùm nulla in iis ſit Fides.

Confirmatur ſpeciatim de damnatis contra Origenem & alios, quos miſericordes vocant; quia ex quodam commiſerationis affectu docebant pœnas damnatorum aliquando finiendas, & ita ſpem eis ſupereſſe contra expreſſiſſima Scripturæ verba, Prov. 17. *mortuo homine impio, nulla erit ultra ſpes*, Matth. 25. verſ. 40 *Ibunt hi in ſupplicium æternum*: Quibus verbis præcluditur evaſio Miſericordium, qui ita concedebant ignem Inferni fore æternum, ut negarent pœnas reproborum ſimiliter æternas. Unde meritò S. Auguſtinus Lib. 21. de Civ. Dei cap. 27. ſcribit, Eccleſiam ferre nequiviſſe ejuſmodi hominum diſputationem. Et cap. 17. eos tantò erraſſe deformiùs, & contra recta Dei verba perverſiùs, & quantò ſibi videbantur ſentire clementiùs.

Ergo ſpes remanet in animabus detentis in Purgatorio; tum quia Fides in eis remanet, ut ſuprà diximus: tum quia poſſeſſio Dei, quam diximus primarium Spei objectum, eſt ipſis bonum abſens & arduum, cùm illud non ſint conſecuturæ niſi per acerbos cruciatus.

CA-

CAPUT VII.

De Effectibus Spei Theologicæ.

Q. 1. *Qui sunt Spei Theologicæ effectus?*

R. Spes Theologica, nisi sit mortua, hæc quatuor potissimùm præstat. 1. Sperantem reddit bonis operibus intentum & solertem. 2. Firmat in adversis. 3. Fugat timorem mundanum. 4. Injicit timorem Dei.

Ac primò quidem generatim, spes etiam spectata ut passio, animos accendit, sperantem attentum reddit ad opus, solertiam acuit, qua obstacula vel superet, vel declinet, & ea, quæ viderentur superflua, in proprios usus convertat: *Gemma gratissima*, inquit Sapiens, Prov. 17. *expectatio præstolantis, quocunque pergit prudenter intelligit:* hoc est, qui rem gratissimam exoptat, ac consequi desiderat, in omnibus prudenter se gerit, cautè & circumspectè agit, ne quid utilium ad finem præconceptum excidat. Illud cernere est etiam in belluis, canis v. gr. quamdiu non odoratur feram, vagatur huc illucque lentè discurrens. At ubi odorem prædæ perceperit, spemque illius consequendæ conceperit, statim incitatur, & rapido cursu ad eam recta tendit per tribulos ac spinarum aculeos, non deflectens neque à dextris, neque à sinistris, donec, vel consecutus sit, vel spem consequendi amiserit. Sic spes lucri mercatores & artifices agit, inde nascitur improbus eorum labor, & singularis illa sagacitas, qua cuncta in res suas vertunt, iisque tum maximè prospiciunt, cùm alienis consulere videntur.

Porrò

Porrò si spei generatim spectatæ ea sit vis & actio, quid non efficiet spes viva Christianorum, in qua regenerati sunt? nam ex S. Augustino in Psal. 103. Conc. 4. sub finem: *Vita nostra modò spes est, vita nostra posteà æternitas erit: vita vitæ mortalis, spes est vitæ immortalis.* Ad hanc felicitatem fertur omnis Christianorum cogitatio, dicente Apostolo Phil. 3. *Nostra conversatio in cœlis est;* Et 2. Cor. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur:* Propter illam assequendam vigilat eorum solicitudo, prudentia & circumspectio, ne quid utilium ad tantum bonum promerendum illos effugiat. Quid verò ad illud conducere non possit, cùm ex Apostolo 2. ad Corinth. cap. 6. Spes Theologica æquè per adversa ac per prospera, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam illuc perducat?

Secundò, Spes Theologica firmat in adversis, juxta illud Apostoli Hebr. 6. v. 18. 19. *Confugimus* (in adversis) *ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Hæc scribit Apostolus similitudine ducta à nautis, qui ingruente tempestate, ne navis per abrupta feratur ad anchoras confugiunt, & ubi eas in terra defixerint, frustra minatur tempestas, navis est in tuto, fluctuat quidem, agitatur maris fluctibus; sed non abducitur. Sic Christianus persecutionum procellis impetitus, & tentationum ventis vexatus, ad spem confugiat, ac in Deo eam defigat, & adversariorum minas ridebit securus: *Quemadmodum ergo,* inquit sanctus Augustinus in Psalm. 64. *de navi, quæ in anchoris est, rectè dicitur quòd jam in terra sit; adhuc tamen fluctuat, sed in terra quodammodo educta est contra ventos & tempestates; sic contra tentationes*

tationes hujus peregrinationis nostræ, spes nostra fundata in illa civitate Jerusalem facit nos non abripi in saxa.

Tertiò, Spes Theologica, si sit viva, fugat timorem mundanum, utpotè ipsi oppositum; timor quippe mundanus is dicitur, quo quis bonis temporalibus nimis addictus, ea amittere ita timet, ut pro eorum conservatione legem eludere falsis interpretationibus, vel etiam apertè transgredi paratus sit: atqui ejusmodi timor manifestè pugnat contra Spem Theologicam: Ergo.

Minor probatur. In Spe Theologica tria intelliguntur. 1. Desiderium beatitudinis & conatus ad illam. 2. Timor illius amittendæ, qui dicitur timor Dei: tum quia est donum Dei: tum quia est timor illius offensæ, per quam solam potest amitti beatitudo. 3. Fiducia in Dei bonitate & omnipotentia: atqui timor mundanus tria illa impugnat, qui enim ejusmodi timore percellitur. 1. Inordinatè concupiscit bona temporalia, ad ea per cupiditatem convertitur, & conatur; sicque ex hoc capite pugnat contra spem, quam diximus esse conatum ad cœlestia. 2. Ex ejusmodi cupiditate, tanquam ex mala radice nascitur timor temporalia amittendi, quod aliquando fieri nequit sine peccato, putà perjurio, injustitia, simonia, &c. & ita timor mundanus expellit timorem Dei, quemadmodum dicitur Eccli. 23. v. 27. *Expellit à se timorem Dei hujusmodi hominis timor*, estque lethalis ex suo genere, cùm avertat à Deo, impellatque ad gravissima quæque peccata. Hinc frequentes in Scripturis commonitiones, ut caveamus à timore mundano tanquam ab efficaciori Satanæ dolo, qui, aucupis instar, quos illecebris allicere non potuit, hos vanis terroribus

in

in laqueos propellit : *Timorem eorum ne timueritis*, 1. Petr. 3. *Quis tu, ut timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet?* Isa. 51. v. 12. *Nolite timere opprobrium hominum*, Ibid. vers. 7. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, Matth. 10. Christianus ergo homini minanti respondeat, unus est mihi metus, scilicet ne te timeam, & ad Deum deprecatio mea, ut spernam minas tuas, juxta præceptum ejus. 3. Timor mundanus sola nititur prudentia carnis, & sapientia sæculi, ac proinde adversatur fiduciæ, qua Spes Theologica Christianos defixos & firmos tenet in omnipotentia Dei & misericordia, juxta illud Psalm. 26. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* In quem locum sic scribit S. Augustinus, *protegitur Imperator scutatis, & non timet: protegitur à mortalibus mortalis, & securus est: protegitur mortalis ab immortali, & timebit, & trepidabit? ... quid mihi facit bellum? potest mihi auferre spem meam? potest mihi auferre quod dat Omnipotens? sicut non vincitur qui dat, sic non aufertur quod dat: si auferri potest datum, vincitur dator ... Ergo quia nemo nobis potest auferre quod Deus dat, non timeamus nisi Deum.* Et in Psal. 32. Conc. 2. *Fera sævit, Deum time; serpens insidiatur, Deum time; homo te odit, Deum time; Diabolus te impugnat, Deum time. Tota enim creatura sub illo est, quem juberis timere.* Porrò quod doctrina hìc auribus extrinsecùs intonat, illud ipsum Spes Theologica, si viva sit, interiùs operatur. Dico, *si viva sit*: uti debet esse spes Christianorum, ut qui sint regenerati in spem vivam, nam si sit mortua & informis, ut in carnalibus, superbis, ac de se præsumentibus, manet iners & sine fructu.

Dices :

Dices: Rom. 13. Commendatur timor humanus, ſive mundanus: *Si malum feceris, time* (Principem) *non enim ſine cauſa gladium portat.* Et Luc. 18. vituperatur Judex, qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur: Ergo timor mundanus non eſt malus.

Nego antec. Quia ex S. Thoma qu. 19. art. 3. timor quo timetur Princeps vel Judex, quatenus in eo relucet aliquid divinum, ſcil. poteſtas ipſi à Deo conceſſa, qua utitur tanquam Dei miniſter ad impediendum, vel puniendum malum, propriè eſt timor Dei, non hominis. Solus igitur timor; quo quis inducitur ad peccandum, dicendus eſt humanus, vel mundanus.

Inſtabis: Quod nobis ineſt à natura, non eſt malum, cùm illud ſit à Deo: atqui ineſt nobis à natura timere mortem, & alia vitæ incommoda: Ergo.

Diſtinguo minor. Cum S. Thoma cit. art. ad 3. timere ſecundùm rectam rationem, Conc. Timere contra rationem, Nego min. *Quòd autem homo*, inquit S Doctor, *propter iſta recedat à juſtitia, eſt contra rationem naturalem. Unde Philoſophus dicit in* 3. *Ethic. quòd quædam ſunt, ſcil. peccatorum opera, ad quæ nullo timore aliquis debet cogi; quia pejus eſt hujuſmodi peccata committere, quàm pœnas quaſcumque pati.*

Quartò, Spes Theologica injicit timorem Dei, quia ex S. Thoma qu. 19. art. 3. *Timor ex amore naſcitur; illud enim timet homo amittere quod amat:* Atqui Spes Theologica eſt amor & deſiderium poſſidendi Deum: ergo ex illa naſcitur timor tanti boni amittendi, qui, ut diximus, propriè eſt timor Dei.

Q. 2. *Quotuplex eſt timor Dei?*

 R. Tri-

R. Triplex, nempe ſervilis, quo timet quis puniri à Deo: filialis, quo timetur offenſa Dei: & initialis, quo timetur ſimul pœna & culpa.

Timor ſervilis ita vocatur; quia ſervi vulgò non continentur in officio, niſi metu pœnarum. Ideò autem ſervi urgendi ſunt minis; quia ut plurimùm ſtudent propriis commodis, nec ad eos, utpotè mercenarios, pertinet res domeſtica.

Hinc timor Dei in peccatoribus dicitur ſervilis; ſerviunt enim ſuis cupiditatibus, & mala ſua voluntate averſi ſunt à Deo, nec curant ejus honorem & gloriam; unde pœnarum metu à malo deterreantur neceſſe eſt.

Ergo in timore ſervili duo ſunt diſtinguenda. Alterum quod eſt ipſi intrinſecum & eſſentiale, nempe fuga pœnæ. Alterum quod eſt ipſi extrinſecum & accidentale, nimirum ipſa ſervilitas, ſeu repugnantia, cum qua peccator gehennæ metu abſtinet ab iis, quæ malè concupiſcit. Primum eſt à Deo: ſecundum à cupiditate & mala voluntate. Et ſicut fides informis, vel ſpes informis eadem manens poteſt fieri formata; quia, ut diximus, eſſe informe eſt quid accidentarium fidei & ſpei; ſimiliter timor ſervilis poteſt eſſe ſine ſervilitate, & evadere filialis & initialis, hoc eſt, conjungi cum bona voluntate & charitate.

Timor itaque filialis ſic nuncupatur; quia eſt proprius filiorum, qui animo volenti & liberis affectibus juſſa parentum implent, nec aliud timent, quàm ipſis diſplicere. Hic timor dicitur etiam caſtus; quia caſta conjux non minis agitur ſicut adultera, ſed amore duntaxat, ex quo id unum timet, ſcil. ne ſponſo vel minimam afferat moleſtiam. Ergo timor ille, non ex ſpe, ſed ex chari-

charitate oritur, quia peccatum ſpectat ut malum amici; ſpes verò ut malum ſperantis, quatenus nempe eſt impedimentum beatitudinis.

Timor initialis ita dicitur, quia eſt initium & inchoatio timoris filialis, nec differt ab eo, niſi ut perfectum ab imperfecto, ſicut puer à viro, calor remiſſus à calore intenſiori; qui enim agit ex timore initiali, declinat à peccato partim ex amore juſtitiæ, quatenus peccatum eſt offenſa Dei: partim ex timore pœnæ æternæ; quia cùm amor ſit in eo admodum remiſſus, indiget timore ſervili, quo veluti calcaribus incitetur. Unde juxta S. Auguſtinum ubi minor eſt charitas, major eſt pœnæ timor; & ubi charitas major, ibi minor eſt timor: perfecta autem & conſummata charitas ut in Beatis omnem pœnæ timorem expellit, quemadmodum ſummus calor, qualis eſt in igne, nihil frigoris ſecum admittit; calor verò remiſſus plus minus frigoris patitur in eodem ſubjecto, prout magis vel minus eſt remiſſus.

Q. 3. *Triplex ille Dei timor eſtne bonus?*

R. 1. Certum eſt timorem filialem & caſtum eſſe optimum, cùm ſit effectus charitatis: *Timor filialis*, inquit S. Thomas, qu. 19. art. 10. *neceſſe eſt quòd creſcat, creſcente charitate, ſicut effectus creſcit creſcente cauſa: quantò enim aliquis magis diliget aliquem, tantò magis timet eum offendere, & ab eo ſeparari.*

Ergo timor filialis remanet in patria, juxta illud Pſalm. 18. *Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi;* quia ibi perfecta eſt charitas.

Ergo timor ſummus filialis fuit in Chriſto Domino, teſte Propheta Iſaia, cap. 11. ubi ſic habet: *Replebit eum Spiritus timoris Domini;* quia ſicut Deum ſummè diligebat, ita ſummè reverebatur.

Advertit tamen sanctus Thomas cit. qu. 19. art. 11. timorem filialem non esse in Beatis, nec proinde in Christo Domino, tanquam fugam mali possibilis; sed per modum aversionis ac detestationis, scilicet peccati, & perfectæ reverentiæ erga Deum, ex qua tremunt Potestates; quia non apprehendunt peccatum ut malum possibile, quod fugere debeant, cùm revera sit ipsis impossibile.

Ergo timor initialis quatenùs oritur ex nascente charitate & amore justitiæ, bonus est, ut patet ex mox dictis. Difficultas est duntaxat circa timorem servilem, quem adjunctum habet timor initialis.

R. 1. Extra controversiam quoque est servilitatem ipsam, quam diximus, esse extraneam & accidentalem timori pœnæ esse malam; tum quia oritur ex mala voluntate: tum quia est formale odium justitiæ, & legis eam præcipientis. De ejusmodi servilitate intelligendus est S. Augustinus Epist. 145. aliàs 144. ad Anastasium, in qua sic scribit: *Inaniter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis; ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impunè non potest fieri. Nam quantùm in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit quòd si posset, auferret? ac per hoc quomodo justus est justitiæ talis inimicus?* Et in Psal. 32. Conc. 1. *Qui timendo non facit malè, malè faceret, si liceret: itaque etsi facultas non datur,*

tur, rea voluntas tenetur. Eadem repetit in Pſ. 118. Serm. 25.

Tota igitur controverſia eſt circa timorem ſervilem, quatenus præciſè eſt fuga pœnæ, utrùm ſcilicet bonus ſit, an malus.

Pſeudo-Reformati non diſtinguentes inter ſervilitatem timori adjunctam, & ipſum gehennæ timorem eſſentialiter ſpectatum, abſolutè definierunt gehennæ metum eſſe peccatum, contra quam impietatem extat Can. 8. Seſſ. 6. Concilii Tridentini. *Si quis dixerit*, inquiunt Patres, *gehennæ metum, per quam ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, vel peccatores pejores facere; anathema ſit.* Quare

R. 3. De fide eſt timorem ſervilem ſecundùm eſſentiam ſpectatum, eſſe bonum: patet ex Canone mox laudato.

Probatur 1, ex Scriptura, Luc. 12. verſ. 5. *Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Innumera proferri poſſunt teſtimonia ex Lege, Pſalmis, & Prophetis, quibus Deus peccatores ad meliorem frugem ſe recipere compellit: atqui perabſurdum eſt, quin & blaſphemum aſſerere Deum uti malis artibus propter bonum finem.

Probatur 2. ex Patribus. Sanctus Auguſtinus in Pſal. 127. de timore ſervili, ſic habet: *Bonus eſt & ille timor utilis eſt: ſed nondum eſt ille caſtus permanens in ſæculum ſæculi.* Et Serm. 157. aliàs 13. de verbis Apoſtoli cap. 13. *Qui*, inquit, *adhuc bene agit, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum eſt inter filios: utinam tamen vel pœnam timeat. Timor ſervus eſt, charitas libera eſt, &, ut ſic dicamus, timor eſt ſervus charitatis. Ne poſſideat diabolus cor tuum, proce-*

 dat

dat servus in corde tuo, & servet dominæ venturæ locum. Fac, fac, vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ. Veniet domina, & servus abscedet. S. Thomas illud ipsum ex professo docet qu. 19. art. 4. *Si servilitas*, inquit, *esset de ratione timoris servilis, oporteret quòd timor servilis simpliciter esset malus. Sicut adulterium simpliciter est malum, quia id, ex quo contrariatur charitati, pertinet ad adulterii speciem. Sed prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis .... Et ideo timor servilis secundùm suam substantiam bonus est; sed servilitas ejus est mala.*

Superfluum est appellare alios Patres, qui, vel testantur se timore judiciorum Dei percelli, ut S. Ephrem, S. Bernardus in sermonibus ad populum inde corda auditorum concutere nituntur.

Probatur 3. ratione; Quia bonus est ille timor, quo constringitur mala voluntas, ne in exteriora peccata prorumpat, continentur homines sub disciplina, peccatores disponuntur ad justitiam, justi incitantur ad perseverantiam: atqui hujusmodi est timor servilis; sine eo quasi aggere rupto vitia Rempublicam invaderent, leges proculcarentur, jaceret Superiorum auctoritas, pueri voluntati suæ dimissi evaderent præcipites, ut dicitur Eccli. 30. Juvenes vix ad virtutem possent institui, nulla esset ratio coërcendi protervos, nullus ordo, nulla pax & tranquillitas in societate humana.

Primo itaque loco continendi sunt homines metu pœnarum: *Cùm enim per timorem continent se à peccato*, inquit sanctus Augustinus in Psal. 127. *fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulce-*

dulcescit Deus, & jam incipit homo propterea juste vivere, non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem. Quin jam justificatus adhuc indiget isto timore; nam ex eodem sancto Augustino Lib. Annotationum in Job cap. 40. *Nisi gaudium spei nostræ cum timore damnationis esset, in nobis negligens esset ipsa securitas & superba præsumptio; neque in Psalmo nobis diceretur:* Exultate ei cum tremore.

Apage ergo spurios Mysticos, qui docent in statu perfectionis nullum timoris gehennæ sensum admittendum, & ejus aculeos, quantum fieri potest, evellendos, contra expressum Domini præceptum ipsis Apostolis quantumcunque perfectis impositum citat. cap. 12. Luc. *Timete eum, qui ... habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Enimverò quamdiu in terris agimus, caro concupiscit adversùs spiritum, corpus quod corrumpitur, aggravat animam; faciléque torporem inducit, nisi metus judiciorum Dei identidem somnolentum pungendo excitet. Porrò quis malum dixerit timorem tam utilem, tamque necessarium?

Dices: Bonus dici nequit ille timor, qui peccata multiplicat, & hominem pejorem reddit; atqui ejusmodi est timor pœnæ; mala quippe voluntas, quæ nullo terrente, instar canis dormientis sopita quiescebat, præceptorum minis lacessita exardescit in omne genus pravi affectus, iræ, odii, illiciti desiderii, quæ eò magis exuberant, quò peccator arctiùs timore constringitur; adeo ut peccatum, quod priùs erat mortuum, per timorem fiat supra modum peccans, ut loquitur Apostolus, Rom. 7. Ergo timor pœnæ re vera malus est.

Distinguo maj. Qui peccata multiplicat per se, Conc. Per accidens, Nego maj. namque sicut ex Apostolo, Rom. 7. Lex per se sancta est, & mandatum sanctum, justum & bonum, licèt peccatum per mandatum operatum sit omnem concupiscentiam; ita metus gehennæ per se sanctus est, justus & bonus, quamvis illius occasione mala voluntas, quasi per antiperistasim ampliùs inflammetur grassetur que; quia inordinati illi motus oriuntur ex mala voluntate, nullatenus verò ex Lege, vel ex timore servili, qui per se ligat manum, tollitque saltem opus malum, si non possit cohibere ejus affectum.

Instabis 1. Imprudentis est Medici adhibere remedium ita efficax ad curandum leviorem morbum, ut alium graviorem & periculosiorem conciliet: atqui ex concessis sic se habet timor pœnæ: Ergo.

R. 1. Si valeret illud argumentum, vincerent Manichæi, asserentes Legem veterem fuisse malam & à malo principio, quia ejus occasione peccatum, quod erat mortuum, revixit & operatum est omnem concupiscentiam, ut dicitur, Rom. 7.

R. 2. Negando minor. Quia juxta sanctum Augustinum, qui habet quod malè concupiscit, infelicior est quàm si non haberet; malo quippe usu roborantur habitus vitii, ac tandem naturæ vim obtinent. Quare ut homo nequam ad meliorem frugem reducatur, ante omnia libidinum materia ipsi etiam invito subtrahenda est, excandescat licèt ac tumultuetur; nam desuetudine cupiditates restringuntur, & per timorem pœnæ bonum operanti justitia tandem dulcescit; quemadmodum docet sanctus Augustinus, Tract. 9. in 1. Joan.

Joan. *Si propter pœnas*, inquit, *Deum times*, *non amas : non bona desideras, sed mala caves ; sed ex eo quòd mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare ; & cùm cupis bona desiderare, est in te timor castus, ne amittas ipsa bona.*

Instabis 2. Ille timor est per se malus, qui adversatur charitati : atqui timor servilis adversatur charitati ; nam timor non est in charitate, sed *perfecta charitas foras mittit timorem*, inquit S. Joannes 1. Epist. cap. 4. & S. Augustinus supra laudatus, *veniet domina*, inquit, *& servus abscedet* : timor quippe charitatem introducit, juxta sanctum Doctorem, sicut acus filum, quod pannum non ingreditur, nisi acus priùs exierit : Ergo.

Distinguo minor. Adversatur ratione servilitatis, quæ ipsi accidentaliter adjuncta est, Concedo : Namque servilitas est odium justitiæ & mala voluntas ; charitas verò est ipsa justitiæ dilectio & bona voluntas, quæ duo inter se pugnant, ut patet : adversatur ratione sui, & quatenus præcisè est timor pœnæ, Nego minorem. Et quidem ad mentem sancti Evangelistæ ; ait enim, *timor pœnam habet* : atqui timor non potest esse pœna, nisi sit voluntati contrarius : quod enim est secundùm voluntatem, placet, nec pœna esse potest.

Porrò timor pœnæ non est contrarius nisi malæ voluntati, quæ cùm feratur in malum, ipsi obsistit timor pœnæ, tanquam agger oppositus, & ita displicet, & est voluntati quoddam pœnale malum. Sed tantum abest, ut diligenti justitiam timor pœnæ sese opponat ; quin illi faveat non secus ac naviganti ventus secundus ; quemadmodum enim ventus flans à tergo navem im-

pellit ad portum ; quem navigans quantocius appellere desiderat, adeò ut remigio opus non sit, nisi admodum levi, cùm contra magno remigum conatu opus sit, quando navis agitatur vento à fronte flante, qui ideò dicitur adversus, quia repugnat nautæ voluntati. Similiter timor gehennæ quantùm adversatur & pœnalis est voluntati in malum propensæ, tantum juvat voluntatem ad Deum anhelantem tamquam ventus secundus, & eo auxilio plus vel minùs indiget, prout charitas est minùs, vel magis intensa. Hoc salutifero timore jam incitatus Regius Psaltes, qui Deum tam ardenter sitiebat, illum in se perfici rogabat, Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* In quem locum S. Augustinus scribit : *Si jam timuerat, vel timebat, cur adhuc ut timore suo Deus configeret carnes ejus, orabit? an addi sibi volebat timorem, ut tantum timeret, quantum sufficeret crucifigendis suis carnibus, id est, concupiscentiis affectibusque carnalibus, tanquam dicens: Perfice in me timorem tuum, timui enim à judiciis tuis?*



TER-

* *
* *

TERTIA PARS
De Charitate.

Postrema ista pars, quam aggredimur, non solùm huicce Tractatui, sed & aliis, qui hoc Volumine continentur, veluti fastigium ac coronidem imponet. Charitas quippe est culmen domus Dei, quæ ut supra docebat S. Augustinus, *fide fundatur*, *spe erigitur*, *charitate perficitur*. Domus autem sine suo culmine & tecto, non est Dei habitatio, sed draconum, struthionum, & aliarum hujusmodi bestiarum, ut habetur, Isa. 13. *Sic familiaris est Deo charitas, ut ipse habere mansionem nolit ubi charitas non fuerit*, Lib. de Spiritu de Anima cap. 16. inter opera S. Augustini; scriptum est enim Joan. 14. *Si quis diligit me . . . ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Differuimus primo loco de Actibus humanis ad honestatem dirigendis, quæ potissimùm repetitur ex ultimo fine, nempe Deo, ad quem homo in omnibus suis actibus tendere debet; sed frustrà Deum intendit sine charitate, utpotè quæ sola Deum apprehendat: *In hac vita*, inquit S. Augustinus Epist. 55. aliàs 52. *virtus non est nisi diligere quod diligendum est: id eligere, prudentia est: nullis inde averti molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est; nulla superbia, justitia est. Quid autem eligamus, quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius inveni-*

invenimus? Hoc Deus est . . . . Imus autem non ambulando, sed amando. Quem tantò habebimus præsentiorem, quantò eundem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem. Et in Psalm. 98. *Qui plenus est charitate, plenus est Deo; quia apertè scriptum est*, Deus charitas est, 1. Joan. 4.

Tractatu de peccatis, inquisivimus causas ejusmodi morborum animæ & remedia, quibus sanentur. Sed illa absque charitate prodesse nequeunt; *Ita ut ipsam fidem non faciat utilem nisi charitas; sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse*, inquit S. Augustinus Lib. 15. de Trinitate cap. 18. *tunc plena sanitas, quando perfecta charitas*, idem Libro de Perfect. Just. cap. 3. ipsa sola operit multitudinem peccatorum, 1. Petr. 4.

Rectam conscientiam & legem tanquam certas regulas, quibus dirigantur mores, tradidimus; sed qui Deum non diligit, opera sua ad ejusmodi regulas non exiget: *Quod ita fit, vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffudit Spiritus Sanctus in cordibus nostris; nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur*, sanctus Augustinus, Enchir. cap. 121. Deinde rectam non gerit conscientiam qui malè affectus est; unusquisque enim judicat prout affectus; malè autem affectus est, qui Deum non diligit ex sancto Augustino, Tract. 123. in Joann. *Nescio*, inquit, *quo inexplicabili modo, quisquis seipsum, non Deum amat, non se amat: & quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se: non ergo se amat, qui, ne vivat, se amat. Cùm verò ille diligitur, de quo vivitur, non se diligendo magis diligit, qui ideò non se diligit, ut eum diligat, de quo vivit.* Ergo cùm

cùm ea dicatur recta conſcientia, qua quis ſalutaria eligit, noxia reprobat, manifeſtum eſt rectam illius non eſſe conſcientiam, qui malè ſe amat, hoc eſt, qui ſeipſum, non Deum amat, nec poſſe bona conſcientia conſulere propinquis & amicis; *nemo enim poteſt veraciter amicus eſſe hominis; niſi fuerit ipſius primitus veritatis*, inquit S. Auguſtinus citata Epiſt. 155. naturale quippe eſt diligere proximum ſicut ſeipſum; ac proinde qui malè, hoc eſt, falſò ſe amat & verè odit, malè quoque & falſò proximum diligit; nihil autem in moribus pernicioſius perverſa illa propinquorum & aliorum amicitia, ut quæ venenum cupiditatis ſub ſpecie benevolentiæ animis inſtillet.

Quid refricem illud Apoſtoli, *finis . . . . . præcepti eſt charitas*, 1. Timoth. 1. & Rom. 13. *plenitudo ergo legis eſt dilectio:* vana eſſe Medici præcepta, niſi ad ſanitatem perducant; & inutilia Legis mandata, niſi charitatem, quæ ſola eſt animæ ſanitas, operentur? Sed illud attendendum eſt magis, quod Lex Evangelica, ſub cujus littera premuntur mali Chriſtiani, & in qua vivunt boni, primariò & eſſentialiter conſiſtat in charitate, per quam parit filios adoptionis, aufert ſpiritum ſervitutis, & Deus mittit Spiritum Filii ſui in corda noſtra clamantem: *Abba Pater*, Gal. 4. v. 6. Unde S. Auguſtinus Lib. 15. de Trinit. cap. 18. ſic habet: *Charitas eſt donum Dei, quo nullum excellentius: ſolum eſt quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Dantur & alia per Spiritum ſanctum munera, ſed ſine charitate nihil proſunt. Niſi ergo tantum cuique impertiatur Spiritus Sanctus, ut eum Dei & proximi faciat amatorem, à ſiniſtra non transfertur ad dexteram, nec Spiritus propriè dicitur donum,*

num, nisi propter dilectionem. Et Tract. 7. in 1. Joan. *Omnes qui non diligunt, alieni à Deo sunt; & quamvis intrent basilicas, non possunt tamen numerari inter filios Dei;* Quomodo alieni, qui Christum credunt, & confitentur? Quia Evangelium ejus non receperunt, nisi secundùm corticem & litteram. Dæmon credidit, & confessus est, Luc. 4. v. 34. *Scio te*, inquit, *quis sis, sanctus Dei.* Sed frustrà, quia non credidit ea fide: quæ per dilectionem operatur, & in qua diximus præcedenti Tractatu, repositam esse Legem Evangelicam; in qua manent veri Christiani, juxta illud Christi Domini Joan. 15. vers. 9. *Manete in dilectione mea.*

Ergo S. Augustini conclusio in Psal. 103. sit & nostra: *Quidquid dicimus, quidquid diximus, & quidquid dicere poterimus, vel nos, vel qui post nos, vel qui ante nos, non habet finem nisi charitatem;* Cùm sine ea nec actus humani ad debitum finem dirigantur, nec morbi animæ, id est, peccata curentur, nec recta conscientia haberi, nec Lex Dei universim sumpta adimpleri possit.

Sed, inquit S. Gregorius Hom. 30. in Evang. *si unusquisque requiratur, an diligat Deum? tota fiducia & secura mente respondet, diligo;* Quia dæmon falsa charitatis specie homines quam sæpissimè deludit instar monetæ adulteratorum, qui, ut advertit Guillelmus Parisiensis, non vilem, sed pretiosiorem nummum adulterare solent. Idcirco quæremus. 1. Quid sit charitas. 2. Quodnam ejus objectum. 3. Quis sit statuendus ordo in iis, quæ sunt charitate diligenda. 4. Qui charitatis effectus. 5. Quæ peccata ipsi opposita.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De Nomine & Definitione Charitatis.

Q. 1. *Quotuplici modo ſumitur nomen charitatis?*
R. Triplici. 1. Pro quolibet amore naturali etiam civili, ut Prov. 15. *Melius eſt vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum ſaginatum cum odio.* 2. Pro divina natura, quæ tota bonitas eſt, ut 1. Joann. 4. *Deus charitas eſt.* 3. Pro amore benevolentiæ, quo Deum ſuper omnia diligimus, ut 1. Cor. 13. *Si . . . . charitatem autem non habuero, nihil ſum.*

Dixi: *Pro amore benevolentiæ;* Quia amor concupiſcentiæ ſeu ſpei, quo Deum diligimus, ut nobis bonum non dicitur charitas.

Porrò agimus hìc de charitate tertio modo ſumpta, quæ eſt ſpecies amoris benevolentiæ. Cùm autem notitia ſpeciei haberi non poſſit, quin probè cognoſcatur illius genus, nemo v. g. intelliget quid ſit homo, niſi prius noverit quid ſit animal.

Q. 2. *Quid eſt amor benevolentiæ?*

R. Generatim eſt amor, quo quis alteri bene vult & facit, quantùm in ipſo eſt, non ſui, ſed illius gratia.

Dicitur 1. *Amor:* Quæ particula deſignat genus, in quo amor concupiſcentiæ & benevolentiæ conveniunt; uterque enim eſt amor.

Dicitur 2. *Quo quis aleri bene vult;* Amare enim eſt bene velle.

Dicitur 3. *Et benè facit, quantùm in ipſo eſt,* ut ſignificetur amorem benevolentiæ non eſſe meram

ram complacentiam in bono alterius, aut inertem commiſerationem ob malum illius; neque enim dives avarus cenſetur benevolus erga pauperem, cui bene precatur nihil illi erogans, *non diligamus verbo, neque lingua*, inquit S. Joannes 1. Epiſt. cap. 3. *ſed opere & veritate.* Addit, *& veritate*, ut intelligamus verum non fore amorem benevolentiæ, ſi data occaſione, ad opus non tendat: *Amor*, inquit S. Gregorius, *magna operatur ſi eſt; aut ſi operari renuit, amor non eſt.* Et ſanctus Auguſtinus in Pſalm. 31. *Dilectio vacare non poteſt: quid enim de quoquam homine malè operatur, niſi amor? Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem.* Ergo Deum non diligit amore benevolentiæ, niſi verbo tenus, qui ita in orationibus ingeminat, *ſanctificetur nomen tuum*, ut non tangatur cùm læditur ejus honor, indifferenterque, ne dicam, delectabiliter, audiat linguam detrahentem, impudicam, &c.

Dicitur 4. *Non ſui, ſed illius gratia*; quibus exprimitur differentia amorem benevolentiæ inter & amorem concupiſcentiæ: ille omnia vult & facit in gratiam amici, hic in gratiam amantis, ut fusè probavimus, pag. 632. Pater v. gr. alimenta filio ſuppeditat amore benevolentiæ, & pabulum jumento amore concupiſcentiæ; quia primum facit in gratiam filii, ſecundum verò in gratiam ſui, & proprium commodum; illic eſt benevolus, hìc cupidus & ſui amans.

Q. 3. *Differuntne amor benevolentiæ & amicitiæ?*

R. Non differunt niſi extrinſecè & connotativè, nempe amor benevolentiæ eſt & amicitiæ, ſi connotet amicum redamantem: ſecus ſi non connotet; amor quippe amicitiæ eſt reciprocus.

Porrò

Porrò totuplicis generis eſt amor benevolentiæ & amicitiæ, quotuplex eſt communicatio bonorum in qua fundatur. Quare alia eſt amicitia conſanguineorum, alia juſtorum, alia qua vinciuntur inter ſe uſurarii, fures & latrones; ſed hæc poſterior amicitia mala eſt & perverſa; quia ejuſmodi homines malè ſe amant, utpotè qui non bonum, ſed malum ſibi reciprocè velint.

His ita elucidatis circa amorem benevolentiæ in genere, jam deſcendendum eſt ad charitatem, quæ, ut ſuprà diximus, eſt nobiliſſima ſpecies amoris benevolentiæ. Itaque

Q. 4. *Quid eſt Charitas?*

R. Definitur, Virtus infuſa Theologica, qua Deum ſuper omnia diligimus, & cætera propter ipſum.

Dicitur 1. *Virtus;* Quia habentem ſe facit ſimpliciter bonum, cùm aliæ virtutes bonum faciant duntaxat ex parte, Chriſtianus v. g. temperans, ſed avarus, bonus quidem eſt quatenus credit Deo, & moderatur voluptates; ſed malus eſt quatenus pecuniæ nimium cupidus; & ideò non eſt bonus abſolutè & ſimpliciter, ſed malus; quia deficit ab ultimo fine, qui eſt regula actuum humanorum. Charitas verò facit ſimpliciter bonum, utpotè quæ excludit omne peccatum ſaltem grave, hominem Deo conjungit, & ad illum omnes virtutes movet agitque tamquam earum forma & vita, ſine qua dicuntur informes, imperfectæ, ac mortuæ: *Habere nomen Chriſti*, inquit S. Auguſtinus, Tract. 7. in 1. Joan. *& malus eſſe poteſt: habere autem charitatem, & malus eſſe non poteſt:* Ergo nullus habitus æquè meretur nomen virtutis ac charitatis.

Dicitur 2. *Infusa*, juxta illud Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et Concilii Tridentini Sess. 6. cap. 7. *Hæc omnia simul infusa accipit homo* (in justificatione) *per Jesum Christum, cui* (*inseritur*) *fidem, spem, & charitatem.* Sed illud fusiùs probavimus Tract. de Gratia, ubi de Virtutibus infusis, pag. 402. & de necessitate gratiæ ad initium bonæ voluntatis, cap. 5. §. 1.

Ergo charitas non est Spiritus Sanctus, sed quid ab ipso distinctum; est enim oppositio relativa inter causam & effectum, infundentem & infusum.

Dices: 1. Joannis 4. habetur, *Deus charitas est:* Ergo.

Distinguo anteced. Deus charitas est objectivè & principativè sumpta, Concedo: Charitas est, qua formaliter diligimus, Nego anteced. Itaque sicut Deus est sapientia, justitia; ita est ipsa bonitas infinitè sui communicativa, & ut sic est objectum & principium, seu causa efficiens nostræ dilectionis & charitatis, qua formaliter illum diligimus.

Instabis: Atqui Deus non solùm est objectum & causa efficiens charitatis, quæ in nobis est, sed etiam ipsamet charitas: ergo nulla solutio.

Probatur subsumptum, 1. ex Magistro Sententiarum, qui Lib. 1. dist. 17. ita distinguit inter habitum charitatis, & ejus actum seu amorem actualem, ut concedat ipsum actum infundi quidem à Spiritu Sancto, ac proinde ab ipso distingui tanquam effectum à causa; sed contendat habitum esse ipsummet Spiritum Sanctum, 2. ex S. Augustino Lib. 8. de Trinitate cap. 8. ubi sic scribit:

bit: *Fraterna dilectio, qua diligimus invicem, non solùm ex Deo est, sed etiam Deum esse* Scriptura declarat, idque S. Doctor probat toto illo capite: Ergo.

Nego subsumptum, & ad ejus confirmationem

R. 1. Opinionem Magistri Sententiarum rejici à S. Thoma q. 23. art. 2. & à cæteris Theologis, à quibusdam saltem ut temerariam, ab aliis ut erroneam; cùm pugnet contra conclusionem, quæ satis evidenter elicitur ex propositione fidei. De fide enim est in justificatione infundi gratiam & charitatem, quæ cordibus inhæret, ex Concilio Tridentino Sess. 6. Can. 11. & parvulos per Baptismum induere novum hominem, fieri innocentes, immaculatos & hæredes Dei, cohæredes autem Christi, Sess. 5. Can. 5. atqui ista non possunt intelligi de parvulis in actu charitatis, cùm in illis nullus sit actus: neque de Spiritu Sancto præcisè, cùm inhærere nequeat: Ergo intelligantur necesse est de habitu charitatis. Sed de his plura vide Tract. de Gratia pag. 386. 387. & pag. 410. & seq.

R. 2. Locum S. Augustini re vera esse difficilem, dedisseque nonnullis errandi occasionem, ex S. Thoma cit. art. 2. ad 1. Sed opponuntur alii textus, in quibus S. Doctor perspicuè distinguit charitatem, qua Deum diligimus, à charitate, quæ Deus est, ut Tractatu 26. in Joan. *Justitia Dei*, inquit, *hic dicitur, non qua justus est Deus, sed quam dat homini Deus, ut justus sit per Deum.* Quod autem hominis justitia sit ipsa charitas, docet tum verbis sequentibus, tum Lib. de Natura & Grat. cap. ult. ubi sic habet: *Charitas ergo inchoata inchoata justitia est; charitas provecta provecta justitia est; charitas magna magna justitia est; charitas perfecta*

 per-

perfecta justitia est. Charitas hìc & justitia incrementum suscipiunt: atqui Deus nullam mutationem admittit: ergo Deus non est ea charitas, quâ illum diligimus. Et Tract. 6. in 1. Joan. *Quid est,* inquit, *ipse Spiritus interpellat pro Sanctis, nisi ipsa charitas, quæ in te per Spiritum facta est?* Quibus verbis adeo perspicuis explicare cogimur, quæ sanctus Doctor alibi obscuriùs dixit. Quare

Distinguo oppositum sancti Augustini locum. Dilectio, qua fratres diligimus, non solùm ex Deo est, sed Deus ipse participativè, Concedo: Est Deus ipse substantialiter, Nego. *Quemadmodum*, inquit S. Thomas cit. art. 2. ad primum, *dicimur boni bonitate, quæ est Deus, & sapientes sapientia, quæ est Deus; quia bonitas qua formaliter boni sumus, est participatio quædam divinæ bonitatis; & sapientia, qua formaliter sapientes sumus, est participatio quædam divinæ sapientiæ: ita etiam charitas, qua formaliter diligimus proximum, est quædam participatio divinæ charitatis. Hic enim modus loquendi consuetus est apud Platonicos, quorum doctrinis imbutus fuit Augustinus.* Et in responsione ad secundum exponens illud, quod frequentissimum est in scriptis sancti Augustini, nempe sicut anima est vita corporis, ita Deus est vita animæ, *& quomodo corpus tuum sine spiritu, quod est anima tua, si fuerit, mortuum est; sic anima tua sine Spiritu Sancto, id est, sine charitate si fuerit, mortua deputabitur*, Tractatu 9. in Joannem, docet Deum per charitatem non esse formaliter, sed effectivè vitam animæ.

Justus tamen dicitur vivere vita Dei, sed participativè, quatenus amor charitatis, qui est summæ benevolentiæ, transformat amantem in Deum amatum per arctissimam unionem, qua unum alteri

teri ita aſtringit, ut non tam ſimilis illi, quàm unus idemque cum eo ſpiritus, una voluntas, & una quaſi anima efficiatur, vero quidem, ſed tam ineffabili modo, ut novæ excogitandæ ſint voces ad explicandam illam communionem, qua quis per charitatem manet in Deo, & Deus in ipſo; Deus enim ſic amantem non solùm aſſimilat ſibi in moribus & virtutibus divinis; ſed etiam facit conſortem naturæ divinæ, ejuſdem ſecum animi, deſiderii, & affectus, omnes ejus potentias, ſenſus, appetitus, amores, operationes, cogitationes, intentiones cordis trahit ad ſe; adeo ut fiat quædam moralis communicatio idiomatum, dicaturque Spiritus Sanctus poſtulare, gemere, contriſtari, gaudere, dum iſta operatur in anima, hinc naſcuntur actuum humanorum merita vitæ æternæ condigna. Hinc S. Thomas cit. art. 2. ad 3. concludit quòd etſi charitas non ſit formaliter infinita, habeat tamen effectum infinitum, *dum*, inquit, *conjungit animam Deo.* Et S. Aug. Tract. in 1. Joan. *Totum ſimul habet, qui habet charitatem.* In Pſ. quoque 149. *Quiſquis habet charitatem, utquid illum mittimus longè, ut videat Deum? Conſcientiam ſuam attendat, & ibi videt Deum . . . ſi charitas ibi habitat, Deus ibi habitat. Vult illum fortè videre ſedentem in cœlo? habeat charitatem, & in illo habitat ſicut in cœlo.*

Dicitur 3. *Theologica*, nulla enim virtus æquè, ac charitas occupatur circa Deum. Fides pro objecto aliquod habet attributum divinum, ſcilicet veritatem Dei in verbis & promiſſis: ſpes bonitatem divinam non abſolutè & ſimpliciter, ſed quatenus nos efficere poteſt beatos. Charitas verò in totum Deum fertur, ad omnes infinitas ejus perfectiones ſe extendit. *Totus deſiderabilis eſt . . .*

inquiebat Sponsa cap. 5. v. 16. *Dilectus meus*, in amico impensè dilecto omnia placent, ejus ingenium, forma corporis, sermo, modus agendi amantem mirificè recreant. Sic diligenti Deum ex charitate, placent ejus sapientia, justitia, verba, mandata, judicia, decreta, providentia, sive in prosperis, sive in adversis, totus est desiderabilis.

Porrò discipulus, qui ipsam personam Magistri diligit propter singularem ejus virtutem, longè perfectiùs ei adhæret, quàm alter, qui se ei tantùm adjungit ob necessariam doctrinam, qua illum imbuit.

Dicitur 4. *qua Deum diligimus super omnia*, quibus charitas essentialiter differt à spe, & à quacunque alia virtute; sola quippe charitas nos & nostra ad Deum refert. Spes quidem Deum concupiscit ut suum bonum, & tantum bonum, ut sperans illud præferat omnibus suis commodis, v. g. sanitati, quam nollet recipere per magicas artes; divitiis, quas viis illicitis non compararet, sicque dici potest Deum amare super omnia secundùm quid, & in aliquo genere, scilicet eorum bonorum, quæ sibi appetit. Sed per spem sine charitate Deum sibi ipsi non præfert, nec proinde illum super omnia simpliciter & absolutè diligit, cùm illum non plusquam seipsum diligat, hæreatque in amore sui, non quidem positivè, quasi seipsum constituat ultimum finem, & Deum habeat veluti medium suæ felicitatis, quod est immane crimen eorum, qui se plusquam Deum diligunt, sed negativè duntaxat, spes enim illius sicut & cæteræ virtutes locum parant, nedum excludunt charitatem, quæ superveniens, sperantem efficit ejusdem cum Deo spiritus & voluntatis, ut jam

jam non ſuum, ſed objecti amati commodum expectet; & ſicut Deus omnia propter ſemetipſum operatus eſt, hominemque ad beatitudinem ſupernaturalem ordinavit in gloriam ſuam; ſic Christianus eodem affectu per charitatem occupatus, ſe ipſum totum, beatitudinemque ſuam & cætera ex animo refert ad Dei gloriam. Et hic ſolus amor eſt ſimpliciter & abſolutè ſuper omnia, Deo non denegandus, nec ulli creaturæ exhibendus abſque ingenti diſcrimine.

Dicitur 5. *& cætera propter ipſum;* res enim amici ſunt ejus in uſum & commodum convertendæ: atqui omnia ſive parentes, ſive domeſtici, ſive proſpera, ſive adverſa ſunt æquè ac nos res Dei ſummè dilecti: ergo per charitatem ea omnia propter Deum diligimus, & in ejus bonum, hoc eſt, gloriam & honorem convertimus. Sed de his plura inferiùs.

Q. 5. *Quotuplici modo Deus ſuper omnia diligitur?*

R. Duplici, ſcilicet intenſivè & appretiativè.

Deus diligitur intenſivè ſuper omnia, cùm voluntas in eum fertur maximo conatu, & intenſiſſimo ſeu ardentiſſimo amoris actu, qualis eſt amor beatificus: appretiativè verò ſuper omnia diligitur, cùm voluntas tam forti amoris vinculo aſtricta eſt Deo, ut nulla res eam inde avellere queat. Hoc amore appretiativè ſummo dicebat Apoſtolus Rom. 8. *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita . . . . . neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.*

Q. 6. *Poteſtne dari amor Dei, qui ſit ſuper omnia appretiativè tantùm?*

R. Non ſolùm poteſt dari, ſed actu & de facto datur, ut patet exemplo Juſti, qui intenſiori

& vehementiori dolore afficitur ob mortem patris, quem impensè diligebat, quàm ob præterita peccata, quamvis appretiativè plus doleat se in Deum peccasse, quàm patrem amisisse, paratusque sit ejusmodi orbitatem sustinere potiùs, quàm Deum offendere, & ejus amicitia privari.

Dices: Deus est summè diligendus tum appretiativè, tum intensivè: Ergo peccat qui illum summè non amat etiam intensivè.

Distinguo ant. Est summè diligendus etiam intensivè, id est, meretur sic diligi, & ad hunc amorem enitendum est, Concedo: sic diligendus est ex necessitate præcepti, Nego anteced. Præcepta enim sunt de rebus possibilibus: atqui nobis impossibile est, quamdiu hanc vitam mortalem vivimus, Deum diligere ea intensione, qua diligitur à Beatis.

Confirmatur responsio: Deus meretur amorem beatifico intensiorem & perfectiorem; est enim omni modo infinitè amabilis, utpote infinitè bonus: atqui nemo inde colliget in Beatis non esse veram charitatem, ut qui Deum non ament quantùm meretur; hoc est, amore infinito tum appretiativè, tum intensivè, cujus capax non est ulla creatura, nec ipsa Christi Domini humanitas, soliusque Dei est se diligere quantùm meretur.

Instabis: saltem Deus ea intensione debet diligi, quæ est possibilis in hocce naturæ corruptæ statu.

Distinguo: quæ est possibilis in hocce statu, & in circumstantiis, in quibus fidelis reperitur, Concedo: quæ est possibilis in hocce statu, & impossibilis in quibusdam circumstantiis, Nego. Porrò concurrunt aliquando circumstantiæ, in quibus

quibus hujusmodi intensio & fervor impossibilis est etiam Justis provectæ charitatis, ut loquitur S. Augustinus. Et ratio est, quia ut quis ardeat amore vel odio, satis non est objectum apprehendi ut bonum vel malum, nisi sit præsentissimum, viscera matris v. g. magis fervent erga parvulum, quem quotidie gerit in ulnis suis, quàm erga natu majorem, quem tamen magis amat appretiativè; similiter tempus lenit dolorem viduæ conjugem defunctum plorantis, quamvis augeat, nedum minuat incommoda, quæ viduam vulgò circumveniunt. Quid ita? Nempe objecta remotiora sensus non afficiunt, appetitum non commovent ad voluntatis nutum, & rationis imperium, quin quàm sæpissime aliò impellunt, mentem avocant aut interturbant, præsertim vis imaginandi. Hinc devotio nonnumquam remissa, & oratio tepida in viris etiam virtute præditis: quia Deus etsi super omnia appretiativè dilectus, remotior est à sensibus, à quibus tamen mentis operationes pendent, nisi Deus sua efficaci gratia interiùs corda moveat accendatque. Sed illi defectus non imputantur in peccatum, nisi ex incuria & negligentia procedant; quin in hujusmodi infirmitate, in qua non deest labor nec pugna, charitas perficitur, meritum augetur.

Q. 7. *In quo præcisè consistit amor, qui appretiativè tantùm est super omnia?*

R. Consistit in voluntatis adhæsione ad Deum plena & tam firma, ut nihil æquè timeat, ac illi displicere, & ab eo separari.

Dixi 1. *voluntatis*; appretiatio enim, de qua agitur, non est mentis æstimatio, qua certò judicat Deum esse tantum bonum, ut nihil ei debeat

 æquari,

æquari, nedum præferri; quia amor non eſt actus intellectus, ſed voluntatis. Illud quidem mentis judicium præſupponitur amori tanquam neceſſaria ejus regula & menſura; quia voluntas non fertur in incognitum, nec Deum ſuper omnia diligeret, niſi intellectus certiorem eam faceret Deum eſſe ſuper omnia amabilem. Sed illa mentis æſtimatio ſeu appretiatio ſuper omnia non eſt charitas, cùm quivis etiam nequiſſimus tam certò æſtimet Deum eſſe quid optimum, ut non poſſit non adhærere huicce veritati, utpote evidenter notæ.

Præterea certi ſumus nos de Deo ita ſentire, cùm tamen nemini abſque ſpeciali revelatione conſtet ſe Deum appretiativè ſuper omnia diligere. Ergo appretiatio, de qua hìc ſermo, non eſt præciſè adhæſio mentis, ſed voluntatis.

Quid autem ſit illa voluntatis ad Deum adhæſio, intelligitur exemplo corporum gravium, quæ pondere ſuo eò firmiùs centro adhærent, quò graviora; ita ut aliquando tantum eorum ſit pondus, ut nulla vi inde avelli aut dimoveri queant. Namque amor fortis nomine ponderis ſolet exprimi, juxta illud tritum S. Aug. effatum, *pondus meum amor meus, illo feror, quocunque feror.* Sicut ergo immane ſaxum centro adhærens, non admittit eorum impetum, qui illud dimovere conantur; ſic voluntas charitate inſtructa tanto amoris pondere Deo adhæret, ut nulla vis tentationum inde eam avellere queat, niſi ipſamet liberè ſe ſubducat. Sed illa in Deum propenſio debet eſſe plena, juxta primum Legis præceptum: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde;* alioquin ſi ſit ex parte tantùm, qualem S. Auguſtinus ante conver-

conversionem experiebatur, levis est, & ad omnem tentationis ventum facilè circumfertur; nec proinde charitas est, quia non est super omnia.

Dixi 2. *ut nihil æquè timeat, ac illi displicere*, ut distinguatur amor charitatis ab amore concupiscentiæ, seu spei; namque spes informis unum super omnia timet, nempe beatitudinis jacturam & (quod idem est) impœnitentiam finalem; qui enim Deum sperat, necdum charitate diligit, non multùm cavet leviora peccata, nec valdè torquetur, ubi eorum se conscium agnoscit, utpote quæ à regno cœlorum non excludant; quin gravi tentatione pulsus, facilè se in peccatum lethale trahi sinit, ex fiducia veniæ petendæ & obtinendæ.

Contrà verò qui Deum ex charitate diligit, vel levissimam ejus offensam tanquam summum malum formidat, ac vitare studet, quamvis ex infirmitate humana identidem labatur; sed non sine acutissimo animi dolore, quem spes veniæ non lenit, imò bonitas clementissimi patris illum pudore suffundit, & ad amplius dolendum incitat.

Ergo suspecta est admodum, & vana sæpissimè eorum conversio, qui post perceptum pœnitentiæ Sacramentum, cùm jam charitas cordibus eorum infusa esse debeat, ad primam quæ se offert tentationem, ad primum alienæ mulieris aspectum, &c. graviter labuntur; voluntas enim tanto amoris pondere Deo inhærens, non ita facilè sejungi potest, cùm ne quidem à temporalibus, quæ longè minùs diligit, adeo leviter avocaretur. Frustra objicitur infirmitas carnis; quia si in regeneratis per gratiam caro concupiscit adversùs spiritum; spiritus quoque, qui supponitur vivere sacramenti virtute, concupiscit

ſcit adverſus carnem, unde in juſtificatis oritur pugna, ex qua ſpiritus charitate unctus & roboratus victor deberet exiſtere; *quia fortis eſt ut mors dilectio*, Cantic. 8. Et Apoſtolus ait juſtificatis Rom. 6. *Peccatum vobis non dominabitur, non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Ergo ſpiritualiter non vivunt, qui laceſſenti peccato non repugnant, nec voluntas eorum præoccupata cenſeri debet amore Dei ſuper omnia, quæ abſque reniſu conſentit ejus offenſæ.

Q. 8. *Charitas eſtne vera amicitia Deum inter & hominem?*

R. Communis eſt Theologorum ſententia poſt S. Thomam q. 23. art. 1.

Probatur 1. ex Scriptura. Sap. 7. v. 14. dicitur de Sapientia, quæ non eſt ſine charitate, *infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei*; & v. 27. *Amicos Dei & Prophetas conſtituit.* Joan. 15. v. 14. & 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos ſervos . . . vos autem dixi amicos.*

Probatur 2. ratione, quia ad veram amicitiam quatuor requiruntur. 1. ut amor ſit benevolentiæ erga amicum; *ridiculum enim eſt dicere*, inquit S. Thomas cit. art. 1. *quòd aliquis habeat amicitiam ad vinum, vel ad equum, quos propter ſe amat.* 2. ut amor ſit mutuus. 3. notus utrique amanti; nam inter amicos debet eſſe ſpecialis communio; nec amici dici poſſunt duo Juſti, qui nunquam ſe noverunt, licèt in utroque ſit charitatis amor generatim erga omnes homines. 4. ut ſit fundatus in bonorum communione. Atqui quatuor illæ conditiones apprimè conveniunt charitati etiam reſpectu Dei (nam reſpectu hominum res eſt evidens.)

1. cha-

1. charitas ex dictis est amor benevolentiæ. 2. est mutuus, Joan. 14 v. 21. *Qui . . . diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* 3. est manifestus tum Deo, ut patet, cùm ipse amorem illum infundat cordibus nostris: tum nobis, si non certitudine metaphysica & physica, vel fidei, ut docuimus Tract. de Gratia, saltem morali, *ipse enim Spiritus*, ait Apostolus Rom. 8. *testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei.* Et 1. Cor. 2. *Nos autem non spiritum bujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* 4. Fundatur in communione bonorum 1. Cor. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus.* Eph. 1. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Homines quoque in Deum refundunt, quæ ab illo acceperunt, juxta illud 1. Paralip. cap. 29. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

Denique, licèt ad veram amicitiam necesse non sit, ut amici simul vivant, cùm multi à se invicem dissiti amicitiam colant; nihilominus illa conditio non deest charitati: namque 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et Phil. 3. *Nostra autem conversatio in cœlis est.*

Dices 1. ex concessis, qui amat in proprium bonum non amat amore amicitiæ: atqui Deus omnia operatur in gloriam suam, nos quoque proximum ex charitate diligimus propter Deum; Ergo charitas non est amor benevolentiæ, nec proinde amicitiæ.

Distinguo min. Deus omnia operatur in suam gloriam, nos quoque ad eam referimus, quæ proximo volumus bona, ita tamen ut hæc nobis & proximo utilia sint, ac commoda, atque eo intui-

tu

tu Deus ea nobis velit, & nos proximo, Conc. & Deus in iis nobis non prospicit, nec nos proximo, Nego minorem, & consequentiam; namque licèt foveamus membra nostra propter bonum totius, verè tamen ipsis bonum volumus; quia ipsis bene non erit, nisi totum bene se habeat. Porrò bonum nobis esse non potest, nisi in Dei gloriam tendamus, tumque maximè nos & proximum diligimus, cum nos & illum ad Deum puro corde referimus: *neque enim beatum facit hominem, nisi qui fecit hominem*, inquit S. Augustinus Epist. 155. aliàs 52. & qui vult vivere de se, odit animam suam, & miser efficitur.

Dices 2. amicitia non est nisi inter æquales, Ethic. c. 8. & 9. hinc inurbanè quis eum vocaret Principis amicum, qui apud illum in magna est gratia: ergo charitas non constituit Dei amicos, nec proinde dici potest amicitia respectu Dei.

Nego anteced. Namque Philosophus cap. 10. distinguit duplex amicitiæ genus, alteram quam vocat æqualitatis; alteram excellentiæ seu supereminentiæ, quæ est inter personas in diverso dignitatis gradu constitutas, quin Principes aliquando non dedignantur scribere amicos, illos ex subditis, qui sunt illis gratiosi, quamvis isti ab illo nomine abstineant urbanitatis causa, ne videatur lædi reverentia Principi debita, quod in charitate non est timendum, cùm crescente charitate, simul crescat in Deum reverentia.

CAPUT II.

De objecto materiali & formali Charitatis.

Q. 1. *Quodnam est objectum materiale Charitatis?*

R. Ob-

R. Objectum materiale per se est Deus & quidem primarium & attributionis: secundarium verò nos ipsi & proximus: indirectè autem & reductitiè sunt res omnes sive naturales, sive supernaturales, quatenus cedere possunt in Dei gloriam, & nostrum ac proximi commodum. Tres responsionis sunt partes.

Prima pars probatur. Illud est objectum per se primarium, & attributionis cujusque habitus ac virtutis, circa quod habitus ac virtus primariò per se versatur, & ad quod cætera refert: atqui charitas per se primariò versatur circa Deum & ad illum cætera refert, ut ex dictis satis intelligitur: Ergo.

Secunda pars probatur simili argumento; namque charitas per se versatur secundariò circa illas personas, quibus Deus & nos amore benevolentiæ volumus summum bonum, & cætera, quæ ad illud conducunt, & quidem in Dei gloriam: atqui Deus, qui est charitas, sic nobis & proximo bene vult, & nos nobis & proximo: Ergo.

Tertia pars probatur; quia charitas rerum amici curam gerit, non propter ipsas præcisè, non enim possunt esse objectum benevolentiæ, sed propter amicum, cui prodesse possunt; atqui omnes creaturæ sunt res Dei, in gloriam ejus productæ & conservatæ, & diligentibus Deum convertuntur in bonum: Ergo reductitiè sunt, objectum charitatis.

Dices: ex S. Gregorio Homilia 17. in Evang. Charitas non nisi inter duos haberi potest: Ergo homo charitate seipsum diligere nequit.

Confirmatur: charitas ex dictis est amicitia: atqui amicitia non est ejusdem ad seipsum, cùm ad

ad amicitiam requiratur redamatio & mutuus amor: Ergo.

Diſtinguo ant. Cum S. Thoma q. 25. art. 4. charitas ſumpta pro amicitia actuali & formali, non niſi inter duos eſſe poteſt, Concedo: ſumpta pro amicitia fundamentali; Nego ant. Itaque charitas ſecundùm ſe ſpectata, eſt principium & fundamentum amicitiæ; ſed niſi correſpondeat alter redamans, non eſt actu & formaliter amicitia, quæ ſolet deſcribi amor ſeu unio duos copulans: ad ſe autem ipſum non eſt unio, ſed unitas: *quæ*, inquit Angelicus Doctor, *eſt potior unione ad alium; unde ſicut unitas eſt principium unionis, ita amor, quo quis diligit ſeipſum, eſt forma & radix amicitiæ, in hoc enim amicitiam habemus ad alios, quod ad eos nos habemus ſicut ad nos ipſos.* Atque ex his patet reſponſio ad confirmationem.

Q. 2. *Quis hìc cenſendus eſt proximus?*

R. Omnis creatura capax beatitudinis ſupernaturalis, ſive ſit Angelus, ſive homo, juſtus aut peccator, fidelis, aut infidelis, Hæreticus excommunicatus, Paganus, amicus, aut inimicus; quia hi omnes non ſolùm ſunt res Dei, quas propter ipſum, utpote ſummè dilectum, amare debemus, ut ſupra diximus; ſed inſuper amore benevolentiæ vocantur à Deo, ſicut & nos, in ſocietatem Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri, ut loquitur Apoſtolus 1. Cor. 1. v. 9. Ergo ſpectandi ſunt ut nobis proximi, communione non ſolùm ejuſdem naturæ, ſed præſertim ejuſdem hæreditatis æternæ, ac proinde diligendi amore benevolentiæ tendentis ad illam unionem, quæ eſſe debet inter ſocios, fratres, cohæredes, & membra ejuſdem corporis, cujus Caput eſt

eſt Chriſtus. Hic autem amor eſt charitas, ut patet ex dictis.

Dixi, *creatura capax beatitudinis ſupernaturalis;* ut exciperem dæmones & homines damnatos, hos enim charitate diligere non licet, nec proinde inter proximos reputare, quia charitas eſt amor amicitiæ, quo volumus proximo vitam æternam, & cætera, quæ ad eam conducere poſſunt: atqui non licet velle damnatis vitam æternam; ejuſmodi quippe amor repugnaret charitati erga Deum, qua approbamus ejus juſtitiam. Ita S. Thomas qu. 25. art. 11.

Dices 1. Angeli non ſunt ejuſdem nobiſcum naturæ: Ergo non poſſunt haberi tanquam noſtri proximi charitate diligendi.

Nego conſequentiam; Quia amor amicitiæ non tam fundatur in communione naturæ, quàm bonorum ſpiritualium, alioquin nec Deum charitate diligeremus.

Dices 2. peccatores ſunt Dei inimici, & ei inviſi, juxta illud Sap. 14. v. 9. *Odio ſunt Deo impius & impietas ejus;* Ergo cùm charitas non efficiat unius ſpiritus & voluntatis cum Deo, peccatores ut inimicos odiſſe debemus exemplo Davidis, qui Pſalm. 118. ita cecinit, *iniquos odio habui;* & Pſal. 138. *perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* Quin Pſal. 9. extrema ipſis imprecans ait: *convertantur peccatores in infernum.*

Diſtinguo ant. Peccatores ſunt Dei inimici, & ei inviſi quatenus peccatores & ratione malitiæ, Concedo: impius v. gr. fabricator idoli, & idolum ab ipſo fabricatum Deo ſunt odio; de iis enim agitur cit. cap. 14. Sapientiæ: ſunt Dei inimici, & ei inviſi ſecundùm naturam, Nego

anteced. Dilexit enim nos cùm adhuc peccatores essemus, *nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* Ezech. 18. v. 23.

Distinguo similiter conseq. Odisse debemus peccatoris iniquitatem & malam voluntatem, Concedo: personam, Nego conseq. *Iniquus homo*, inquit S. August. Lib. 19. contra Faustum cap. 14. *in quantum iniquus est, odio habendus est: in in quantùm autem homo est, diligendus est, ut illud quod rectè odimus arguamus, id est, vitium, quò possit illud quod ideo rectè diligimus, id est, humana ipsa natura, emendato vitio liberari.* Eadem docet S. Thomas qu. 25. art. 6. his verbis: *Secundùm naturam suam sunt ex charitate diligendi* (peccatores) *secundùm culpam, qua Deo adversantur, sunt odiendi quicunque peccatores, etiam pater & mater & propinqui, ut habetur Luc. 24. . . . & hoc est verè ex charitate diligere propter Deum.* Addit in responsione ad 2. hanc fuisse doctrinam Philosophorum Gentilium, *amicis peccantibus, sicut Philosophus dicit in 9. Ethicor. non sunt subtrahenda amicitiæ beneficia, quousque habeatur spes sanationis eorum, sed magis est auxilium dandum* (scilicet fraterna correctione) *ad recuperationem pecuniæ, si eam amisissent, quantò magis virtus est magis amicitiæ affinis, quàm pecunia?* In responsione autem ad tertium, scribit illud Psalm. 9. *Convertantur peccatores in infernum*, intelligendum vel per modum prædictionis rei futuræ: vel si per modum imprecationis, eam referendam *ad remotionem, quippe non ad ipsam pœnam, ut scilicet peccata destruantur, & homines remaneant*, vel è vivis auferantur, si emendari nequeant, & in infernum, hoc est juxta multos Interpretes, in sepulchrum detrudantur.

Dices 3.

Dices 3. excommunicati abſciſſi ſunt à Corpore Chriſti, à communione Fidelium ſeparati, pro eis orare non licet, nec Ave eis dicere, Epiſt. 2. Joan. verſ. 10. Ergo inter proximos non ſunt numerandi, nec charitate diligendi.

Nego conſeq. Quia excommunicatio eſt pœna medicinalis ordinata ad ſalutem excommunicati, ut patet ex Apoſtolo 1. Corinth. 5. Ubi ſcribit ſe inceſtuoſum tradidiſſe *Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Et 2. Theſſal. 3. Poſtquam præcepit Fidelibus, ut ſe ſubtrahant ab omni Fratre ambulante inordinatè, ſtatim ſubdit verſ. 15. *Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite, ut fratrem.* Sed charitas Apoſtoli in inceſtuoſum à ſe excommunicatum, & poſtea pœnitentem maximè elucet 2. Corinth. cap. 2. Ubi pro illo intercedit apud Cor. ut ſuo exemplo confirment illum in charitate, *ne fortè*, inquit, *abundantiori triſtitia abſorbeatur.* Quin ipſemet Dominus, interrogatus Luc. 10. quis ſit noſter proximus; Samaritanum Judæis inviſum, & à Synagoga excommunicatum appellavit, ut innueret omnem omninò hominem habendum, ut proximum. Et S. Auguſtinus Epiſt. 155. aliàs 52. ad Macedonium, referens illud Comici ethnici (Terentii) *homo ſum, humani nihil à me alienum puto* ſcribit huic ſententiæ theatra tota, plena ſtultis indoctiſque applauſiſſe. *Ita*, inquit, *omnium affectum naturaliter attingit ſocietas humanorum animorum, ut nullus ibi hominum niſi cujuslibet hominis proximum ſe eſſe ſentiret.* Eccleſia quidem prohibet ne nomina excommunicatorum in publicis precibus recitentur, eóſque removet à Fidelium ſocietate, tam in civilibus, quàm in ſpiritualibus,

ſed ut utiliter confundantur, tandemque contumacia depoſita, humiles reſipiſcant per gratiam Dei, quam Fideles ipſis privatim precari non ceſſant. Sed de excommunicatione alibi.

Dices 4. dæmones & alii damnati, ſunt res Dei: Ergo debemus illos charitate diligere.

Diſtinguo conſeq. cum S. Thoma cit. art. 11. debemus diligere eos amore, quo concupiſcimus amico amplam meſſem, animalium domeſticòrum incolumitatem, Concedo: amore benevolentiæ & amicitiæ, Nego conſeq. quia ejuſmodi amore adverſaremur Deo; *naturam dæmonum* inquit S. Doctor, *etiam ex charitate diligere poſſumus, in quantùm ſcilicet volumus illos ſpiritus in ſuis naturalibus conſervari ad gloriam Dei.*

Quæ cùm ita ſint, manifeſtum eſt, nullius virtutis objectum materiale tam latè patere, quàm objectum charitatis. Omnes quippe aliæ virtutes & artes verſantur circa determinatam materiam, miſericordia circa ſublevandam pauperis miſeriam, Theologia circa concluſiones ex propoſitionibus revelatis deducibiles, ars fabrilis circa lignum, aut ferrum; quæ materia cùm deſit aliquando, ejuſmodi virtutes feriari neceſſe eſt. Sed non ſic charitas; quia præſto eſt illi ſemper materia, in qua exerceatur; omnia quippe, ſolo peccato excepto, in Dei gloriam tanquam in bonum dilecti referri poſſunt ac debent. Hanc divinam artem noverat, qui ad Philip. cap. 4. ſcripſit, *ſcio & humiliari, ſcio & abundare (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire.*

Dixi, *ſolo peccato excepto;* quia cùm peccatum ſit malum Dei, charitas illud ſummè refugit, nedum

dum eo utitur ad opera ſua, v. gr. mendacio ad vitandas rixas, motivo ſuperbiæ aut cupiditatis ad acuendos ignavi animos, &c.

Q. 3. *Quodnam eſt objectum formale charitatis?*

R. Eſt Deus quatenus infinitè bonus, ſeu eſt infinita Dei bonitas, qua redditur infinitè amabilis. Nomine autem bonitatis intelliguntur infinitæ Dei perfectiones, ut ſupra monuimus; quia bonum & perfectum ſunt unum & idem, res eò eſt bona, quò in ſe perfecta, & eò eſt melior aut optima, quò eſt perfectior aut perfectiſſima.

Probatur autem reſponſio: quia objectum formale virtutis eſt motivum, ſeu ratio formalis ſub qua virtus tendit in ſuum objectum materiale: objectum formale Fidei v. gr. eſt divina revelatio per Eccleſiam propoſita; quia ratio propter quam fide credimus Religionis Chriſtianæ dogmata, eſt divina revelatio: atqui tota ratio cur charitate diligimus Deum, nos ipſos, proximum, & res cæteras, eſt infinita Dei perfectio & bonitas: Ergo infinita Dei bonitas & perfectio in ſe ſpectata, eſt adæquatum objectum formale charitatis.

Minor elucidatur experientia eorum, quæ in civilibus contingunt, atque in exemplum profero patremfamilias ab altero impenſè dilectum abſque ulla ſpe commodi temporalis, cùm ſupponatur amans cumulatus honoribus & bonis fortunæ: ſed præciſè ob mores ejus candidos, affabilitatem, ſapientiam & cæteras animi dotes præclariſſimas. Quæro autem, quodnam ſit motivum arctiſſimæ illius amicitiæ, quæve diligendi ratio, niſi ſingularis illa perfectio & bonitas patrisfamilias ſecundum ſe ſpectata? Annon propter eam

charum etiam quidquid ad patremfamilias pertinet, diliguntur liberi & domestici? aliquis eorum iter habeat per urbem, in qua degit amicus, ubi resciverit ille, statim eum accersit, cogitque diversari in propria domo; quin si sit malemoratus filius aut domesticus; & inhonestè se gesserit erga amicum, inde dolet amicus, illum salutaribus monitis emendare satagit, sed non ulciscitur propter patremfamilias: quodsi sanis consiliis non acquiescat, rem totam ad prudentiam patrisfamilias refert, qui si è familia ejiciat domesticum, illius jam ejecti nullam rationem habebit amicus. In hoc exemplo cogita charitatem, qua primariò diligimus Deum, secundariò nos ipsos, proximum, & res omnes ad Deum pertinentes, utpote creatas in ejus gloriam, & intelliges, quomodo infinita Dei perfectio & bonitas sit tota ratio illum & nos & proximum amandi amore amicitiæ: illum quidem; quia est ipsamet originalis bonitas: nos verò & proximum; quia illa divina bonitas per communionem aut præparationem bonorum supernaturalium in nobis & proximo relucet tanquam in Filiis Dei & Domesticis. Unde si quis sit à Deo totaliter & absque ulla spe rejectus, ut damnati, nullam habemus ad eum amicitiam; quia in illo non ampliùs relucet Dei bonitas; quæ est tota amandi ratio.

Nec dicas, bonitatem Dei esse quid extrinsecum nobis ac proximo, proindeque non posse esse rationem nos & illum amandi, cùm nihil sit amabile, nisi propter bonitatem, quæ in ipso est. Namque necesse non est, ut objectum formale sit intrinsecum objecto materiali, sed satis est, ut ad illud habeat moralem habitudinem, quod multis patet

patet exemplis, prima veritas revelans v. gr. eſt intrinſeca rebus revelatis, & nihilominus eſt motivum formale, propter quod illas credimus: æger ſanitatis amore diligit acerba remedia: imagines coluntur propter excellentiam archetypi, ad quod referuntur tanquam ad aliquid ipſis extrinſecum. Similiter proximus diligitur propter bonitatem Dei in eo relucentem.

At, inquies, quomodo poteſt diligi homo nequiſſimus, crudelis inimicus, qui quovis modo nos perdere nititur? cùm voluntas amore non feratur niſi in objectum apprehenſum ut bonum?

R. Diligi poteſt quomodo diligimus membrum vitiatum, quod acutiſſimis doloribus diu noctuque nos cruciat. Nempe diſtinguimus ſubſtantiam inter & vitium doloris cauſam: ſubſtantia eſt nobis chara & pretioſa utpote pars noſtri, quam ſanam peroptamus, ideoque contra vitium eam infeſtans pugnamus, illudque qua vi, qua induſtria propellere nitimur. Sic Chriſtus caput omnium hominum, cùm adhuc peccatores eſſemus, propter nimiam ſuam charitatem dilexit nos tanquam propria membra, ſed ægra & peſſimè affecta; pretioſiſſimo Sanguinis ſui balſamo morbum, hoc eſt peccatum, extinguit; ſanitati; ac juſtitiæ nos reſtituit, & ex inimicis amicos accipit, quod longè glorioſius eſt: nam ex S. Auguſtino; multò eſt optabilius inimicum non habere, quàm ulciſcendo vincere. Ita & nos, ſi charitas & Spiritus Chriſti habitet in nobis, diligemus fratres: bonos quidem, quia ſani ſunt, malos autem, ut à vitiis ſanentur & boni evadant. Sed utriſque volumus, ut Deus in ipſis ſit, & ipſi in Deo.

Ergo mens lumine Fidei illustrata, & igne charitatis succensa, magnum bonum in nequissimo ac inimicissimo homine apprehendit, unde eum diligere possit ac debeat, nempe ordinem quem habeat ad vitam æternam, & bonitatem divinam in eo relucentem & agentem, ut illum ad pœnitentiam adducat, sitque illi sicut & nobis societas cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo ut dicitur 1. Joan. cap. 1. Sed maximum illud charitatis incitamentum fugit odio flagrantes, qui ut animo suo indulgeant, mente non revolvunt, nisi incredibilem inimicorum malitiam, proptereaque impossibilis ipsis videtur eorum dilectio, nec mirum, quia penes nos non est malum diligere. Unde sibi contradicunt, qui de eo, qui displicuit, dicere solent in ejus contemptum, Christiano more illum amo, sed nihili illum facio. Namque aut nullatenus amant, si prorsus contemnunt; quia illud amabile non est, in quo nulla deprehenditur bonitas, quam æstimemus: aut tanti æstimant, quantùm amant. Porrò Charitas Christiana est amor longè præstantissimus, ut colligitur ex ejus objecto formali & nos fusè exposuimus in praxi sacramenti Pœnitentiæ Gallice edita ad 5. præceptum Decalogi: ergo qui Christiana Charitate diligit, magni faciat dilectum, necesse est.

Ergo Charitas Theologica est virtus specie una & à cæteris distincta: illa enim virtus est specie una, & à cæteris distincta, quæ unum habet formale objectum nulli virtuti commune: atqui Charitas Theologica unum habet formale objectum, nempe bonitatem divinam in se spectatam, nec objectum illud est illi commune cum altera virtute: Ergo.

Nec

Nec dicas, charitatem vocari à ſanctis Patribus, præſertim à S. Auguſtino, omnem virtutem, adeo ut fortitudo nihil ſit aliud, quàm amor fortis, temperantia amor purus, &c. ita enim vocatur, quia nunquam exiſtit ſine comitatu omnium virtutum, iis imperat, tribuitque formam & ultimam perfectionem. Denique eſt omnis virtus imperativè, non elicitivè; hoc eſt imperat omnium virtutum actus, ſed non elicit.

Ergo ſicut nulla Fides Theologica remanet in eo, qui contumaciter diſſentit vel uni articulo; ita nec Charitas Theologica in eo, qui vel unum proximum, putà inimicum, totaliter excludit à ſua benevolentia; quia objectum formale utriuſque virtutis eſt unum ſimplex ac indiviſibile; & tam diſſentiens uni articulo, quàm malevolus erga inimicum, ſeſe avertunt à Deo, ille, ut Deus prima veritas eſt; iſte, quatenus Deus eſt ſumma bonitas relucens etiam in inimico.

Q. 4. *Amare Deum ob beneficia accepta eſtne actus Charitatis Theologicæ?*

R. Minimè, ſed eſt actus gratitudinis, niſi illa beneficia ſpectentur, ut communicationes bonitatis divinæ, quomodo ſolet apprehendi Incarnatio, Redemptio, Viſio beatifica; &c. ut dicetur ſequenti reſponſione, quia charitas, utpote Virtus Theologica, habet Deum ut in ſe bonum pro objecto formali: gratus autem animus ipſum beneficium, ac proinde numeratur inter virtutes morales. In Juſtis tamen charitas ſolet imperare ejuſmodi gratitudinis actus; & ita ſunt in illis actus charitatis imperati, ſed à gratitudine eliciti.

Q. 5. *Diligere proximum propter ſupernaturalia dona, quibus exornatur, vel propter dotes naturales, &*

temporales necessitudines, v. gr. *cognationem*, *affinitatem*, *&c. estne actus Charitatis Theologicæ?*

R. 1. Dona supernaturalia dupliciter spectari possunt 1. præcisè ut habitus vel actus virtutum à charitate distinctarum, 2. ut participationes divinæ bonitatis. Si amentur primo modo, amor ille non est actus Charitatis Theologicæ, sed illius virtutis, putà fortitudinis, castitatis, quæ placet in proximo; quia ratio seu motivum hujusce amoris non est divina bonitas, sed honestas virtutis, putà fortitudinis, castitatis, quæ delectat in proximo. Sed si amentur secundo modo, quatenus sunt participationes divinæ bonitatis, amor ille est actus Charitatis Theologicæ, cùm objectum formale & motivum cur proximus ametur, sit divina bonitas tam copiosè se ei communicans.

R. 2. Dotes naturales, & omnes conjunctiones temporales dupliciter etiam spectari possunt, 1. in ordine supernaturali, & quatenus subserviunt prædestinationi, ut diximus Tractatu de Attributis, ubi de divina prædestinatione. 2. In ordine naturali, quatenus præclaræ dotes & conjunctiones licitæ conferunt ad bonum publicum & felicitatem terrenam. Priori modo sunt objectum Charitatis Theologicæ; in iis quippe relucet infinita Dei perfectio, sapientia, omnipotentia, misericordia, justitia, & quidquid nomine bonitatis intelligitur. Unde sicut amatur optimus paterfamilias in sapienti administratione rei familiaris, in ordine domesticorum & distributione officiorum; ita Deus se præbet amandum ac laudandum in admirabili dispositione universi,

versi, in quo, ut cuncta suaviùs fortiúsque ad se ultimum finem adduceret, constituit gradus diversos, sed sic inter se connexos, ut sine se invicem stare nequeant, varias distinxit necessitudines per communionem vel ejusdem sanguinis, vel eorundem operum, per quæ homines tam arctè conjuncti se mutuò juvant, & quidem (si Charitas Theologica sit diffusa in cordibus eorum) ut per hujusmodi ministeria temporalia tam ipsi, quàm parentes & socii Deum promereantur. *Quocirca*, inquit S. August. Lib. 19. de Civit. Dei cap. 16. *etiamsi habuerunt servos justi patres nostri, sic quidem administrabant domesticam pacem, ut secundùm hæc temporalia bona, filiorum sortem à servorum conditione distinguerent; ad Deum autem colendum, in quo æterna bona speranda sunt, omnibus domus suæ membris pari dilectione consulerent.* Et infra: *Qui veri patresfamilias sunt, omnibus in familia sua tanquam filiis ad colendum & promerendum Deum consulunt, desiderantes atque optantes venire ad cœlestem domum, ubi necessarium non sit officium imperandi mortalibus, quia necessarium non erit officium consulendi jam in illa immortalitate felicibus, quò donec veniatur, magis debent patres quòd dominantur, quàm servi tolerare quòd serviunt.*

Posteriori modo spectata dona naturalia & temporales conjunctiones, nempe quatenus conferunt ad felicitatem terrenam, non sunt objectum Charitatis Theologicæ, nec ullius veræ virtutis, quemadmodum S. August. scribit Epist. 155. aliàs 52. ad Macedonium virum potentem, & in Republica strenuè agentem. *Si omnis prudentia tua*, inquit, *qua consulere conaris rebus humanis, si omnis fortitudo, qua nullius iniquitate adversante terreris, si omnis*

si omnis temperantia, qua in tanta labe nequissimæ consuetudinis hominum te à corruptionibus abstines, si omnis justitia qua rectè judicando sua cuique distribuis, id laborat, id nititur, ut hi, quibus vis, bene sit, salvi sint corpore . . . . . ita non erunt veræ virtutes tuæ, sicut nec istorum beatitudo.

CAPUT III.

De Necessitate Charitatis.

Certum est 1. charitatem habitualem esse necessariam necessitate medii; illud enim est necessarium necessitate medii, sine quo salus obtineri nequit; atqui sine charitate habituali salus obtineri nequit; cùm sine ejus infusione non remittatur peccatum.

Certum est 2. charitatem actualem non esse necessariam in parvulis, qui licèt non sint capaces ullius actus, per Baptismum tamen fiunt immaculati, Deo dilecti, ita ut nihil eos ab ingressu cœli remoretur; ut docet Concilium Tridentinum Sess. 5. Can. 5.

Quæstio esse potest duntaxat de adultis, an scilicet charitas actualis sit ipsis necessaria, necessitate medii. In hypothesi quòd adultus justificari possit per Sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ absque prævio motu charitatis: charitas actualis non erit necessaria necessitate medii absolutè loquendo, sed ad summum necessitate præcepti; nam contingere potest, ut attritus necdum incipiens Deum diligere, baptizetur aut absolvatur in extremis, cùm jam compos non est rationis, & statim decedat, sicque in illa hypo-

hypothesi salutem consequatur sine prævio motu charitatis. Sed illa difficultas commodiùs discutietur, ubi de Sacramento Pœnitentiæ. Quare expendemus hìc duntaxat; an charitas actualis sit adultis necessaria necessitate præcepti.

Cùm autem charitas ex dictis versetur circa Deum & proximum, agendum est distinctis Paragraphis de præcepto amoris Dei, & de præcepto amoris proximi.

§. I.

De Præcepto amoris Dei.

Q. 1. *Extatne præceptum divinum amoris Dei?*
R. Affirmativè.

Probatur 1. ex Scriptura Deut. 6. vers. 5. & 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua; eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo.* Matth. 22. vers. 38. Christus laudans illud præceptum, ait: *Hoc est maximum & primum mandatum.*

Probatur 2. ex Traditione, quam sancti Patres una voce testantur. S. Aug. Lib. 1. Conf. cap. 5. Deum sic alloquitur: *Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas à me, & nisi faciam, irascaris mihi; & mineris ingentes miserias? Parvane ipsa est, si non amem te?* Ecclesia in administratione Baptismi hactenus illud præceptum tanquam Vitæ Christianæ summam proposuit: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Unde meritò Alex. VIII. anno 1690. & Clerus Gallicanus anno 1700. tanquam hæreticam proscripserunt hanc propositionem: *Sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè:*

hunc

hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ moralis.

Probatur 3. ratione, quam urget S. Thomas qu. 44. art. 1. *Per se quidem*, inquit, *debitum est in unoquoque negotio id quod est finis; quia habet rationem per se boni. Propter aliud autem est debitum id quod ordinatur ad finem: sicut medico per se debitum est, ut sanet: propter aliud autem, ut medicinam det ad sanandum Finis autem spiritualis vitæ est, ut homo uniatur Deo, quod fit per charitatem, & ad hoc ordinantur sicut ad finem, quæ pertinent ad spiritualem vitam* (putà alia præcepta) . . . *in quolibet autem genere id quod est per se, potius est eo, quòd est propter aliud, & ideo maximum præceptum est de charitate.*

Q. 2. *Quandonam obligat præceptum amoris Dei?*

Nonnulli Theologi Moderni in hac materia abierunt in absurdas & scandalosas sententias. Prima eorum propositio fuit, *præceptum amoris Dei per se tantùm obligat in articulo mortis.* Secunda, *probabile est ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* Tertia, *an peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.* Quarta, *tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.* Via autem, qua justificari possumus sine dilectione Dei in opinione illorum Theologorum, est Sacramentum Pœnitentiæ, cujus auxilio immunes nos putant à præcepto charitatis. Sed ejusmodi propositiones jam proscriptas partim ab Academia Parisiensi anno 1665. partim à Summo Pontifice Innocentio XI. anno 1676. Clerus Gallicanus declaravit anno 1700. scandalosas, perniciosas, piarum aurium offensivas, impias, primum & summum man-

datum irritum facientes, atque Evangelicæ Legis ſpiritum extinguentes. Quare ad propoſitam quæſtionem

R. 1. Præceptum amoris Dei quàm ſæpiſſimè obligat, atque ſemper enitendum eſt ad ejus obſervationem.

Probatur 1. ex Scriptura Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. *eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis* (notent parentes) *& meditaberis in iis ſedens in domo tua & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine & oſtiis domus tuæ.*

Probatur 2. ex S. Auguſtino, præfatione in Pſal. 31. *Dilectio*, inquit, *vacare non poteſt.* Et in Pſalm. 121. *habet omnis amor vim ſuam, nec poteſt vacare amor in anima amantis: neceſſe eſt ut ducat.* Illud in ſe ſentit & experitur omnis amans: *Sed vis noſſe qualis amor ſit? vide quò ducat. Non ergo monemus ut nihil ametis* (quod eſt impoſſibile) *ſed ne mundum ametis. Obligata enim anima amore terreno, quaſi viſcum habet in pennis, volare non poteſt; mundata verò ab affectibus ſordidiſſimi ſæculi, tanquam extenſis pennis, & duabus alis reſolutis ab omni impedimento, id eſt, duobus præceptis dilectionis Dei & proximi volat. Quò niſi ad Deum aſcendens volando, quia aſcendit amando?* Hinc Apoſtolus 1. Tim. 1. veram charitatem dicit ex corde puro; conſcientia bona, & fide non ficta; quia, interprete S. Thoma qu. 44. art. 1. *Cor impurum abſtrahitur à Dei dilectione, propter paſſionem inclinantem ad terrena. Conſcientia verò mala fecit horrere divinam juſtitiam propter timorem pœnæ: Fides autem ficta trahit affectum in id, quod de Deo fingitur, ſeparans à Dei veritate.*

Proba-

Probatur 3. Iis omnibus momentis, quibus probavimus Tract. de Actibus humanis, pag. 92. hominem teneri omnes actiones suas ad ultimum finem referre, saltem intentione virtuali. Quid sit autem illa intentio virtualis, & quomodo in nobis continuò manere ac operari possit, latè exposuimus eodem Tract. de Actibus humanis, pag. 43. & seq.

Confirmatur: quamdiu mortalem hancce vitam vivimus, viatores sumus tendentes ad patriam cœlestem; ergo semper progredi necesse est: *Ibunt*, inquit regius Psaltes Psal. 83. *de Virtute in Virtutem:* qui enim in via subsistit, nec ultra vult progredi, viator esse desinit, & perseverantiam ipsi convenientem amittit. Quies in termino est perseverantia comprehensoris; & quamdiu inde non recedit, perseverare dicitur; contra verò perseverantia viatoris est continuus progressus, adeò ut si amplius ambulare nolit, quamvis non deserat viam, pro viatore tamen non sit habendus; nec patriam defectu perseverantiæ consecuturus. Unde illud effatum apud sanctos Patres, in via Domini nolle progredi, deficere est: *Minimè pro certo est bonus*, inquit S. Bernardus Epist. 91. *qui melior esse non vult; & ubi incipit nolle fieri melior, ibi etiam desinit esse bonus.* Atqui imus ad Deum, inquiebat supra S. Augustinus, non ambulando, sed amando. Et qui plus diligit velociùs currit, & citiùs apprehendit: Ergo.

R. 2. Theologi definiunt certa tempora, quibus præsertim eliciendi sunt actus amoris Dei.

Primò, initio usus rationis, cùm jam homini liberum est vel ad Deum, vel ad creaturam se convertere: *Creaturæ quippe rationali*, inquit S. Fulgentius,

gentius, Lib. 1. de Fide cap. 17. *alia beatitudo non potuit, nec poteſt eſſe, nec poterit, niſi ut agnoſcens à quo non ſolùm facta, ſed etiam à quo rationalis facta eſt, majorem dilectionem exhibeat bono Creatori, quàm ſibi. Neque enim ei ineſſe poſſet ullatenus ratio, niſi ei poſſet Creatoris ineſſe dilectio, quia nec eſt alia, quæ vera ſit ſapientia, vel intelligentia creaturæ rationalis, niſi dilectio Creatoris.* Et S. Thomas 1. 2. qu. 89. art. 9. ad 3. ſic habet: *Ab aliis peccatis mortalibus poteſt puer incipiens habere uſum rationis, per aliquod tempus abſtinere; ſed à peccato omiſſionis prædictæ* (amoris Dei) *non liberatur, niſi quàm citò poteſt, ſe convertat ad Deum. Primum enim quod occurrit homini diſcretionem habenti, eſt quòd de ipſo cogitet, ad quem alia ordinet ſicut ad finem: finis enim eſt prior in intentione, & ideò hoc eſt tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo Dominus dicit:* Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, Zach. 17. verſ. 1. Plures tamen Theologi putant ignorantiam in illo crepuſculo luminis naturalis poſſe pueros aliquandiu excuſare.

Secundò, præceptum amoris Dei maximè obligat in vitæ exitu; veniente enim ſponſo, virgo prudens lampadem ſuam accendere debet, & ei obviam exire ardentiſſimo quo poſſit amore, cupiens eſſe cum Chriſto, & vitam ſuam ei ſincerè offerens in ſacrificium. Hinc eſt, quòd Paſtores juxta Eccleſiæ diſciplinam, actus fidei, ſpei, & charitatis à decumbentibus exigere ſoleant.

Tertiò, eliciendi ſunt actus amoris Dei cùm tentationibus pulſamur, advertimuſque charitatem in nobis tepeſcere, & animam noſtram amore ſui, vel rerum terrenarum prægravatam exci-

dere à ſua rectitudine; tum enim maximè deſiderio ſpirituali erigenda eſt exemplo illius, qui in ſimili periculo dicebat: *Ad te Domine levavi animam meam*, Pſal. 24. Ne ſcilicet carnalibus deſideriis conculcaretur.

Quartò, ſi eam orandi formulam, quam dictavit ac præcepit Magiſter noſter, tenemus, toties actus amoris Dei elicere debemus, quoties Orationem Dominicam, ad quam cæteræ reduci debent, ex S. Auguſtino, lingua proferimus: niſi enim interni affectus animi verbis noſtris reſpondeant, verè illud Matth. 15. in nos contorquebitur; *Populus hic labiis me honorat*, *cor autem eorum longè eſt à me; ſine cauſa autem colunt me.* Quid enim lingua noſtra exprimit dicendo, *ſanctificetur nomen tuum*, niſi nos ante omnia expetere Dei gloriam? *Id petimus*, inquit Tertullianus Lib. de Oratione cap. 3. *ut ſanctificetur in nobis*, *qui in illo ſimus: ſimul & in cæteris*, *quos adhuc gratia Dei expectat.* Qui ſonant illa verba: *fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra?* Audi S. Cyprianum de Oratione Dominica: *Voluntas Dei eſt*, inquit, *quam Chriſtus & docuit & fecit . . . . Deum toto corde diligere, amare in illo quod Pater eſt*, *timere quod Deus eſt*, *Chriſto nihil omninò præponere; quia nec nobis ille quicquam præpoſuit*, *charitati ejus inſeparabiliter adhærere*, *cruci ejus fortiter*, *ac fidenter aſſiſtere*, *quando de ejus nomine & bonore certamen eſt.* Quid exteriùs profitemur, cùm dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, *& in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum?* Reſpondet ſanctus Auguſtinus Tract. 29. in Joannem, *credendo amare*, *credendo diligere; credendo in Deum ire.* Ne ergo ſimus ex illis, de quibus ſcriptum eſt Pſalm. 80. *inimici*

Domini

Domini mentiti ſunt ei, neceſſe eſt, ut is affectus ſit in nobis, quem exteriùs lingua noſtra exprimit.

Q. 3. *Modus diligendi Deum*, *ſcil. ex toto corde, ex tota mente*, *&c. caditne ſub præceptum?*

R. Cadit; quia tum cadit modus ſub præceptum, cùm actus præceptus poni nequit ſine illo modo; ſic attentio & devotio v. g. quæ ſunt modi orationis, ſimul præcipiuntur cum ipſa oratione; quia verba prolata abſque ulla attentione & pietatis affectu, non ſunt oratio: atqui amor, quo aliquis Deum non plus diligeret, quàm ſeipſum aut aliam creaturam, non eſſet amor Dei: quia amor Dei eſſentialiter eſt unio & adhæſio ad Deum tanquam ad ultimum finem, ad quem omnia referuntur: qui autem ſeipſum, aut aliam creaturam pluſquam Deum diligit, ſe ipſum, aut illam creaturam conſtituit pro ultimo fine: ſi autem ſupponatur quòd æqualiter tantùm ſe aut illam creaturam diligat: vel ſupponitur eum ſibi conſtituere duos fines ultimos, quod repugnat ſecundùm omnes Philoſophos; vel ſaltem Deum non habebit pro ultimo fine, cùm nolit ſeipſum ad illud referre, ac proinde non adhærebit illi tanquam ſuo ultimo fini, quemadmodum in politicis, qui Imperatori alterum vel præponeret, vel æquaret, Dominum ſuum honore debito fraudaret, ac læſæ Majeſtatis reum ſe conſtitueret. Ergo amor Dei eſſentialiter debet eſſe ex toto corde, ex tota mente, &c. ac proinde ille diligendi modus cadit ſub primum Legis præceptum. Effatum itaque Theologorum, *modus præcepti non cadit ſub præceptum*, non extenditur ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 44. art. 1. ad 1. niſi ad præcepta de virtutibus à charitate diſtinctis: *Putà*,

 inquit,

inquit, *sub hoc præcepto, honora patrem tuum & matrem tuam, non cadit quòd hoc ex charitate fiat.*

Q. 4. *Quid est diligere Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex tota fortitudine, seu ex totis viribus?*

℞. Alii aliter hujusce præcepti terminos interpretantur.

Apud S. Thomam q. 43. art. 1. cor est voluntas; quia sicut cor est principium vitæ naturalis; ita voluntas actuum humanorum, & totius vitæ moralis: mens est intellectus; anima pars inferior, quæ complectitur sensus tum exteriores, tum interiores, & appetitum sensitivum cum omnibus ejus passionibus; quia spiritus rationalis dicitur anima ab animando, & quatenus est forma corporis organici, efficitque vitam animalem; spiritus verò per ordinem ad Deum & objecta spiritualia; fortitudo denique est facultas motrix, seu, ut loquitur S. Thomas, facultas executiva operum exteriorum, quæ imperat voluntas. Igitur juxta Angelicum Doctorem, Deum diligimus, 1. ex toto corde, quando tota nostra intentio fertur in Deum, 2. ex tota mente, quando in omnibus rationes æternas consulimus, & ad lumen fidei cuncta expendimus, ita ut simus cum Deo unius sententiæ sicut & unius voluntatis, quemadmodum contingit in amicis arctissimo amicitiæ vinculo conjunctis. 3. Ex tota anima, cùm sensuum motus & passiones appetitus juxta Dei beneplacitum dirigimus, vigilamus, ne ferantur ad illicita & vana, & ubi inordinatè rationem præveniunt, resistimus. 4. Ex tota fortitudine, seu tota virtute, & totis viribus, qui sunt termini synonimi, cùm ob Dei amorem

morem nec labor, nec difficultas nos deterrent ab externis operibus.

S. Bernardus Serm. 20. in Cant. ſic exponit illud præceptum, ut velit mentem & animam unum & idem ſignificare. *Mihi videtur*, inquit, *amor quidem cordis ad zelum quendam pertinere affectionis: animæ verò amor ad induſtriam ſeu judicium rationis, virtutis autem dilectio ad animi poſſe referri conſtantiam, vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu: dilige tota rationis vigilantia & circumſpectione: dilige & tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimeſcas. Sit ſuavis & dulcis affectui tuo Dominus Jeſus, contra malè utique dulces vitæ carnalis illecebræ, & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clavum clavus expellit. Sed ſit nihilominus intellectus prævia lux & dux rationi, non ſolùm ob cavendas hæreticæ fraudis decipulas, & fidei puritatem ab eorum verſutiis cuſtodiendam, verùm, ut cautus quoque ſis nimiam & indiſcretam vehementiam in tua converſatione vitare. Sit etiam fortis & conſtans amor tuus, nec cedens terroribus, nec ſuccumbens laboribus.* Tres illos divini præcepti gradus exhibet in Apoſtolis. Primum quidem cùm contriſtarentur ob imminentem Magiſtri diſceſſum; *Diligebant dulciter, ſed minùs prudenter: diligebant carnaliter, ſed non rationabiliter.* Secundum, cùm Petrus jam correctus, audito verbo, *non ſapis quæ Dei ſunt*, Matth. 18. promiſit ſe cum Magiſtro moriturum, *erat tota anima doctus diligere, ſed adhuc infirmus; bene inſtructus; ſed martyrii pavidus.* Necdum ergo ad tertium pervenerat gradum, in quo virtute tota diligitur. Tum demum tertio illo modo dilexit, cùm indutus virtute ex alto vitam ſuam expoſuit: *Ergo non abduci blanditiis,*

ditiis, nec seduci fallaciis, nec injuriis frangi: toto corde, tota anima, tota virtute diligere est. Quamobrem *disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter.*

S. Augustinus Lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 22. paulò aliter accipit ejusdem præcepti vocabula, nimirum totius cordis nomine intelligit omnes cogitationes, juxta illud Marci 7. v. 21. *De corde hominum malæ cogitationes procedunt;* & nomine totius animæ omnem vitam; *Diliges,* inquit, *Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers.*

Sed quantumlibet varia sit acceptio horum vocabulorum, una est omnium sententia hocce divino præcepto ab homini exigi, ut ex toto se Deum diligat: *Cùm autem ait toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia se velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit ...... quæ nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.* S. Augustinus cit. c. 21. Lib. de Doctr. Christ.

Dices: Deus impossibilia non jubet: atqui impossibile est Deum sic diligere: Ergo admitti non debet allata expositio.

Concessa majore, distinguo minorem, impossibile est Deum sic diligere perfectè, Conc. Sic diligere imperfectè & quantùm fert hujusce status conditio, Nego minor. Qui enim dicit, *diliges ex totis viribus*, nihil exigit ultra vires.

Insta-

Instabis: atqui ea est voluntas cujuslibet Legislatoris, ut lex illius perfectè impleatur; longè enim absurdissimum est dicere, vel etiam cogitare non esse ex mente Legislatoris, ut leges ab eo sancitæ serventur accuratè: Ergo Deus, utpotè Legislator sapientissimus, nullam ferre potest legem, quæ perfectè & accuratè servari nequeat. Ex concessis autem præceptum, de quo est sermo, perfectè impleri non potest eo quo expositum est modo: Ergo hujusmodi expositio non est genuina, nec ad sensum litteræ.

Distinguo subsumptum; ut lex ejus perfectè impleatur quantùm subditorum facultas patitur, Conc. Ultra quàm patitur, Nego subsumptum; Omnis quippe vera lex tendit in bonum commune subditorum; vergeret autem in evidentem eorum perniciem, si esset ipsis jugum intolerabile.

Distinguo similiter consequens; Deus nullam ferre potest legem, quæ perfectè servari nequeat perfectione propria hujusce status naturæ corruptæ, Conc. Perfectione, quæ speratur in patria cœlesti, Nego consequentiam.

Duplex itaque est charitatis perfectio, altera patriæ, altera viæ. Illa est in omnimoda plenitudine; quia nulla ibi pugna, quæ dividat animam à seipsa, nulla lex in membris repugnans legi mentis, sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente Beati adhærebunt Deo. Ista verò in progressu & conflictatione, similis est perfectionis, sive viatoris, qui celeri & recto cursu ad patriam properat; sive militis, qui anhelans ad victoriam strenuè dimicat; nam ex S. Augustino Libro de Perfectione Just. cap. 8. *Cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omni*

modo ex tota anima diligitur Deus : non enim caro ſine anima concupiſcit, quamvis caro concupiſcere dicatur, quia anima carnaliter concupiſcit, ſicque diviſa, totaliter in Deum ferri non poteſt.

Prima perfectio proponitur, ut finis & merces, ad quam tendere nos oportet : ſecunda præcipitur ut opus, quo promereamur tantum præmium. Finis autem præciſè ſumptus, inquit S. Thomas q. 44. art. 6. præcipi non ſolet, ſed proponi, Imperator exercitus v. g. militibus propriè non imperat ut victoriam reportent, ſed ut fortiter & legitimè pugnent, quo victores evadant : nec Magiſter Scholæ præcipit diſcipulis, ut ſcientia excellant, ſed ut diligenter ſtudiis incumbant. Unde nec miles, nec diſcipulus tenentur culpa : ille ſi victor non extiterit ; iſte, ſi ſcientia cæteros non ſuperet ; modò uterque partes ſuas impleverit, ille acriter pugnando, iſte ad ſcientiam omnem operam ſuam conferendo.

Igitur perfectio viæ, quæ præcipitur, & ad quam aſſequendam Deus miſericorditer nos adjuvat, in eo conſiſtit, ut concupiſcentiæ, quæ habitat in membris noſtris, & reluctatur menti noſtræ, ad nullum opus malum vel facti, vel dicti, vel cogitati, ut loquitur ſanctus Auguſtinus, conſentiamus, corpus caſtigando in ſervitutem redigamus, membra noſtra exhibeamus ſervire juſtitiæ : ad anteriora extendentes noſmetipſos ; qui enim ſic ſapiunt, hos Apoſtolus perfectos pronunciare non dubitat, Philipp. 3. verſ. 13. *Quicunque*, inquit, *perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Sed obſervat ſanctus Auguſtinus, quòd idem ipſe Apoſtolus, qui ſe perfectis hìc annumerat, paulò ante dixerit verſ. 12. *non quòd jam acceperim, aut jam perfe-*

perfectus sim, quæ contradictoria viderentur, nisi intelligeretur Apostolus hìc loqui de perfectione patriæ, ad quam seipsum extendebat, quia ibi *ipsa dilectio*, inquit S. August. Lib. de Spir. & Litt. c. 36. *non solùm supra quam hic habemus, sed longè supra quam petimus, & supra quam intelligimus, erit, nec ideò tamen plus esse poterit, quàm ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente; neque enim restat in nobis aliquid, quod addi possit ad totum.* Ad hanc autem perfectionem & felicitatem anhelans Apostolus, priori loco dicebat, *sequor autem, si quo modo comprehendam*, quod pertinet ad perfectionem viæ: quicunque enim tam strenuè currunt, hos Apostolus posteriori loco dicit perfectos, ut qui Deum diligant ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, quatenus scil. nullam sequuntur cupiditatem, sed contendunt in dies ad majorem charitatem: *Ac per hoc*, inquit S. Augustinus cit. loc. *quantum mihi videtur, in ea, quæ perficienda est, justitia multùm in hac vita profecit, qui quàm longè sit à perfectione justitiæ proficiendo cognovit.*

Porrò ista, quæ nobis præcipitur, dilectionis perfectio impossibilis non est; quia etsi omnia peccata venialia collectivè sumpta declinare nequeamus; singula tamen distributivè vitare possumus ac debemus, ut diximus Tract. de Gratia c. 5. §. 3. *Sic ergo curramus, ut comprehendamus, omnes enim qui rectè currunt comprehendent: non sic in agone theatrico, omnes quidem currunt, sed unus accipit palmam. Curramus credendo, sperando, desiderando; curramus corpus castigando, & eleemosynas in nobis dandis malisque ignoscendis hilariter & ex corde faciendo, & currentium vires, ut adjuventur orando; & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis*, sanctus Augustinus Lib. de Perf. Just. cap. 8.

§. II.

De Præcepto amoris proximi.

Q. I. *Extatne præceptum divinum eliciendi actus amoris proximi?*

Negarunt quidam Recentiores hisce propositionibus. Prima, *non tenemur proximum diligere actu interno & formali.* Secunda, *præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Tertia, *præceptum affirmativum amoris Dei & proximi non est speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisfit.*

Verùm duæ priores propositiones damnatæ sunt ab Innocentio XI. anno 1679. & tertia ab Academia Parisiensi anno 1665. ac demum à Clero Gallicano anno 1700. ut falsa, erronea, impia. Quare

R. Præcepto divino tenemur diligere proximum interno amore amicitiæ.

Probatur ex Scriptura, Matth. 22. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quæro autem ad Adversariis quomodo seipsos diligant? An externo duntaxat amore? Joann. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quis autem nesciat Christum nos dilexisse interno amore amicitiæ? Propterea Joan. 17. vers. 21. vult ut omnes, sive dominus, sive famulus & mancipium, sive bello victor, sive captivus, unum sint ad invicem. Et cap. 13. vers. 25. dicit hanc fore notam, qua veri Christiani secernantur à Philosophis Ethnicis, qui virtutem colere profitebantur, *in hoc cognoscent omnes; quia discipuli mei estis; si dilectionem habueritis ad invicem.* Quemadmodum, inquit

inquit S. Chryſoſtomus, Rex ſola purpura diſtinguitur inter aulicos, qui nonnunquam pretioſioribus veſtibus induuntur. 1. Cor. cap. 13. Apoſtolus ex profeſſo docet externos charitatis actus ſine internis non ſufficere ad ſalutem: *Si diſtribuero*, inquit, *in cibos pauperum omnes facultates meas .... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Notent, qui ita ſubveniunt neceſſitatibus famulorum ſuorum, & aliorum infimæ plebis, ut indignum ſe judicent iis intimo charitatis affectu conjungi, & eſſe cum illis cor unum & animam unam, ut legitur Act. 4.

Dices: nullum extat præceptum diligendi ſeipſum: Ergo non debuit dari præceptum diligendi proximum.

Nego conſeq. Diſparitas eſt, quia homo naturaliter diligit ſeipſum etiam infimum, etiam peſſimum, nec in poteſtate ejus eſt, ut nolit eſſe beatus; quin aliquando ideò malus eſt, quia vult eſſe beatus, beatitudinem ſuam conſtituens in voluptatibus, & rerum terrenarum abundantia. Quamobrem fruſtra daretur illi præceptum diligendi ſeipſum; ſed imprimis eget & doctrina, ut diſcat in ſolo Deo ſitam eſſe hominis felicitatem, & præcepto ſimul ac gratia, quibus ſuaviter impellatur devium amorem ſui ab illicitis revocare (qui enim diligit iniquitatem, odit animam ſuam,) & totum in Deo colligere: *Quia igitur*, inquit ſanctus Auguſtinus cit. Epiſt. 155. *nemo niſi Deum diligendo, diligit ſeipſum; non opus erat, ut dato de Dei dilectione præcepto, etiam ſeipſum homo diligere deberet, cùm in eo diligat ſeipſum, quòd diligit Deum.* Sed amor noſter non ſimili impetu in proximum currit, multa in illo, etiam in ſanguine conjun-

conjunctissimis, displicent; suntque nobis onera, quæ impatienter ferremus, nisi Lex diceret, *diliges proximum tuum sicut teipsum.* Item, *alter alterius onera portate.* De quo præcepto sic scribit Augustinus Lib. 83. qu. qu. 71. *onera invicem nostra portemus, ut ad eam vitam, quæ caret omni onere, pervenire possimus* . . . v. g. *iram fratris tui nunc portas, cùm adversùs eum non irasceris; ut rursus eo tempore, quo te ira præoccupaverit, ille te lenitate & tranquillitate sua supportet. Loquacitatem tuam ille portat; tu illius pertinaciam charitate portare debes, donec illud in te, & illud in illo vitium sanetur*, &c.

Q. 2. *Quid est diligere proximum sicut seipsum?*

Respondet sanctus Thomas quæst. 44. art. 7. pronomen *sicut*, non denotare æqualitatem dilectionis, sed similitudinem; debemus enim nos plus diligere quàm proximum, nec licet nobis peccare etiam venialiter, cùm illud necessarium videtur ad impediendum lethale alterius peccatum: prudentes virgines oleum suum cum fatuis partiri noluerunt, sed totum sibi servarunt, ne omnibus non sufficeret, Matth. 25. *Concha imitetur fontem*, inquit sanctus Bernardus Sermone 18. in Cantica, *non manat ille in rivum, nec in lacum extenditur, donec suis satietur aquis.*

Præcipitur itaque secundo Legis præcepto, ut charitas, qua nos ipsos diligimus, sit instar exemplaris, ad cujus similitudinem procedat dirigaturque dilectio nostra erga proximum, quo sensu accipiendum est illud Christi, Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Et illud Genes. 1. *Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.*

Q. 3. *Unde repetitur ejusmodi dilectionis similitudo?*

R. Ex

R. Ex triplici capite, juxta S. Thomam cit. artic. 7. 1. ex fine & motivo, *ut ſit ſancta*, 2. ex objecto materiali, ſeu materia circa quam, hoc eſt ex iis, quæ volumus proximo, *ut ſit juſta*, 3. ex principio, ſeu ex ipſo animo benevolo, *ut ſit vera.*

Primò igitur, ut proximum diligamus ſancta & ſimili dilectione, qua nos ipſos diligimus, idem ſit utriuſque dilectionis motivum & finis neceſſe eſt. Cùm autem nemo niſi diligendo Deum ex toto corde, ſeipſum diligat, *quod agis tecum*, inquit S. Auguſtinus, Lib. de Moribus Eccleſiæ cap. 26. *id agendum cum proximo eſt; hoc eſt, ut ipſe etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam teipſum, ſi non ad id bonum, ad quod ipſe tendis, adducere ſatagis.* Et Serm. 335. aliàs 256. de Tempore: *Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia eſt in illo, aut ut ſit in illo.* Quin ipſemet Dominus noſter vetus illud mandatum cordibus noſtris inſculptum, *diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, nova ſua interpretatione illuſtravit, expoſuitque quo motivo, quove fine proximum jubemur diligere: *hoc eſt præceptum meum*, inquit Joan. 15. *ut diligatis invicem ſicut dilexi vos.* Quod mandatum expendens ſanctus Auguſtinus Tract. 65. in Joann. ſic ſcribit: *Ipſa eſt dilectio ab omni mundana dilectione diſcreta, quam diſtinguendo addidit Dominus*, ſicut dilexi vos. *Quid enim niſi Deum dilexit in nobis, non quòd habebamus, ſed ut haberemus? ut perducat nos, ubi Deus ſit omnia in omnibus* .... In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis, *tanquam diceret, alia munera mea habent vobiſcum etiam non mei, non ſolùm naturam, vitam, ſenſum, rationem ..... verùm etiam linguas,*

guas, ſacramenta . . . . fidem, diſtributionem rerum ſuarum pauperibus, ſed quoniam charitatem non habent, ut cymbala concrepant, nihil ſunt, nihil illis prodeſt.

Ergo dilectio proximi, quam Chriſtus præcipit, ex motivo ſuo ſancta eſt & planè divina, eſſentialiterque diſtinguitur ab omni amore temporali, cujus ſpecies ſanctus Auguſtinus enumerat Serm. 395. aliàs 38. inter 50. Homil. ubi rejecta nefaria amicitia, quam facit mala conſcientia ebrioſorum, rapacium, &c. recenſet licitos amores, ſed temporales, quos Chriſtianus ex præcepto charitatis tranſcendere debet. Incipit licitus amor à conjugio, inquit ſanctus Doctor, ſed adhuc carnalis eſt, ut qui ſit communis cum pecoribus; paſſeres quippe ſimul ova confovent, ſimul pullos nutriunt. Secundus amor filiorum eſt, ſed & ipſe carnalis; nam leones & ſerpentes amant filios ſuos, ac proinde non laudandus, qui amat filios ſuos, ſed deteſtandus, qui non amat; *Pro magno enim laudaturus ſum in homine, quod video in tigride, ſi non amaveris, à ſerpentibus vinceris.* Tertius amor eſt propinquorum, qui ſi ultra non extenditur, etiam carnalis eſt, qui enim propinquos amat, adhuc ſanguinem ſuum amat. Quartus eſt conſuetudinis cohabitandi, colloquendi, ſimul converſandi, ut contriſtetur homo, quando deſeritur ab amico, cum quo ſolet colloqui. Et iſta amicitia, honeſta quidem; ſed conſuetudinis eſt, non rationis; habent enim illam & pecora: duo equi v. g. manducant ſimul, deſiderant ſe: *Surgamus adhuc ab iſta*, inquit ſanctus Doctor, *eſt alia ſuperior amicitia, non conſuetudinis, ſed rationis, qua diligimus hominem propter fidem & mutuam bene-*

benevolentiam in hac vita mortali. Hac superius quicquid invenerimus, divinum est. Quid autem sit superius, statim aperit. *Incipiat homo amare Deum, & non amabit in homine, nisi Deum.* Hæc est Christiana proximi dilectio; *hoc est præceptum meum,* ait Christus, *ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quid autem nisi Deum dilexit in nobis? non ergo diligendus est proximus, inquit sanctus Augustinus, Libro de vera Relig. cap. 46. ut diligunt carnales fratres, vel filii, vel conjuges, vel quique cognati, vel affines, aut cives; nam & dilectio ista temporalis est: *Itaque ad pristinam perfectamque naturam nos ipsa veritas vocans, præcipit ut carnali consuetudini resistamus, docens* (Luc. 14. vers. 28.) *neminem aptum esse regno Dei, qui non istas carnales necessitudines oderit. Neque hoc cuiquam inhumanum videri debet; magis enim est inhumanum non amare in homine quod homo est, sed amare quod vilius est; hoc est enim non in eo amare illud, quod ad eum pertinet, sed amare illud, quod ad se pertinet. Quid ergo mirum, si ad regnum non pervenit, qui non communem, sed privatam rem diligit .... Nemo potest perfectè diligere quò vocamur, nisi oderit unde revocamur ..... Quare oderimus oportet, unde ut liberemur, optamus. Oderimus ergo temporales necessitudines, si æternitatis charitate flagramus. Diligat homo proximum tanquam seipsum; certè enim sibi ipsi nemo est pater, aut filius, aut affinis, aut aliquid hujusmodi, sed tantùm homo. Qui ergo diligit aliquem tanquam seipsum, hoc in eo debet diligere quod sibi est.* Eadem repetit S. Doctor Lib. 1. de Serm. Domini in Monte cap. 26. Quæ non sic intelligenda sunt, quasi charitas nullam rationem habeat ejusmodi necessitudinum; nam illas ordinat ad Deum, ut dicetur capite sequenti; sed

ſed oſtendit duntaxat quo motivo & quo fine nos & propinquos, & cæteros homines diligere debeamus.

Secundò, tum proximum ſimili amore quo nos ipſos proſequimur, cùm illi eadem quæ nobis volumus, nempe ut Deus in illo ſit omnia ſicut in nobis, atque ad hunc finem, quantùm in nobis eſt, illum data occaſione juvamus, utilia ſuggerendo, & ſubminiſtrando, noxia verò amovendo. Quilibet enim amans optat dilectum fieri ſibi ſimilem, ipſe ſibi eſt amandi regula: amat divitias, mundi honores, voluptates; vult ſimiliter filios, propinquos, & amicos fieri divites, gloria celebres, & facillimè ſe agere. Tu verò amas juſtitiam, vis proximum eſſe juſtum, amas ſub Deo eſſe, vis & illum eſſe ſub Deo; odiſti animam tuam in hoc mundo ut eam cuſtodias in vitam æternam, illum in eundem affectum adducere niteris: *Quomodo ergo*, inquit S. Auguſtinus cit. Serm. 335. *amicus hujus ſæculi ſecundùm ſæculum amans animam ſuam, febrem vult pellere de amico ſuo, quem ſimiliter amat ut ſe propter præſentem ſalutem; ſic tu quemcunque diligis, propter vitam æternam dilige. Cùm inveneris iram, indignationem, odium, iniquitatem, ſic coneris exponere morbum animi, quomodo amicus ſæculi morbum corporis. Ad hoc enim ama ut facias quod tu es, & erit in te perfecta charitas.* Tam enim repugnat charitatem ſervire aliorum cupiditatibus, quàm veritatem eorum mendaciis, & caſtitatem libidinibus. Scriptum quidem eſt Luc. 6. *omni petenti te tribue;* ſed, ut advertit S. Auguſtinus Lib. 1. de Serm. Domini in Monte cap. 40. non ait omnia petenti te tribue, *ut id des quod dare honeſtè & juſtè potes .... Id profectò dandum eſt, quod nec tibi,*

nec

nec alteri noceat, quantùm sciri, aut credi ab homine potest: & cui justè negaveris quod petit, indicanda est ipsa injustitia, ut non eum inanem dimittas. Ita enim petenti te dabis quamvis non semper id quod petit, dabis, sed aliquando meliùs aliquid dabis, cùm petentem injustè correxeris. Quodsi non acquiescat, sed inhumanum te pronunciet, fortè etiam tanquam ingrato collata beneficia exprobret, iram ejus veluti phrenesim sustine, febrienti compatere, nec desieris in illo odisse, quod secundùm charitatem in te ipso odisti, & proximum sicut te ipsum diligis.

Tertiò, ut dilectio erga proximum sit ad similitudinem dilectionis, qua nos ipsos diligimus, procedat oportet ex animo erga eum benevolo; quia ex S. Thoma citat. art. 7. *Cùm quis diligit proximum propter suam utilitatem, vel delectationem: non vere diligit proximum, sed seipsum.* Et sanctus Augustinus Libro de vera Religione cap. 46. *Si*, inquit, *vel ipsum hominem homo dilexerit, non tanquam seipsum, sed tanquam jumentum, aut habitum, aut aviculam pictam, vel garrulam, id est, ut ex eo aliquid temporalis voluptatis, aut commodi capiat, serviat necesse est, non homini, sed quod est turpius, tam fœdo & detestabili vitio, quo non amat hominem sicut amandus est. Quo vitio dominante usque ad extremam vitam, vel potius mortem perducitur.*

Atque ex hac explicatione colliges raram admodum esse eam benevolentiæ & charitatis dilectionem, quæ nobis præcipitur tum lege naturali: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, tum Lege Evangelica, *hoc est præceptum meum*, (non ait consilium meum) *ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Namque voluptuosi animo suo obsequuntur,

tur, dum amant; aleatores v. gr. compotatores, & mulierum amore insanientes non aliter amicis blandiuntur quàm Domino suo catulus, qui benevolentiæ capax non est. Bonorum temporalium cupidi in rem suam magnates & beneficos suos colunt. Carnales cognati quod ad se pertinet, in propinquis scilicet suum sanguinem diligunt, ut supra dicebat S. Augustinus. Qui aliorum consuetudine delectantur præcisè, vel propter morum similitudinem, vel propter lucra temporalia, familiaribus suis potiùs utuntur, quàm eos diligunt. Denique omnes peccatores, ut malè se diligunt, ita & proximum; quia Deum in se & in aliis non diligunt. Quin Apostolus graviter monet beneficos erga pauperes, erogationes eorum non prodesse, nisi ex charitate procedant, ut innuat illud misericordiæ opus posse fieri absque proximi dilectione, quam præscribit Lex Evangelica, ut scilicet diligamus invicem, sicut Christus dilexit nos. Unde S. Augustinus Lib. de morib. Ecclesiæ c. 26. *Qui ergo diligit proximum*, inquit, *agit quantum potest, ut salvus corpore, salvusque animo sit; sed cura corporis ad sanitatem animi referenda est. Agit ergo his gradibus quod ad animum pertinet, ut primò timeat, deinde diligat Deum.* Hæc est illa eleemosyna, quæ resistit peccato, sicut aqua extinguit ignem ardentem, Eccl. 3. vers. 33. liberat à morte, Tob. 11. vers. 4. & promeretur regnum cœlorum, Matth. 25. v. 34.

Q. 4. *Quandonam obligat præceptum dilectionis proximi?*

Nota duplicem vulgò à Theologis distingui amorem, affectivum, scilicet, & effectivum. Amor

Amor affectivus est ipsemet gratuitus voluntatis affectus erga proximum: effectivus verò est effectus hujusce gratuiti affectus, ut eleemosyna. His præmissis,

R. 1. Toties tenemur proximum diligere amore effectivo, & suppetias illi afferre, quoties nobis facultas non deest & ipse indiget. Responsionis ratio patebit ex dicendis de præcepto eleemosinæ, & correctionis fraternæ.

R. 2. Amoris effectivi duplex est præceptum: alterum negativum, quo prohibetur omnis mala affectio erga proximum: alterum affirmativum, quo præcipitur erga eum benevolus animus.

Præceptum negativum obligat semper & pro semper; quia quod est per se malum, semper est prohibitum, nec unquam licet illud velle, aut facere: atqui esse erga proximum animo vel per odium averso, vel indifferenti; ita ut nec in odium, nec in amorem velit moveri, est res per se mala, utpote contraria huic præcepto Legis naturalis, *diliges proximum tuum*; nam ex S. Thoma præcepta affirmativa eo ipso, quod actus virtutis imperant, actus oppositos prohibent; filius v. gr. qui patrem contemneret, aut indifferenter erga eum ageret, procul dubio peccaret contra illud præceptum, *honora patrem tuum*; ejusque contemptus, aut animus indifferens esset per se malus. Ergo & qui odio in proxi . um flagrat, & qui est animo erga eum indifferenti, nec vult eum diligere, manet in morte, ut dicitur 1. Joan. 3. vers. 14. Nec est absolutionis capax. Unde Apostolus Rom. 13. vers. 8. *Nemini*, inquit, *quidquam debeatis*, *nisi ut invicem diligatis*; hoc est, omnibus debitis vos

liberate, vectigalia solvite, mutuum acceptum refundite, &c. nemini manete debitores, solo debito fraternæ charitatis excepto, quod omnino exolvere non potestis; quia proximus etiam inimicus semper est diligendus, si non actu, saltem in præparatione cordis, & animi propensione. Ita sanctus Thomas quæst. 25. artic. 8.

Præceptum affirmativum amoris effectivi erga proximum non obligat pro semper, sicut nec præceptum amoris Dei; cùm sit impossibile in hac mortali vita, ut semper actu ardeamus amore Dei & proximi. Quando autem & quoties obliget illud præceptum, omnino definiri nequit. Omissis variis opinionibus, utpote quæ fundamento satis firmo careant, pro certo statui debet illud sæpiùs obligare, efficaciterque probatur ex oratione, quam Christus & frequentem, & pro omnibus, nemine excepto, fundendam præcebit: *Quando oramus*, inquit S. Cyprianus Serm. de Oratione Dominica, *non pro uno, sed pro populo toto oramus, quia totus populus unum sumus. Deus pacis, & concordiæ Magister, qui docuit unitatem, sic orare unum pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes ipse portavit . . . . . . Deus qui unanimes facit habitare in domo, non admittit in divinam & æternam domum, nisi apud quos est unanimis oratio.* Et S. Thomas quæst. 25. artic. 9. *Sunt*, inquit, *quædam signa vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi, putà, cùm aliquis orat pro omnibus Fidelibus, vel pro toto populo; aut cùm aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati. Et talia beneficia vel dilectionis signa inimicis exhibere est de necessitate præcepti. Si enim non exhiberemus inimicis, hoc pertineret*

neret ad livorem vindictæ. Quibus verbis S. Doctor explicat quod art. 8. ſcripſerat, & à nonnullis ſenſu ab ejus mente alieno accipitur, *ut ſcil. aliquis in ſpeciali moveatur motu dilectionis ad inimicum, non eſt de neceſſitate Charitatis abſolutè; quia nec etiam moveri motu dilectionis in ſpeciali ad quoslibet homines ſingulariter, eſt de neceſſitate Charitatis; quia hoc eſſet impoſſibile. Eſt tamen de neceſſitate Charitatis ſecundùm præparationem animi, ut ſcil. homo habeat animum paratum ad hoc quòd in ſingulari inimicum diligeret, ſi neceſſitas occurreret.* Hìc S. Thomas loquitur de inimico abſolutè ſpectato, articulo autem 9. de inimico in hypotheſi quòd pro omnibus oremus, ut in Oratione Dominica, vel adſit in cœtu, quem ingredimur, cuique benevolentiæ ſigna exhibemus, & definit ad livorem vindictæ pertinere, ſi eum excludamus vel ab oratione noſtra, vel ab honorifica ſalutatione, quam aliis impertimus, ſi oculos ab illo avertamus; ſi verba ad nos dirigenti reſpondere detrectemus. Idem dicendum, ſi ſit propinquus, vicinus, ſi antea nobis familiaris fuerit; in iis quippe circumſtantiis ea amoris ſigna illi debentur, quæ communiter dantur propinquis, & vicinis. Eſto familiariter eo non utamur ſicut priùs, modò id fiat ex prudentia, non autem ex appetitu vindictæ, & ex animo eum contemnendi aut contriſtandi; tenemur tamen neceſſariis benevolentiæ ſignis ab illo amovere omnem odii ſuſpicionem, alioquin illi eſſemus malo exemplo & offenſioni; *Væ* autem *homini per quem ſcandalum venit*, Matth. 18.

Sunt aliæ occaſiones, in quibus tenemur elicere actus Charitatis fraternæ.

1. Cùm quis acerbo dolore pungitur ob injuriam acceptam, periculumque eſt ne inimico vel malum exoptet, vel malis ejus inſultet, vel rebus lætis invideat; contraria enim contrariis expelluntur, fide infidelitas, ſpe deſperatio, & amore odium. Tum igitur maximè urget Evangelicum præceptum, *orate pro perſequentibus . . . vos*, Matth. 5. *Ille ſævit, tu precare; ille odit, tu miſerere*, S. Auguſtinus Tract. 8. in 1. Joan. Nihil efficacius ad ſedandum animum, nihil ſalubrius Confeſſarii imponere poſſunt pœnitentibus, quàm crebras orationes pro iis qui illos infeſtant, ut ſcilicet Deus eos convertat, & ex inimicis fiant amici.

2. Cùm prævidemus inimicum inimicitias depoſiturum, nec aliter, niſi eum ſpecialibus benevolentiæ officiis præveniemus: *Unicuique* enim *mandavit Deus de proximo ſuo*, Eccli. 17. & ſi aſinum, vel bovem inimici errantem ad ipſum reducere tenemur, multò magis ipſum errantem reducere debemus ad Deum Dominum ipſius, & noſtrum. Scio juſtitiæ legem juxta quam qui non læſus eſt, ſed qui læſit, prior obſequiis occupare tenetur; ſed ſuperior eſt lex Charitatis, à qua nullus immunis fieri poteſt, ut quiſquis proximum diligat, id eſt, benè illi velit & faciat, ubi ope noſtra indiget. Illud autem Charitatis officium maximè ſpectat Paſtores, quorum munus eſt ovem errantem requirere, diſſidia ſubditorum extinguere, exaſperatos animos blanditiis delinire, & ad pacem revocare. Atqui nullus ſolicitudine ejus paſtorali tam indiget, quàm qui odium capitale adverſùs illum gerit: ſit injuſtus, ſit impius; de ejus tamen ſalute deſperare

ſperare non licet; fortè enim prædeſtinatus eſt ſicut plures, quos Eccleſia experta eſt crudeliſſimos perſecutores. Malitia ejus febris eſt. Quanta medici plerumque patiuntur à phreneticis? Quales verborum contumelias? plerumque & percutiuntur, & nihilominus curant hominem à quo percutiuntur, oderunt morbum, febrem perſequuntur; denique illud tollunt, quod illis adverſatur, ut remaneat illud unde gratulentur. Ita ferè S. Auguſtinus Tract. 8. in 1. Joan. Si autem Paſtor adjiciat curam hujuſmodi phrenetici, ſi litibus morbum ejus exaggeret, & ſub prætextu jus ſuum tuendi, illum in extremam perniciem impellat, quis dubitet quin Deus ſanguinem animæ illius de manibus ejus requirat? maximè cum experientia conſtet hujuſmodi flagitioſos vinci inexpectata Paſtoris humanitate, nec poſſe reſiſtere ei, qui cùm poſſet ulciſci graves injurias ſibi irrogatas, amore tamen paterno eos complectitur.

3. Inimico veniam petenti, non ſolùm offenſam remittere, ſed etiam benevolentiæ & reconciliationis ſigna exhibere tenemur, ſaltem ut plurimum; ſic enim præcepit Dominus, Luc. 17. verſ. 3. & 4. *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum . . . . & ſi . . . . . . ſepties in die converſus fuerit ad te dicens, pœnitet me, dimitte illi.* Unde ſanctus Auguſtinus Serm. 52. *Quando*, inquit, *inimicus veniam petit, continuò dimittas . . . . Tunc ſi non ignoveris: non dico, deles orationem de corde tuo: ſed deleberis de Libro Dei . . . . ſed fortè dicis, mentitur, fingit. O Judex cordis alieni! Rogat, veniam petit: dimitte, prorſus dimitte. Si non dimiſeris, non illi noces, ſed tibi. Nam ille*

ſcit quid ſit facturus . . . . Ibit ad Dominum veſtrum . . . . Nunquid non licet Domino debita relaxare ſervi ſui? Ille accepta venia à Domino, recedit abſolutus, tu remanes obligatus.

Dixi, *ut plurimum;* nam pater, & quivis Superior juſtæ correptionis cauſa, ab amoris indiciis excludere poſſunt filium & ſubditum, reconciliationemque differre, modò intus in corde dimittant, & Charitatem ſervent. Sic David Abſaloni veniam petenti ita indulſit, ut eum ad tempus videre noluerit, 2. Reg. cap. 14. *Sic & Deus*, inquit S. Auguſtinus Serm. 5. *nunquid non nos diligit? non ad hoc nos hortatur ut diligamus inimicos noſtros, ut quomodo poſſumus, ſimiles illi ſimus? Quanta dilectio eſt in Domino, quando pro peccatoribus & impiis Chriſtum crucifigendum miſit? . . . . Ecce quomodo diligit homines. Attendamus, fratres, nunquid non illos flagellat? nunquid non illos corripit? Si non illos corripit, unde fames, unde ægritudines, unde peſtilentiæ & morbi? Omnes enim iſtæ correptiones Dei ſunt. Sicut ergo ille diligit, & tamen corripit: ſic & tu ſi habes aliquem in poteſtate, quamvis ſerves affectum dilectionis, noli tamen negare flagellum correptionis, quia ſi negaveris, non tenebis dilectionem; quia ille moritur in peccatis, qui fortè correptus ea relinqueret, & tibi imputatur verum odium.* Eſt igitur Charitas piè ſæviens, & odium perverſè blandiens.

Sed patres & Superiores imprimis præcavere debent exemplo Apoſtoli 2. Cor. 2. Ne circunveniantur à Satana, hoc eſt, ne abundantiori triſtitia abſorbeantur, quos exercent ad emendationem; ſuſpendant verbera, aperiantque Charitatis viſcera, ubi ſalus pœnitentium poſtulaverit.

Q. 5. *Veniam petenti eſtne etiam remittenda ex præcepto actio injuriarum & ſatisfactio?*

R. Minimè, quia non ordo juſtitiæ, ſed ſolus appetitus vindictæ repugnat Charitati. Ita S. Thomas 2. 2. qu. 108. art. 1. ubi ſic habet. *Eſt in vindicatione conſiderandus vindicantis animus; ſi enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam ſumit, & ibi quieſcat, eſt omnino illicitum, quia delectari in malo alterius pertinet ad odium. Nec aliquis excuſatur ſi malum intendat illius, qui ſibi injuſtè intulit malum, ſicut non excuſatur aliquis per hoc quòd odit ſe odientem; non enim debet homo in alium peccare, propter hoc quòd ille priùs peccavit in ipſum; hoc enim eſt vinci à malo. Si verò intentio vindicantis principaliter feratur in bonum, putà ad emendationem peccantis, vel ſaltem ad cohibitionem ejus, & quietem aliorum, & ad juſtitiæ conſervationem, & ad Dei gloriam, poteſt eſſe vindicatio licita.* Et illud probat in reſponſione ad quartum exemplo tum Eliæ, qui obtinuit ut ignis deſcendens de cœlo devoraret quinquaginta viros ad vindicandum injuriam ſibi illatam, 4. Reg. 1. tum Eliſæi, qui maledixit pueris eum irridentibus, 4. Reg. 14. quia Dei honos læſus erat in perſona utriuſque Prophetæ.

At valde periculoſum eſt ne in ejuſmodi actionibus injuriarum appetitus propriæ vindictæ ſubrepat, neve per ſpeciem tuendæ juſtitiæ re vera privato dolori indulgeamus; quæ cùm nobis ſatis explorata eſſe nequeant; (*pravum enim eſt cor hominis & inſcrutabile.* Jer. 17.) illud fuit ſemper conſilium viris ſanctis, Dei honorem, & proximi injurias acriter vindicare, proprias verò patienter ſuſtinere; nec exiſtimant ſe ultra manda-

tum progredi, ſed proximam illius tranſgrediendi occaſionem vitare.

Q. 6. *Si inimicus plenam Satisfactionem offerat, pars læſa teneturne eam acceptare?*

R. Ordinariè tenetur, ſaltem ex præcepto Charitatis: quia nulla honeſta ratio interpellandi Judicem, nulla cauſa proximum obruendi ſumptibus, niſi ultionis libido; quid enim ampliùs læſus expectare poteſt, quàm ut plenè ſibi ſatisfiat? atqui id ultro ipſi offertur: Ergo.

Dixi 1. *ſaltem ex præcepto Charitatis*, ut innuerem ad id non teneri ex virtute juſtitiæ, ut probavimus Tract. de Incarnatione, ubi de differentia reſtitutionem inter & ſatisfactionem pag. 185. & ſeq.

Dixi 2. *ordinariè*, quia aliquando expedit, vel etiam neceſſe eſt ſatisfactionem injuriarum petere coram Judice. 1. Si reus ſit Reipublicæ noxius, & concives injuria afficere ſolitus. 2. Si gravis eſſet offenſa, nec privata ſatisfactio deleret infamiam, quæ in totam familiam recidit.

CAPUT IV.

De Ordine Charitatis.

Q. 1. *Eſtne ſervandus ordo in Charitate?*

R. Servandus eſt. Probatur 1. ex Scriptura 2. Cant. verſ. 4. *ordinavit in me Charitatem.* Quem locum expendens ſanctus Bernardus Serm. 49. in Cant. ſic habet: *Omnium neceſſariò importabilis ſiquidem abſque ſcientia eſt zelus. Ubi ergo vehemens eſt æmulatio, ibi maximè diſcretio eſt neceſſaria, quia eſt ordinatio Charitatis.*

Proba-

Probatur 2. ratione; quia ibi eſt ordo, ubi unum eſt principium & cauſa cæterorum; atqui in Charitate amor Dei eſt principium, & cauſa amoris rerum cæterarum: Ergo.

Objicit ſibi S. Thomas qu. 26. art. 1. in aliis virtutibus non invenitur ordo: ergo neque in Charitate.

Reſpondet negando conſequentiam; Quia *Charitas tendit in ultimum finem ſub ratione finis ultimi, quod non convenit alicui alii virtuti; finis autem habet rationem primi principii in appetibilibus, & in agendis. Et ideo Charitas maximè importat comparationem* (ordinationem) *ad primum principium.*

Q. 2. *Quomodo ordinanda eſt Charitas?*

R. Amore affectivo meliora ſunt magis diligenda: amore autem effectivo ſeu opere, quæ nobis ſunt conjunctiora: in pari tamen neceſſitate, & in eodem bonorum genere.

Prima pars probatur; quia ubi major eſt ratio diligendi, magis diligere oportet: atqui bonum eſt ratio diligendi: ergo quod eſt majus bonum, illud magis eſt diligendum. Hinc bona ſpiritualia, utpote meliora, plus amare oportet, quàm temporalia, ſi tamen iſta ſint amanda; nam, ut ſæpiùs diximus, non ſunt bona noſtra, ſed neceſſaria, quibus utendum ad illud, non quibus frui liceat amore iis inhærendo.

Secunda pars probatur 1. ex S. Auguſtino Lib. de Doctrina Chriſtiana cap. 28. ubi ſic ſcribit: *Omnes homines . . . æquè diligendi ſunt* (hoc eſt idem bonum hominibus expetendum, quamvis non eodem affectu.) *Sed cùm omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimùm conſulendum eſt, qui pro locorum & temporum vel qualibet rerum opportunitate conſtrictiùs*

tibi

tibi quasi quadam sorte junguntur. 2. Ratione; quia omnis causa prius & fortiùs agit in ea quæ sunt viciniora, quàm in remotiora.

Confirmatur utraque pars responsionis, ex S. Bernardo cit. Serm. 49. in Cant. num. 6. *Non semper*, inquit, *quod priùs curandum, id etiam ampliùs diligendum erit, cùm sæpè quod priùs est ad solicitudinem, minùs sit ad utilitatem, ac per hoc minùs esse oporteat & in affectu . . . Nonne* v. gr. *ex injuncto incumbit mihi cura omnium vestrum?* (alloquitur Monachos sibi subditos.) *Jam quidquid huic fortè prætulero operi, quòd minùs ipsi invigilem dignè & utiliter pro viribus exequendo; & si ex Charitate fortassis id facere videar, ordinis tamen ratio non consentit. Quòd si ante omnia quidem* (ut debeo) *huic intendo curæ, non autem magis ad majora gaudeo Dei lucra, quæ per alterum fortè fieri comperero, patet me ordinem Charitatis ex parte tenere, ex parte nequaquam. Si verò me & ad id ampliùs, quod specialiùs incumbit, solicitum & nihilominus ad illud quod majus est, magis affectum exhibeam, utrobique profectò invenior Charitatis ordinem assecutus, & non est cur dicere non possim etiam ipse*, quia ordinavit in me Charitatem. Notent Pastores & quilibet Præpositi, qui prætextu amplioris messis aliò excurrunt, proprium verò agrum pro virili non excolunt.

Ergo Deum nobis & cæteris omnibus debemus anteponere amore tum affectivo, tum effectivo; quia præterquam quòd est summum bonum & ultimus finis, ad quem omnia sunt referenda, nobis quoque est conjunctissimus, & intimior nostro intimo; habet quippe rationem totius, nos verò partis, pars autem minùs est sui, quàm totius. Unde S. Aug. Lib. de Doctr. Christiana c. 22. *Si teipsum*, inquit; *non propter te debes diligere,*

non

non succenseat alius homo (etiamsi pater sit) *si & ipsum propter Deum diligas.*

Dices: tenemur ex dictis nos magis diligere quam cæteros homines, inter quos sunt nobis meliores ac sanctiores: Ergo charitatis ordo non postulat ut præferamus meliora.

Distinguo conseq. Ut præferamus amore effectivo, & desiderio efficaci, Concedo: amore complacentiæ, Nego conseq. Itaque debemus efficaciùs nostrum quàm aliorum in virtute profectum ac beatitudinem desiderare, & in iis attentiùs versari, quod est simpliciter seipsum magis diligere; sed recta ratio postulat ut magis complaceamus in majori aliorum sanctitate & beatitudine. *Si autem dicas*, inquit S. Bernardus Serm. cit. num. 7. *difficilè quenquam plus alieno gaudere magno bono, quàm proprio parvo, advertes certò vel ex hoc excellentiam gratiæ apud sponsam, & quoniam non cuilibet animæ dicere sit*, quia ordinavit in me charitatem .... *nimirum metientes nos ipsos nobis, sentimus aliqui nostrum pro nostræ imperfectionis experientia, quam rara virtus sit alienæ non invidere virtuti, necdum gaudere ad illam, necdum etiam tantò plùs, quàm ad propriam quemque gratulari, quantò se perpenderit in virtute superari.* Cúmque S. Doctor adverteret Discipulorum suspiria, quibus testabantur nondum se illam perfectionem assecutos, eorum dolorem lenit pergens: *Si doles quod invides; sentis, sed non consentis, Passio est, quandoque sananda, actio non condemnanda.* Absit enim, ut inveniatur expers salutis, qui magis confunditur sic se esse malè affectum, *qui inclytum ex longo vitium, confitendo, flendo, orando conatur expellere: & cùm non prævalet, mitior inde ad omnes, atque apud se humilior inveni-*

invenitur, quis sanè sapiens hominem damnet, qui à Domino didicit mitis esse & humilis corde?

Dixi in responsione, *in pari tamen necessitate.* 1. quia præceptum charitatis non obligat aliis benefacere, nisi adsit aliqua opitulandi necessitas; neque enim tenemur utilia quæque aliis afferre. 2. quia extraneus in extrema aut gravi necessitate constitutus, præferendus est propinquo non ita indigenti.

Triplex autem distingui solet necessitas, nempe communis, gravis, & extrema. Communis est ea, in qua non habentur, nec labore comparari possunt necessaria quæque ad victum & vestitum; talis est mendicantium necessitas. Gravis, quæ hominem è statu suo dejiceret, nisi suppetiæ ei afferrentur. Extrema, in qua homo, v. g. ægrotus derelictus, mortem effugere nequit, nisi ei subveniatur.

Ordo autem charitatis exigit, ut proximus in communi necessitate constitutus, adjuvetur ex bonis superfluis: in gravi ex bonis statui nostro partim necessariis: in extrema, etiam ex bonis (si necesse sit) sine quibus status noster stare non potest.

Dixi 2. *in eodem bonorum genere*; in diverso enim servandus est diversus operis seu amoris effectivi ordo. Alia autem sunt bona, quæ dicuntur fortunæ, alia naturæ, ut vita corporis: alia spiritualia, & quæ spectant æternam animæ salutem. Porrò responsionem nostram limitavimus ad bona ejusdem generis in pari necessitate conferenda.

Atque

Atque juxta regulam à nobis traditam & ſtabilitam, ubi agitur de bonis fortunæ, in pari neceſſitate priùs conſulere debemus nobis, deinde propinquis juxta gradum propinquitatis; & poſtmodum cæteris ſecundùm varias neceſſitudines amicitiæ, ſocietatis, ac demum extraneis. Si ergo parentes, amici, & extranei, nobiſcum verſentur in gravi neceſſitate, hoc eſt, in proximo periculo cadendi à proprio ſtatu legitimè acquiſito, nobis priùs providere debemus, ſecundo loco parentibus, ac deinceps aliis. Eadem regula ſervanda eſt, ſi omnes pariter premantur extrema neceſſitate, quæ tum duntaxat cenſetur, cùm imminet mortis periculum. Quapropter in ea neceſſitate agitur de bonis naturæ, nempe de vita, quam quiſque debet priùs ſibi ſervare, quam parentibus, & his priùs quàm reliquis; quia iis conjunctior eſt in ordine naturæ, qui firmior eſt ac præſuppoſitus omnibus neceſſitudinibus, quas deinceps ſuperſtruimus, nec proinde earum gratia ſubvertendus. Non igitur audiendi ſunt filii inhumani, dum exaggerant mala, quæ à parentibus perpeſſi ſunt, ut inde concludant ſibi licitum eſſe non habere eos ut parentes, vita enim quamdiu filio ſupereſt, tantum eſt beneficium à parentibus acceptum, ut pro eo ſemper ſit illis debitor, nec par reddere poſſit, ex ipſiſmet Philoſophis Ethnicis.

Ergo à fortiori is charitatis ordo in extrema neceſſitate ſervandus eſt erga patriam, quæ cùm habet rationem totius, præferenda eſt parentibus, qui & ipſi utpote ejus partes propriam vitam pro illius ſalute exponere tenentur, ex S. Thoma qu. 26. art. 4. ad tertium: *Charitas*, inquit,

quit, *communia propriis anteponit*, *semper autem commune bonum est magis amabile unicuique, quàm proprium, sicut etiam ipsi parti est magis amabile bonum totius, quàm bonum partiale sui ipsius.*

Q. 3. *Cùm sint diversi gradus consanguinitatis, quomodo in iis servandus est ordo charitatis?*

R. 1. Parentes præferendi sunt 1. filiis; quia præter communionem sanguinis, rationem habent principii, adeoque eminentioris boni. 2. uxori propter eam rationem; quamvis enim maritus & uxor sint una caro, ob vinculum conjugale; in patre tamen est eminentior bonitas, quàm in uxore, scilicet ratio principii. 2. Pater est præferendus matri, utpote qui nobiliori modo principii rationem obtineat. 3. præferenda est uxor filiis; quia est una caro cum marito, filii verò sunt partes ex patre decisæ. 4. filii sunt præferendi patribus, & hi cognatis; quia major est sanguinis conjunctio cum prioribus. Quamobrem si omnes, quos hìc recensuimus, naufragium aut simile mortis periculum patiuntur, filius præ uxore & propriis liberis, patrem eripere tenetur.

Q. 4. *Cur non æquè in gravi necessitate ac in extrema filius anteponere debeat parentes uxori, ac liberis, & excidere à proprio statu, si necesse sit, ut labentem patris statum fulciat?*

R. 1. Quia illud repugnat Scripturæ sacræ, Gen. 2. *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* 2. Cor. cap. 12. *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* 2. quia si filii exhaurirentur ad sustentandam domum paternam, magna sequeretur perturbatio in familiis, & in tota Republica; uxor divortium faceret

ret cum marito, re familiari dilapidata filii convenienter non inſtituerentur, nec decenter collocarentur; qui in Republica aliorum curam gerunt, ut Magiſtratus, Paſtores, officio ſuo, ut par eſt, defungi non poſſent, utpotè minùs liberales, & munifici, ſed contra undique corradentes, quæ ſubditorum animos à Præpoſito prorſus avertunt. Unde Trid. Patres Seſſ. 25. c. 1. de Reformatione, Beneficiarios, ac præſertim Paſtores, graviſſimis hiſce verbis compellant, *quàm maximè poteſt, eos ſancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitus deponant.*

Parochi igitur, ut præſcriptum charitatis ordinem ſervent attentiùs, ſtatumque ſuum parentum ſtatui accuratiùs anteponant, meminerint imprimis verborum Apoſtoli, *nec enim debent parentibus theſaurizare filii, ſed parentes filiis*, quæ ad litteram prolata ſunt de Eccleſiæ Miniſtris, ut legenti patebit. Et quamvis juxta corticem litteræ, quæ leguntur, Gen. 2. *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, intelligantur de conjunctione viri & fœminæ; idem tamen Apoſtolus Epheſ. 5. docet ea etiam accipienda in ſenſu ſpirituali à Spiritu Sancto intento, de ſummo Paſtore Chriſto Miniſtrorum ſuorum exemplari, qui reliquit patrem ut adhæreret Eccleſiæ, pro qua ſeipſum tradit, ut eam ſanctificaret, glorioſamque ſponſam exhiberet. Similiter ejus Miniſtri Eccleſiæ ſibi creditæ adhæreant, ſe & ſua in ejus ſanctificationem impendant, Parochianis, tanquam filiis, quos per Evangelium genuerunt in Chriſto, ſpiritualia theſaurizent, quod præ-

ſtare nequeunt, niſi pro facultate largi & effuſi fuerint erga indigentes; alliciendi enim ac devinciendi ſunt eorum animi, aperienda corda, ut verba vitæ ſuſcipiant, correptiones nonnunquam adhibendæ, quæ non proficiunt, niſi libentiùs admittantur. Quis autem Paſtor ſubditos ſic erga ſe affectos habebit? beneficiis & patentibus profuſæ ſuæ charitatis teſtificationibus, ſicut ſcriptum eſt Prov. 22. v. 9. *victoriam & honorem acquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipientium*, id eſt, accipientes ſibi devincit, ac reddit obnoxios.

Q. 5. *Quis charitatis ordo ſervari debet, ubi agitur de bonis ſpiritualibus proximi comparatis cum noſtris temporalibus?*

R. 1. In extrema neceſſitate, in qua poſitus proximus non poteſt vitam æternam conſequi ſine alterius auxilio, v. g. parvulus qui nondum initiatus, mox vitam exhalaturus eſt; tenemur pro illius ſalute vitam noſtram evidenti mortis periculo exponere, v. g. parvulum illum baptizare, etiamſi conſtet nos ob illud charitatis opus mortem à parentibus infidelibus intentatam non fore evaſuros. Ita S. Thomas q. 26. art. 5.

Probatur 1. ex Scriptura, 1. Joan. 3. *Et nos debemus pro fratribus noſtris animas ponere*, quæ Divina Lex, ſi in extrema neceſſitate non obliget, nuſquam obligabit. 2. ex S. Auguſtino Lib. de Mendacio c. 6. *temporalem vitam ſuam*, inquit, *pro æterna vita proximi non dubitavit Chriſtianus amittere.* 3. ratione; quia licèt corpus ſit pars noſtri, magis tamen ſpectari debet ut quid ad nos pertinens quàm nos ipſi; nam ex Philoſopho, quem laudat

dat S. Thomas citato artic. 5. ad primum, unumquodque videtur esse id, quod est præcipuum in ipso: atqui proximum magis diligere tenemur, quàm ea, quæ ad nos pertinent, aliàs illum non diligeremus sicut nos ipsos; ita quippe nos diligimus, ut parati simus corpus temporaliter amittere pro salute æterna animæ nostræ: Ergo ut amor proximi sit ad similitudinem amoris, quo nos ipsos prosequimur, necesse est, ut quemadmodum in extrema ejus necessitate bona nostra, quæ dicuntur fortunæ, largimur pro corporali ejus salute; ita sanguinem nostrum effundamus pro æterna illius animæ beatitudine.

Dices: ex concessis magis diligere debemus amore effectivo, quæ sunt nobis conjunctiora: atqui proprium corpus nobis est conjunctius anima proximi: ergo illud magis diligere debemus saltem amore effectivo.

Distinguo maj. Debemus magis diligere quæ nobis sunt conjunctiora in eodem genere bonorum, v. g. corpus proprium tenemur magis diligere, quàm corpus proximi, Concedo: in diverso genere bonorum, Nego major. Nam capilli, vel quælibet minima pars corporis est nobis magis conjuncta, quàm proximus: quis autem dixerit illam anteponendam saluti æternæ proximi?

Instabis: naturale est corpus suum diligere, *nemo unquam carnem suam odio habuit*, inquit Apostolus Ephes. c. 5. *sed nutrit & fovet eam:* atqui charitas non destruit naturam, sed eam perficit: Ergo.

Distinguo maj. Naturale est corpus suum diligere secundùm rectam rationem, Concedo:

homo quippe rationabili modo ſemper agere debet: naturale eſt corpus ſuum diligere contra rationem, Nego maj. Atqui recta ratio admodum probat quòd data occaſione, pro fide & charitate vitam profundamus, quòd deſideria carnis refrænemus, & reluctantem caſtigemus vexemuſque pœnitentiæ exercitationibus, & ad id charitas mentem roborat & accendit, ac proinde naturam nedum deſtruit, quin illam perficit.

R. 2. In gravi neceſſitate, in qua proximus abſolutè, ſed non ſine magna difficultate ſibi providere poteſt neceſſaria ad ſalutem, qui tenentur ex juſtitia, ut Paſtores ſalutis aliorum curam gerere, cum diſcrimine propriæ vitæ, proximo ſic indigenti ſubvenire debent. Exemplum eſto Parochiani, qui tempore peſtis Sacramento Pœnitentiæ indiget, ille quidem ſaluti ſuæ abſolutè providere poteſt per actum perfectæ contritionis; ſed quia difficilis eſt ejuſmodi actus, neceſſitas Parochiani cenſetur gravis, quamvis non ſit extrema, ut in parvulo nondum baptizato; & ideo Parochus, ſi non adſit alius Sacerdos qui ſuppleat, tenetur vitam ſuam exponere pro ſalute Parochiani, juxta illud Joan. 10. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Quin alibi probamus ipſum etiam aliquando cum vitæ periculo teneri miniſtrare Sacramenta Euchariſtiæ & Extremæ Unctionis; quia ejuſmodi Sacramenta, licèt neceſſitate medii abſolutè neceſſaria non ſint, homini tamen in extremis poſito, in quo ſolet impeti gravibus tentationibus, quodammodo neceſſaria ſunt tanquam arma ſpiritualia, quæ Paſtor pro officio ſuppeditare tenetur.

Dixi, qui ex justitia seu ex officio tenentur: nam cæteris laudabile quidem est, si in gravi necessitate proximi propriam vitam periculo exponant; sed præcepti obligatio non incumbit; aliàs discrimen non esset Pastorem inter & alios: quod repugnat communi hominum sensui.

R. 3. In necessitate communi, in qua quis propriæ saluti facilè consulere potest, nedum propriam vitam, quin nec bona temporalia pro bono spirituali proximi perdere tenemur; quia necessitas illa planè voluntaria est in proximo, cùm ex ea facilè se expedire possit, ut supponitur. Hinc viator non tenetur se tradere potestati prædonis, cùm possit se defendere servato moderamine inculpatæ tutelæ, ne fortè in periculoso conflictu ille cadat, & moriatur in peccato mortali; quia sola malitia prædonem constituit in ejusmodi necessitate. Idem dicendum de debitoribus, qui si urgeantur ad solvenda debita, efferri soleat iracundia & odio: & de Usurariis, qui sine usura mutuo dare nolunt graviter indigentibus.

CAPUT V.

De Effectibus Charitatis.

Effectus charitatis alii sunt interni, alii externi.

Interni sunt amor, gaudium, pax, tristitia: propter Dei offensam.

Externi sunt beneficentia, qua alteri ex affectu charitatis confertur beneficium: eleemosyna, & correctio fraterna: illa temporalem pro-

ximi miſeriam ex commiſeratione expellere nititur; iſta ſpiritualem. De internis ſtrictim dicemus; de externis verò paulò accuratiùs.

§. I.

De internis Effectibus Charitatis.

Q. 1. *Amor eſtne quid idem ac benevolentia?*

R. Negat S. Thomas q. 27. art. 2. quia *amor importat quandam unionem ſecundùm affectum amantis ad amatum, in quantùm ſcilicet amans æſtimat amatum quodammodo ut unum ſibi, vel ad ſe pertinens, & ſic movetur ad ipſum. Sed benevolentia eſt ſimplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non præſuppoſita prædicta unione affectus ad ipſum . . . ſic ergo in dilectione ſecundùm quod eſt actus charitatis includitur quædam benevolentia; ſed dilectio ſive amor addit unionem affectus. Et propter hoc Philoſophus dicit* (Lib. 9. Eth. cap. 5.) *quòd benevolentia eſt principium amicitiæ.* Itaque amor charitatis, cùm eſſentialiter ſit amicitiæ, tendit ad unionem cum dilecto; ac proinde qui in ſublimitate conſtituti ita infimis bene volunt, ut indignum ſe putent eis affectu conjungi, non amant amore charitatis, ſed ſimplici benevolentia, *ſicut accidit in nobis de pugilibus*, inquit ſanctus Doctor, *quorum alterum vellemus vincere.*

Q. 2. *Deus poteſtne totaliter diligi?*

Reſpondet S. Thomas q. 27. art. 5. Deum non poſſe totaliter diligi ex parte modi diligendi, ita ut modus diligendi adæquet modum rei dilectæ; quia quàm bonum eſt objectum, tam eſt diligibile: atqui Deus eſt infinitè bonus: ergo & infini-

tè

tè diligibilis: Nulla autem creatura poteſt Deum infinitè diligere, cùm omnis virtus creata ſive naturalis, ſive infuſa, ſit finita: Ergo. Ex parte verò objecti, & ex parte diligentis Deus eſt totaliter diligendus: ex parte quidem objecti; quia quidquid eſt in Deo, ſive miſericordia, ſive juſtitia, ſive omnipotentia, &c. diligi debet. Ex parte etiam diligentis; *quia ex toto poſſe ſuo homo debet diligere Deum; & quidquid habet, ad Dei amorem ordinare, ſecundùm illud Deut.* 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

Q. 3. *Eſtne modus habendus in Dei amore?*

R. Negat S. Thomas cit. qu. 27. art. 6. probatque 1. auctoritate S. Bernardi Lib. de diligendo Deo c. 1. in quo ſic habet: *Cauſa diligendi Deum, Deus eſt: modus, ſine modo.* 2. *ratione, quia finis in omnibus eſt abſque fine & termino; eorum autem quæ ſunt ad finem, eſt aliquis terminus. Non enim Medicus imponit aliquem terminum ſanitati, ſed facit eam perfectam quantumcunque poteſt; ſed medicinæ imponit terminum. Non enim dat tantum de medicina quantum poteſt; ſed ſecundùm proportionem ad ſanitatem ... finis autem omnium actionum humanarum & affectionum eſt dilectio Dei, per quam maximè attingimus ultimum finem ... Et ideo quantò Deus plus diligitur, tantò eſt dilectio major.* Et in reſponſione ad tertium diſtinguit inter exteriores actus charitatis, & interiorem dilectionem, docetque exterioribus competere modum, juxta illud Apoſtoli Rom. 12. *rationabile obſequium veſtrum;* quia ſe habent ut medium ad finem: interiorem verò dilectionem eſſe ſine modo; quia habet rationem finis; quatenus nos conjungit Deo, qui eſt noſtrum ſummum bonum.

Q. 4. *Estne quid perfectius & magis meritorium diligere inimicum, quàm amicum?*

R. Distinguit S. Thomas art. 7. ejusdem qu. nempe si spectetur dilectio amici per se & secundùm bonitatem, quam desumit ex parte objecti, est perfectior, & magis meritoria: tum quia objectum illius est melius; amicus enim hominis justi est bonus, inimicus verò malus: tum quia amicus est diligenti magis conjunctus, agens autem intensiùs agit in subjecta priora, quàm in remotiora: tum quia pejus est odisse amicum quàm inimicum: ergo è contrario melius est illum diligere. Sed per accidens dilectio inimici est perfectior & magis meritoria. 1. quia est difficilior. 2. quia bonitas divina est sola ratio illum diligendi, utpote qui malus sit. At aliæ sunt rationes diligendi amicum, quæ nisi caveamus, solæ movent ad illum diligendum, & ejusmodi dilectio mercedem non habet apud Deum, ut dicitur Matth. 5. v. 46.

Q. 5. *Estne magis meritorium diligere Deum, quàm proximum?*

Respondet S. Thomas art. 8. si seorsim spectentur ambæ illæ dilectiones, non est dubium quin dilectio Dei sit magis meritoria; quia propter quod unumquodque, illud magis: atqui dilectio proximi non est meritoria, nisi quia diligitur propter Deum, qui est fons bonitatis, quæ derivatur ad proximum, & propter quam ipse diligitur. Sed si includatur amor Dei in amore proximi, ita ut tota ratio diligendi proximum sit Dei dilectio, sub illo respectu magis meritorium est diligere proximum, quàm Deum sine proximo; quia per ejusmodi dilectionem complexam

adæquatè

adæquatè impletur mandatum, quod habemus à Deo, *ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* 1. Joan. 4. v. 21.

Q. 6. *Cur gaudium tribuitur charitati tanquam proprius ejus effectus?*

R. 2. Quia delectatio ex dictis pagina 74. est fructus operationis perfectæ: atqui charitatis amor est actus omnium perfectissimus: ergo fructus ejus est gaudium & delectatio, *fructus autem spiritus*, inquit Apostolus Gal. 5. v. 20. *est charitas, gaudium.* 2. quia omnis motus tendit ad quietem; corpora graviora v. g. moventur donec attigerint centrum veluti ultimum finem, in quo quiescant: atqui ex omnibus motibus animi solus charitatis amor attingit ultimum finem, solus animam Deo summo bono & omnium desideriorum fini conjungit, *qui non diligit, manet in morte*, 1. Joan. 3. contra verò, *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. Jo. c. 4. Charitas enim essentialiter est unio animæ cum Deo, & Dei cum anima: Ergo fruitio, gaudium, quies animi est proprius effectus charitatis. Vide plura in hanc rem Tract. de Actibus humanis pag. 80. & 197. & seq.

Dices, una & eadem virtus non potest esse principium gaudii & tristitiæ: atqui charitas est principium tristitiæ; ait enim Apostolus Rom. 8. v. 23. *Nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.* Et v. 26. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus:* Ergo gaudium non potest esse effectus charitatis.

Distinguo maj. Eadem virtus non potest esse principium gaudii & tristitiæ sub eodem respe-

ctu, Concedo: sub diverso respectu, Nego maj. Nonne amor matrem perfundit gaudio & simul elicit ejus lacrymas, indubitata tristitiæ signa; dum recipit filium, qui diu fuerat absens?

Q. 7. *Sub quo respectu Charitas est causa tristitiæ?*

R. Respectu eorum, quæ impediunt ejus motum, & perfectam unionem cum Deo summè dilecto; qui enim amicum impensè diligit, doleat necesse est, si quid amicitiam interturbet, vel amico adversetur. Quamdiu autem mortalem hanc vitam vivimus, duo impediunt charitatis motum,

Primum est absentia dilecti; *quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* 2. Cor. 5. Tantò autem quis molestiùs fert absentiam amici, quantò ardentiùs illum diligit, nec ullus credet sponsam diligere, quæ non tangitur, sive præsens, sive absens sit sponsus. Per charitatem quidem hìc manemus in Deo, gustamusque quàm suavis sit Dominus, & sub eo respectu charitas non potest esse sine eo gaudio, quod avellit à terrenis cupiditatibus, inchoatque beatitudinem, quam expectamus; ut fusè demonstravimus Tract. de Actibus humanis pag. 114. & sequentibus. Attamen gaudium illud, quantum quantum sit, plenum hìc esse nequit, quia nec Deus plenè possideri potest, sed est duntaxat prælibatio quædam & irritamentum, quo accendimur ad quærendam faciem Domini semper; sicque charitas non est sine tristitia & gemitu, donec ruamus in amplexus sponsi super omnia dilecti; *fuerunt mihi*, ait Psaltes Regius Psalm. 45. *lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?*

Alte-

Alterum charitatis impedimentum, ex quo diligentibus Deum naſcitur triſtitia & continuus dolor, ſunt noſtra & proximi peccata, utpotè Dei offenſæ. Primum quippe amici officium eſt à dilecto malum avertere, priùs v. g. febrem ab illo expellere ſatagit, quàm de opibus vel honoribus ei acquirendis cogitet. Quodſi morbus ſit inſanabilis, doleat neceſſe eſt, & eò ampliùs, quò impenſiùs diligit. Atqui peccata ſunt malum Dei, polluunt nomen ejus, ut dicitur Levit. 18. & 19. lædunt honorem & gloriam, propter quam omnia operatus eſt, ideoque ſummè ipſi diſplicent, ſi gravia, ipſum inter & animam dividunt: ſi levia, removent à familiariſſimis ejus amplexibus. Hinc charitatis pugna adverſùs peccatum uti malum Dei ſuper omnia dilecti: hinc continua Juſti pœnitentia & animi dejectio pro quotidianis peccatis, quæ etſi minuere conetur, omnia tamen cavere non prævalet: hinc denique pia commiſeratio erga proximum delinquentem, fervens ſtudium illius emendationis, & ubi videt creſcere ſcandala ex intimo cordis dolore dicit cum Propheta Pſal. 118. *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam*; & Pſalm. 138. *Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* S. quoque Aug. Præfat. in Pſal. 69. de ejuſmodi ſcandalis, ait: *Inter hæc gemimus, & hæc perſecutio noſtra eſt, ſi eſt in nobis charitas*, quin addit fortaſſe ſæviorem ea, quam paſſi ſunt Martyres. Ne ergo ſibi blandiantur, quaſi Deum diligant, qui ad animi oblectationem familiariter convivunt cum voluptuoſis & rerum fluxarum cupidis; quæ enim ſocietas luci ad tenebras, charitati ad cupiditatem? An ignorant ſcriptum Jac. 4. *Quia amicitia hujus mundi inimica eſt Deo? qui-*

cunque

cunque ergo voluerit amicus esse bujus sæculi, inimicus Dei constituitur.

Q. 8. *Pax estne proprius effectus charitatis?*

R. Ita est proprius ut sine ea haberi non possit; quia pax ex ordine efflorescit, definiturque à S. August. Lib. 19. de Civit. Dei c. 13. *tranquillitas ordinis*, pax corporis, ut ibidem advertit S. Doctor, est ordinata temperatura partium: pax domus aut civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Subvertatur autem ordo, mox sequitur discordia & tumultuatio in familia & in civitate: vel os unum moveatur è sede sua, nulla corporis requies; atqui ex omnibus virtutibus sola charitas ubique ponit ordinem; namque 1. hominem Deo subjicit, singulos ejus affectus in illum colligit & refert, ut homo sit unius cum Deo voluntatis, & ita pacem ad Deum habeat, ut dicitur Rom. 5. vers. 1. 2. homo per charitatem jam subditus Deo secundùm mentem, per eandem virtutem habet, ut moderetur animo suo, cohibeatque reluctantes cupiditates suas; quia sicut justitiæ fuit, ut qui peccando obtemperare noluit Superiori, Deo scilicet, inferiorem suum, nempe carnem, inobedientem pateretur; *neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se subjiciat*, inquit S. August. Lib. 1. de Serm. Domini in Monte cap. 2. ita consequens videbatur, ut pacifici cum Deo, in nobis ipsis pacem haberemus; *nam si te regit superior, non te cruciat & affligit inferior: & si Deo conjunctus ieris, diabolum non timebis; quia sub tali Rege militas, ut de victoria dubitare non possis.* 3. Nihil desiderari potest ordini, quem charitas servat erga proximum, quam ea benevolentia, qua nos ipsos diligimus, parati

parati & quæ noſtra ſunt amittere, ubi neceſſum fuerit, pro corporis ejus ſalute, & noſtrum etiam ſanguinem fundere pro æterna illius beatitudine, ut latiùs expoſuimus capite præcedenti. Quid autem ulteriùs expeti poteſt, quam ut homo charitate inſtructus cum proximo tranquillam vitam agat, & cum omnibus (quantùm in ipſo eſt) pacem habeat? Ex quibus S. Thomas q. 29. art. 4. in hæc verba concludit, *non eſt alia virtus, cujus pax ſit actus proprius, niſi charitas.*

Dixi, *quantùm in ipſo eſt;* quia pax non eſt impiis, neque ab impiis, qui, ut omnem pervertunt ordinem, nec quieſcere poſſunt, nec alios laceſſere deſinunt; ſed dum foris juſtos exagitant, hi pacem intus ſervant, & ſibi adverſantes quovis modo conciliare ſatagunt, juxta illud Pſal. 119. *cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus;* charitas quippe *patiens eſt, benigna eſt, non irritatur, omnia ſuffert, omnia ſperat,* ſcilicet meliora etiam de nequiſſimis.

Dices: Chriſtus, qui vult ignem charitatis vehementer ardere, Luc. 12. nihilominus ait Matth. 10. *non veni pacem mittere, ſed gladium:* Ergo pax non eſt effectus charitatis.

Diſtinguo antec. Chriſtus venit mittere gladium in vitia, Medicorum more, qui morbo non parcunt, ut corpus doloribus vexatum, priſtinæ ſanitati, & tranquillitati reſtituant, Concedo: in ipſas peccantium perſonas, Nego ant. *Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat.* Luc. 19. v. 10. Itaque plurimùm intereſt inter cupiditatem & charitatem. Illa non diſtinguit inter amicum & ejus vitia; nec inter inimicum & ejus virtutes. Amici hujus ſæculi vulgò excuſant,

excusant, amant, laudant amicorum vitia; contra verò sugillant inimicorum virtutes, ut dum peccator laudatur in desideriis animæ suæ, quietam vitam agat, eò sanè miserior, quò non dolet amissam justitiam; namque ex S. August. Lib. 9. de Civit. Dei c. 13. *Qui peccat, pejor est, si lætatur in damno æquitatis*. Quamobrem charitas, cujus ignem vult Christus vehementer accendi, perniciosam illam pacem veluti lethiferum letargici somnum amovere nititur, ut ipsum hominem salvet. Cogita quid agat filiorum pietas erga charissimum patrem letargico somno oppressum, quomodo illum vexent, pungant, vellicent; irascitur ille, inhumanos & crudeles inclamat, quos valetudine confirmata, pios ac beneficos laudabit. Ita se habet charitas Pastoris, qui vocatur ad regendam plebem, apud quam contractus usurarii, injusti, & alia hujusmodi illicita obtinuerunt, tanquam licita, ex diuturno & communi omnium usu exitialem plebis pacem perturbat, gladium Spiritus (quod est verbum Dei, Eph. 6.) assumit adversùs depravatos illos mores. Conqueruntur incolæ, Pastorem infamant tanquam publicæ pacis perturbatorem: & ita oportet fieri (modò prudenter) donec rebus in debitum ordinem adductis, pax vera, quæ est genuinus justitiæ fructus, stabiliatur.

§. II.

De Eleemosyna.

Q. 1. *Extatne præceptum Eleemosynæ faciendæ?*

R. Extat tum naturale, tum divinum positivum.

Prima pars, quæ est de præcepto naturali, sequitur ex dictis c. 3. de necessitate charitatis; ex iis

iis enim conſtat nos teneri lege naturali amare amore benevolentiæ & amicitiæ omnes homines, etiam inimicos: atqui amare amore amicitiæ eſt bene velle, & facere, quantum in nobis eſt: Ergo lege naturali tenemur non ſolùm optare, ut proximus non indigeat, ſed etiam ipſi indigenti opem ferre, ſi facultas adſit.

Secunda pars probatur 1. ex Scriptura, Jo. 3. v. 18. *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. In hoc cognoſcimus, quoniam ex veritate ſumus.* Jac. 2. v. 13. *Judicium . . . ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.* Quæ ſanè verba non conſilium, ſed præceptum indicant, Luc. 6. v. 37. & 38. *Dimittite, & dimittemini, date & dabitur vobis . . . . eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.* In quem locum S. Aug. Serm. 42. & aliàs Hom. 29. ſic loquitur: *Sacrificium Chriſtiani eſt eleemoſyna in pauperem, hinc enim fit Deus peccatis propitius: niſi autem peccatis propitius fiat Deus, quis remanet niſi reus? Ab eis peccatis & delictis, ſine quibus vita illa non ducitur, mundantur homines per eleemoſynas, quæ ſunt duorum generum, erogando & remittendo; erogando quod habes bonum, & remittendo quod pateris malum . . . remittite, & remittetur vobis, pertinet ad ignoſcendum: date, & dabitur vobis, pertinet ad erogandum.* Denique ſupremus ipſe Judex nos præmonuit Matth. 25. quam judicii formam inſtituturus ſit, cùm venerit judicare vivos & mortuos, nempe ſeparabit electos à reprobis, tanquam oves ab hœdis: illos conſtituet à dextris, iſtos à ſiniſtris; dicetque iis, qui à ſiniſtris erunt: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, moxque cauſam ſubjungit, *eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare.* Non exprobrat furta, rapinas, adulteria, homicidia, quia etſi ab iis ſe conti-

continuerint, ſatis eſt ad æternum ſupplicium quòd miſericordiam pauperibus non exhibuerint; quemadmodum nec eorum, qui à dextris erunt, laudabit fidem, æquitatem, Religionem, caſtitatem, & alia ejuſmodi præmio digna: ſed charitatem in pauperes, ut intelligamus ſine oleo miſericordiæ nemini, etiam aliis virtutibus prædito, patere januam regni cœleſtis. Ex quibus perſpicuum eſt illud præceptum obligare ſub mortali; nullus enim excludetur à regno cœlorum ob peccata venialia.

Probatur 2. ex ſanctis Patribus. S. Baſilius Ser. ad divites avaros: *eſt panis famelici*, inquit, *quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclavi conſervas, diſcalceati calceus, qui penes te marceſcit, indigentis argentum, quod poſſides inhumatum. Quocirca tot pauperibus injuriam facis, quot dare valens es.* S. Hieronymus Epiſt. ad Hebidiam, *ſi plus habes quàm ad victum veſtitumque neceſſe eſt, illud eroga, & in illo debitorem eſſe te noveris.*

Q. 2. *Quando & quanta præcepto eroganda eſt eleemoſyna?*

R. Quando & quantùm proximus indiget, noſque poſſumus ei ſuppetias ferre juxta ordinem charitatis à nobis deſcriptum capite præcedenti, nimirum in extrema ejus neceſſitate ei ſuccurrendum ex bonis noſtris propriæ vitæ ſuperfluis: in gravi neceſſitate ex bonis ſtatui noſtro abſolutè non neceſſariis, quamvis commodis, v. g. detrahendo aliquid de ſuppellectili, de ornatu veſtium, de lautioribus cibis, &c. In communi denique neceſſitate ex bonis ſtatui noſtro ſuperfluis, quæ alioquin vel fruſtra coacervaremus, vel in expenſas inutiles conſumeremus.

Probata eſt reſponſio capite præcedenti.

Confir-

Confirmatur 1. ex cenſura primùm lata ab Academia Lovanienſi anno 1657. deinde ab Innocentio XI. anno 1657. ac demum à Clero Gallicano anno 1700. in hancce quorundam Modernorum propoſitionem in Eccleſia hactenus inauditam, *vix in ſæcularibus invenias, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.* Hæc propoſitio unum ſupponit tanquam veriſſimum, & ab omnibus receptum, ſcilicet proximo, in gravi neceſſitate conſtituto opitulandum, etiam ex iis, quæ ſtatui noſtro ſunt commoda, & aliquatenus neceſſaria, ac proinde reos eſſe gravioris peccati qui tempore publicæ famis nihil de ſuo ſtatu minuunt ad alendos pauperes.

Duo autem negat; primum, vix in ſæcularibus etiam in primariis inveniri ſuperflui, adeo ut quilibet ſumptus ad luxum & delicias ſint illis concedendi: alterum ejuſmodi homines ordinariè non teneri ad eleemoſynam, quando neceſſitas proximi eſt duntaxat communis. Utrumque autem laudata cenſura præſtringitur. *Hæc propoſitio*, inquiunt Antiſtites Gallicani, *eſt temeraria, ſcandaloſa, pernicioſa, erronea, Evangelicum de eleemoſyna præceptum peſſundat.*

Confirmatur 2. neceſſitas ea dicitur communis, in qua proximus tenuiter vivit, non quidem ex propriis facultatibus, ut qui nullas habeat, neque ex labore, cùm fractus ſit viribus; ſed aliorum ope & ſubſidio. Et hæc eſt ſors mendicorum, & aliorum benemultorum, qui mendicare erubeſcunt. Atqui niſi ſuccurratur ſaltem ex bonis ſtatui ſuperfluis ejuſmodi egenis, qui in Republica ſunt in magno numero, eorum neceſſitas,

divitum ope duntaxat communis, manifestè evadet extrema, & omnes fame & miseria peribunt. Ergo omnes & singuli sub gravi peccato tenentur ex bonis superfluis antevertere extremam egenorum necessitatem, alioquin ineluctabilem; ac proinde graviter peccant, qui obtentu honesti & elegantis status, vel fallaci futuræ necessitatis umbra, superflua sua vanitati ac luxuriæ impendunt, aut avaritiæ accumulant.

Eadem ratio urgetur amplius, vel enim nullus, vel omnes & singuli ex superfluo tenentur juvare proximum in communi necessitate constitutum; primum nemo concesserit; quia egeni, qui non vivunt nisi aliorum ope, certò certiùs interirent, si nullus eis opem ferret. Secundum autem admittatur necesse est; cur enim unus præ alio superflua erogare teneretur? Si Respublica collectivè sumpta tenetur suppeditare victum & vestitum iis qui sibi comparare nequeunt, annon singuli tanquam ejusdem corporis membra ad necessarium illud misericordiæ opus, saltem ex superfluo conferre debent? Enimverò Magistratus ubi cives minùs liberaliter egenis subministrant, tanquam ministri Dei, cui derelictus est pauper, summam pecuniæ in subsidium pauperum singulis imponunt, exiguntque veluti rem pauperibus debitam. Porrò ejusmodi civilis disciplina supponit debitum in unoquoque cive; alioquin esset injusta; nec enim licet transferre unius bona in alterum, cui ille nihil debet. Hinc S. August. vel quivis auctor Hom. 47. nunc Serm. 310. in Appendice, Deum habenti superflua sic inducit loquentem: *Plus tibi dedi, ut haberes unde pauperi dares; pauperi non dedi ob hoc, ut te probarem; non quia*

ambobus

ambobus non habui unde darem, sed per pauperem volui te probare. Ego sum qui divitem & pauperem feci, prærogatorem te constitui in bonis meis . . . Quid tibi soli vindicas, quod ambobus dedi? Quare tu solus comedis, quod ambobus creavi? Quasi tuo labori hoc assignas, & tuum esse putas? Aufero auxilium meum, habe laborem tuum: aufero misericordiam meam, & tunc apparebit miseria tua. Et S. Basilius cit. Serm. ad divites: *Si fateris ea tibi divinitus provenisse* (bona temporalia) *an injustus est Deus inæqualiter res nobis distribuens? Cur tu abundas, ille verò mendicat, nisi, ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille verò patientiæ braviis decoretur?* Aliàs injusta foret rerum divisio, ut docet S. Thomas 2. 2. qu. 66. art. 7.

Dices 1. ex S. Thoma, eleemosyna est consilii duntaxat extra casum extremæ necessitatis; sic enim scribit qu. 32. art. 5. *dare eleemosynam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate. Alias autem eleemosynas dare est in consilio:* Ergo.

Nego antec. Sanctus enim Doctor non vult necesse esse ad inducendam obligationem erogandæ eleemosynæ, ut duo illa simul concurrant, scilicet superfluum ex parte dantis, & extrema necessitas ex parte accipientis; sed statuit obligationem illam repetendam ex alterutro capite, ut patet ex ejus responsione ad secundum, ubi sic habet: *Bona temporalia, quæ homini divinitùs dantur, ejus quidem sunt quantùm ad proprietatem, sed quantùm ad usum non solùm debent esse ejus, sed etiam aliorum, qui ex iis sustentari possunt ex eo quod ei superfluit.*

Dices 2. Rigidior est ejusmodi sententia, utpote quæ damnet plerosque divites, & eorum Confessarios: Ergo.

Nego anteced. Quid enim rigidius habet nostra ſententia, quàm illud præceptum, *diliges proximum tuum ſicut teipſum*, quod non impletur, ut patet ex dictis, niſi proximo bene velimus & faciamus, quantùm in nobis eſt, quando ille nostra ope indiget; *Ad dilectionem proximi pertinet*, inquit S. Thomas cit. art. 5. *ut proximo non ſolùm velimus bonum, ſed etiam operemur ſecundùm illud*, 1. Joan. 3. Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. Illud ipſum ratio naturalis docuit Philoſophos Ethnicos, ex quorum ſchola hancce definitionem cap. 10. protulimus, *amare eſt bene velle & facere alteri, quantùm in nobis eſt, ipſius gratia.*

Quod opponitur ex moribus & agendi ratione quamplurimorum divitum, nullius eſt momenti; eoſdem enim ipſos non magis in gravi & extrema neceſſitate pauperibus opitulari experti ſumus paucis abhinc annis, cùm pauperes ubique fame interirent; namque divites illi nihil quidquam de ſtatus ſui ornatu & elegantia detraxerunt, quamvis ex conſtanti omnium ſententia ad id ſub mortali tenerentur. Meminerint autem Confeſſarii, qui iſta non vident, aut videre ſe diſſimulant, ſcriptum eſſe Matth. 15. verſ. 14. *Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*, ſcilicet, & qui ducit, & qui ducitur.

Cæterùm difficilius eſt figere quantum quiſque, præſertim ſi ſit paterfamilias, erogare debeat in communi neceſſitate, quàm in gravi aut extrema; in communi quippe neceſſitate divites, ut diximus, ex præcepto tenentur erogare duntaxat ſuperflua ſuo ſtatui; atqui ex S. Thoma qu. 32. art. 6. neceſſarium ſtatus non conſiſtit in indiviſibili,

ſibili, plura enim requiruntur ad ſuſtinenda onera familiæ, dotandas filias, honeſtè collocandos liberos, proſpicienda ſunt, quæ frequentiùs acci-dunt incommoda, ut morbi, bella, agrorum ſterilitas. Dico, *frequentiùs;* nam ex S. Thoma quæſt. 33. art. 5 ad 3. *Nec oportet quod conſideret ad omnes caſus, qui poſſunt contingere in futurum, hoc enim eſſet de craſtino cogitare, quod Dominus prohibet* Matth. 6. *Sed debent dijudicari ſuperfluum & neceſſarium ſecundùm ea quæ probabiliter, & ut in pluribus occurrunt.* Inter neceſſaria ſtatui computantur etiam ea, ſine quibus non ſervaretur decorum, quod ſtatus poſtulat, non quidem mundanorum judicio, ſed ſapientium; *Nullus quidem inconvenienter vivere debet,* inquit idem S. Doctor, art. 5. ejuſdem qu. 32. ſed inanis gloriæ & rerum fluxarum cupidis nihil videtur ſuperfluum, imò nunquam ſatis, privatus v. gr. qui hactenus vixit decenter, auctus ampla hæreditate, pingui beneficio, largior non eſt in pauperes, ſed profuſior in ſua commoda. Similiter paterfamilias orbatus filio, quem cum aliis ſuſtentabat prout ſtatum ejus decebat, partem defuncti ſuperfluam & pauperibus dividendam non reputat, ſed tanquam ſuperſtitibus neceſſariam ſervat. His & ſimilibus argumentis ſanctus Auguſtinus & alii Patres revincunt divites, qui cupiditatem & cordis duritiam velamine pietatis obtegere ſolent.

Q. 3. *Quinam ſunt eleemoſynæ fructus?*

R. Eleemoſyna, quæ ex vera Charitate in Deum & proximum procedit, 1. Liberat à peccatis etiam gravioribus, Tob. 4. *Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras,* Eccli. 3. verſ. 33. *Ignem ardentem extin-*

extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. 2. Purgat à quotidianis delictis, Luc. 11. vers. 41. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Unde sanctus Cyprianus Serm. de eleemos. *Sicut lavacro aquæ salutaris*, inquit, *gehennæ ignis extinguitur; ita eleemosynis atque operibus justis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in Baptismo remissio peccatorum datur, assidua & jugis operatio, Baptismi instar, Dei rursus indulgentiam largitur.* 3. Debita ex peccatis contracta, seu reatum pœnæ, dissolvit & expungit, Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Ecclesia hactenus eleemosynam inter opera satisfactoria numeravit, eamque orationi & jejunio semper adjunxit, juxta illud Tobiæ 12. *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna*, quo ostenditur *deprecationes solas parùm ad impetrandum valere*, inquit S. Cyprianus citat. Serm. de eleem. *Nisi factorum & operum accessione satientur; neque enim promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit, aut impetrabit de divina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus.* 4. Eleemosyna non solùm liberat à malis sed insuper omni bonorum genere abundare facit, Luc. 6. *date, & dabitur vobis.* Proverb. 19. *fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* In quem locum S. Ambrosius sic scribit Lib. de Tobia cap. 16. *Fœnerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis. Ille astringitur & tenetur: ille scribit quidquid egenus acceperit: Evangelium ejus cautio est . . . . ille dicit fidem, quid dubitatis dare? si quis vobis dives hujus sæculi offeratur, qui fide promittat sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam*, &c. Quid autem pro eleemosyna Deus se repensurum promittat, lege ejus chirographum, sacram scilicet Scripturam: 1. Pro mercede

cede invenis regnum cœlorum, Matth. 25. *Possidete paratum vobis regnum . . . esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Quod expendens S. Augustinus enarr. in Psal. 102. *Vide*, inquit, *quid emas, quando emis, quanti emas; emis enim regnum cœlorum; & non est emendi tempus, nisi in hac vita. Et quàm vili emas, attende. Tanti tibi valet, quantum habere potueris.* Et sanctus Leo Serm. 8. de Collectis, *cibus egeni regni cœlestis est pretium. Et largitor temporalium hæres efficitur æternorum. Unde autem exigua ista impendia tanta æstimari taxatione potuerunt? nisi quia pondera operum Charitatis lance pensantur, cùm amatur ab homine quod Deus diligit, meritò in ejus ascenditur regnum, in cujus transitur affectum.* 2. Scriptura cautio est pro temporalibus etiam bonis in hac vita multiplicandis, 2. Cor. 9. vers. 10. *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* Sensus est: qui eleemosynam tribuit, more seminantis spargit opes suas in manibus pauperum, tanquam in agro fertili: videntur incredulis & insipientibus perire, sed permanent & fructificant, quemadmodum semina in terram jacta uberiore fructu succrescunt. Si verbo Dei scripto non credis, *quid facit in domo fides perfidum pectus?* Verba sunt sancti Cypriani cit: Serm. de Eleemosyna. *Quid, qui Christo omnino non credit, appellatur & dicitur Christianus?* Et infra: *retardat te numerositas filiorum . . . atqui hoc ipso operari ampliùs debes quò multorum pignorum pater es, plures sunt pro quibus Deum depreceris . . . Si ergo verè filios tuos diligis, si eis exhibes plenam & paternam dulcedinem Charitatis, operari magis debes, ut Filios tuos Deo justa operatione commendes . . . Illi assi-*

gna facultates tuas, quas hæredibus servas: ille sit liberis tuis tutor, ille contra omnes injurias sæculares divina majestate protector. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur. Hoc est charis pignoribus in posterum providere. Scriptum quippe est Psal. 36. de Patre misericorde, *tota die miseretur & commodat, & semen ejus in benedictione erit* Unde concludit idem sanctus Martyr: *prævaricator itaque & proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conservandis eis Religiosa & vera pietate prospicias.* Confirmant suam sententiam exemplo viduæ, quæ 3. Reg. cap. 17. Filiis suis abundè prospexit, ex iis quæ Eliæ misericorditer subministravit, *nec filiis*, inquit, *abstulit mater, quod Eliæ dedit: sed magis filiis contulit, quod benignè & piè fecit.*

Dixi in responsione, *quæ ex vera Charitate in Deum & proximum procedit*, contra absurdum eorum errorem, qui, ut refert S. August. ex Scripturis malè intellectis colligebant, divites eleemosynis salvatum iri absque mandatorum observatione, & pecunia sua quasi emere licentiam peccandi: *Non se fallant*, inquit S. Doctor Enchir. cap. 77. *qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructuum suorum, vel cujuscunque pecuniæ impunitatem se emere existimant in facinorum suorum immanitate ac flagitiorum nequitia permanendo . . . , qui diligit iniquitatem, odit animam suam, & qui odit animam suam, non est misericors, sed crudelis . . . . Si ergo vellet ei dare eleemosynam, per quam munda illi essent omnia, odisset eam secundùm sæculum, & diligeret eam secundùm Deum.* Anima autem sic rectè diligens, hoc est propter Deum, rectè quoque diligit proximum sicut seipsum, id est propter Deum; & eleemosyna ex illo affectu data, liberat à morte, & jus tribuit ad regnum cœlorum.

Eleemo-

Eleemosynæ ergo, pergit idem sanctus Doctor Hom. 19. nunc Serm. 388. *possunt tibi prodesse ad delenda peccata præterita, si mores mutaveris. Si autem in eisdem malis perseveraveris, eleemosynis tuis non corrumpes judicium Dei.* Et Hom. 2. nunc in appendice Serm. 53. *Noli tibi pingere talem Deum; noli collocare in templo cordis tui tale idolum. Non est talis Deus tuus, qualis non debes esse nec tu.*

Eleemosyna tamen peccatoris pœnitentis ad obtinendam morum emendationem, & justificationis gratiam, quamvis non sit meritoria vitæ æternæ, plurimùm tamen valet ad flectendam Dei misericordiam, ut constat ex dictis ubi de merito.

Q. 4. *Ex quibus bonis danda est eleemosyna?*

R. Ex bonis propriis, & aliàs non debitis, de quibus liceat nobis disponere; scriptum quippe est Tob. 4. *Ex substantia tua fac eleemosynam.* Et Eccli. 34. *Dona inimicorum non probat Altissimus . . . Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium suum in conspectu patris sui.* Et S. Augustinus Serm. 113. aliàs 35. de Verbis Domini; *De justis*, inquit, *laboribus facit eleemosynas: ex eo quod rectè habetis, date: non enim correpturi estis Judicem Christum.*

Ergo Religiosus extra casum extremæ necessitatis, in quo omnia communia esse diximus, licitè non potest eleemosynas erogare sine consensu Superioris; quia nihil habet proximum. Præsumitur autem Superior consentire in iis circumstantiis, in quibus Religiosus extra monasterium divertens, malo exemplo esset si non erogaret.

Idem dicendum de uxore, quæ non habet bona paraphernalia; quamvis enim bona dotalia sint ipsi propria, horum tamen administratio per-

tinet ad maritum, ac proinde ſine ejus conſenſu non licet ei eleemoſynas facere, niſi eas quæ decent ejus ſtatum, & conditionem habita ratione rei familiaris. Plura erogare poterit, ſi ex eis, quæ maritus concedit in proprios uſus, quædam ſibi ſubtrahat in pauperum ſubſidium. Idem quoque judicium eſto de filiofamilias. Sed de his iterum, Tract. de Juſtitia & Jure.

Dixi: *Et aliàs non debitis;* Qui enim obligatur ære alieno, tenetur priùs liberare ſe, quàm eleemoſynas dare in incommodum creditorum, niſi tanta eſſet proximi neceſſitas, ut ipſimet creditores tenerentur ei ſuccurrere; in illa quippe hypotheſi non cenſerentur rationabiliter inviti, quòd debiti ſolutio differretur.

Dices 1. Qui injuſtè collegerunt, nec inveniunt quibus reſtituant, tenentur bona ſic acquiſita diſtribuere pauperibus: Ergo eleemoſyna licitè fieri poteſt ex bonis aliàs debitis.

Nego conſeq. Illa quippe erogatio eleemoſyna non eſt, ſed vera reſtitutio, utpote opus ſtrictæ juſtitiæ, non verò miſericordiæ. Injuſtè ergo ambiunt vocari miſericordes ac benefici, qui ex bonis malè partis Eccleſias aut Xenodochia dotant; iſta opera non minùs ſunt monimenta præteritarum rapinarum, unde erubeſcere & dejici deberent, quàm præſentis ſatisfactionis ac pœnitentiæ quæ laudem non meretur, nec mercedem, ſi ex appetitu inanis gloriæ procedat.

Dices 2. Si eleemoſyna non ſit eroganda, niſi ex bonis propriis, & aliunde nemo ſine operibus miſericordiæ ingreſſurus ſit in regnum cœlorum, pauperes qui nihil habent unde tribuant, de ſa-

lute

lute desperare debent: atqui consequens longè est absurdissimum: Ergo & antecedens.

Nego maj. Namque ex S. Thoma q. 32. art. 2. multiplex est eleemosynæ genus: alia respicit corpus, alia animam. Eleemosynæ corporalis actus sunt visitare infirmos, aut carcere detentos, cibum & potum præbere esurientibus & sitientibus, redimere captivos, vestire nudos, colligere & excipere hospites, condere, seu sepelire mortuos, quæ continentur sequenti versiculo.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Ad eleemosynam autem spiritualem pertinet docere proximum, eique consilium dare, delinquentem corrigere, afflictum aut tristem consolari, remittere offensam si in nos peccaverit, patienter & benignè ferre ejus defectus, apud Deum pro illo intercedere, ut habetur versu sequenti.

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Porrò quilibet etiam pauperrimus, aliquo ex his misericordiæ operibus proximum recreare potest: *Nullus est*, inquit S. Gregorius Hom. 9. in Evang. *qui veraciter dicat, talentum minimè accepi, non est unde rationes ponere cogar. Talenti enim cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit . . . habens ergo intellectum curet omninò ne taceat* (cùm scilicet proximus doctrina aut consilio indiget) *habens rerum affluentiam vigilet ne à misericordiæ largitate torpescat: habens autem, qua regitur, magnopere*

gnupere studeat, ut usum atque utilitatem illius cum proximo partiatur: habens loquendi locum apud divitem, damnationem pro retento talento timeas, si, cùm valet, non apud eum pro pauperibus intercedit. Et sanctus Augustinus in Psalm. 125. *Si non habes*, inquit, *noli esse tristis, si est tibi bona voluntas . . . . Nunquid dixerunt Angeli,* pax in terra divitibus hominibus? *sed*, pax in terra hominibus bonæ voluntatis . . . . *vidua illa, quæ duo minuta misit, parum seminavit, imò tantùm quantum Zachæus; minores enim facultates ferebat, sed parem voluntatem habebat . . . calix aquæ frigidæ, non duobus nummis, sed gratis constat; tamen sic gratis constat, ut habeat illum alius, & alius non habeat: si ergo ille qui illum habet, dederit illi qui non habet, tantum dedit, si de plena Charitate dedit quod dedit, quantum illa in duobus minutis, quantum Zachæus in dimidio rerum suarum . . . . . Quid si nec hoc habeat? securus sit, pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* Charitas non potest esse otiosa aut infœcunda, est arbor illa bona, quæ bonos fructus facit: aut commiseratione cor movet super malis proximi, & pro illo precatur: aut membra accommodat, ut debilem sustentet: aut linguam adhibet, ut irati dolorem leniat, vel errantem revocet, corrigat, adhortetur, & plus est, quàm si pecuniam largiretur. Ista præsertim inculcari debent pauperibus, qui vulgo ita occupantur propriis miseriis, ut alienis nedum tangantur, quin invideant, si quis alteri similiter patienti opituletur.

§. III.

§. III.

De Correctione fraterna.

Duplex eſt correctio: alia judicialis, ſeu juridica, quæ fit cum auctoritate, tenditque non ſolùm ad emendationem delinquentis, ſed etiam ad vindictam & pœnam infligendam, eſtque actus juſtitiæ ſaltem latiùs ſumptæ pro fidelitate, qua Superiores ex officio tenentur ſubditos in ordine continere, & ad bonum promovere. Altera correctio dicitur fraterna; quia per eam proximum fraternè, hoc eſt, motivo miſericordiæ & charitatis à peccato revocare nitimur. Prior competit ſolis Superioribus: poſterior verò eoſdem ſpectat,quos præceptum miſericordiæ & charitatis; ſicut enim per eleemoſynam ſuccurrimus corporali indigentiæ proximi, ita per correctionem fraternam ſpirituali ejus miſeriæ. Hæc diſtinctio duplicis correctionis imprimis notanda eſt propter eos, qui obtrudere non deſinunt, Superiorum eſſe peccantes corrigere, non inferiorum, aut æqualium, quod verum eſt de correctione juridica, de qua hìc non agimus, ſed de fraterna duntaxat, circa quam

Q. 1. *Correctio fraterna eſtne neceſſaria neceſſitate præcepti?*

R. Eſt neceſſaria neceſſitate præcepti tum naturalis, tum divini poſitivi, tum Eccleſiaſtici. Ita omnes Theologi poſt S. Thomam qu. 33. art. 2.

Prima pars, quæ eſt de præcepto naturali, probatur, quia diligere Deum ex toto corde, eſt primum & maximum legis naturalis præceptum: ſecundum verò, diligere proximum ſicut ſeipſum,

in

in his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ, Matth. 22. Atqui cùm diligere ex sæpiùs dictis sit bene velle & bene facere dilecto, primum & maximè necessarium officium dilectionis est amovere malum à dilecto; neque enim filius ita efficaciter argueretur non amare patrem, ex eo quòd commodiora quæque ei non procuraret, quàm si eum liberaret, cùm facilè posset, à malis, quibus premitur. Porrò peccatum lethale est grave malum, tum Dei, utpote gravis ejus offensa, tum proximi, cùm spiritualiter occidat ejus animam, & reatum æternæ damnationis inducat: Ergo lege naturali tenemur revocare proximum à peccato, cùm id fieri potest per correctionem fraternam.

Confirmatur. Jure naturali tenemur per eleemosynam subvenire proximo corporaliter indigenti: ergo à fortiori per correctionem spiritualiter indigenti: nam potior cura habenda est animæ, quàm corporis, cùm propter illius salutem vita corporis aliquando sit amittenda. Illud ipsum agnoverunt Philosophi Gentiles, ut patet ex Lib. 9. Ethic. cap. 3. ubi legitur magis in moribus, quam in facultatibus ferendum esse auxilium. Unde sanctus Bernardus Lib. 4. de Considerat. cap. 6. meritò de Christianis conqueritur in hæc verba: *Cadit asina, & est qui sublevet: perit anima, & nemo est, qui reputet.*

Dices: Præceptum charitatis non obligat nisi in proximi necessitate: atqui proximus nullam patitur peccandi necessitatem; peccatum enim adeò est voluntarium, inquit sanctus Augustinus, ut nisi voluntarium fuerit, peccatum non sit: Ergo nulla est obligatio illum revocandi à sordibus

bus peccati, in quibus voluntariè & liberè volutatur. Quis enim dixerit erogandam esse eleemosynam homini fame laboranti ex sola inertia?

Nego minor. Multùm erras, inquit S. Augustinus Julianum Pelagianum alloquens, qui nullam putas peccandi necessitatem; solus Pelagianus negaverit necessarium Dei auxilium ad vincendas tentationes, quas patimur ex ignorantia, ex infirmitate naturæ lapsæ, & ex duritia cordis, quæ parit peccata malitiæ. Eleemosyna quidem est deneganda homini otioso, qui labore suo victum & vestitum facilè sibi comparare potest, ne videamur fovere ejus inertiam; *Si quis non vult operari, nec manducet*, inquit Apostolus 2. Thessal. 3. & S. Augustinus Epist. 93. aliàs 48. *Utiliùs panis esurienti tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quàm esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat.* Sed ejusmodi homini fraterna correctio est adhibenda, ut à peccato, Deo interiùs operante, resipiscat; quamvis enim humana subsidia per se non sufficiant ad aliorum emendationem, Deus tamen iis utitur, vultque à nobis adhiberi, ut constat tum ex Ezech. 33. v. 8. ubi Pastori ait: *Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram;* tum ex textibus pro secunda nostræ responsionis parte mox afferendis, in quibus speciatim præcipitur correctio fraterna. Itaque

Secunda pars, quæ est de præcepto divino positivo, probatur tum ex veteri, tum ex novo Testamento. Ex veteri quidem, nam habetur Levit. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed pu-*

blicè

blicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Eccli. 19. *Corripe amicum, ne fortè non intellexerit .... corripe proximum .... ne fortè iteret: corripe amicum: sæpè enim fit commissio.* In novo quoque Testamento pluribus in locis præcipitur correctio fraterna. Epist. S. Judæ: *Hoc quidem arguite judicatos; illos verò salvate de igne rapientes.* 2. Thessal. 3. *Si quis non obedit verbo nostro ... ne commisceamini cum illo, ut confundatur: & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.* 1. Thessal. 5. *Corripite inquietos.* Gal. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Quòd autem hæc verba vim habeant præcepti, patet ex sequentibus: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis Legem Christi.* Roman. vers. ult. *Qui talia agunt, digni sunt morte; non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* In quem locum Glossa laudata à sancto Thoma 2. 2. qu. 70. art. 1. sic habet: *Consentire est tacere, cùm possis arguere.* Et cap. *Facientis*, dist. 86. quod refertur ex Joanne VII. *Facientis culpam procul dubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare; scriptum quippe est, non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes judicantur ..... & negligere, cùm possis deturbare perversos, nihil aliud est quàm fovere: nec caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto sceleri desinit obviare.* Sanctus quoque Augustinus Serm. 82. aliàs 16. de verbis Domini: *Pejores*, inquit de eo, qui negligit corrigere, *tacendo, quàm ille convitiando.*

Sed insignis est locus Matth. 18. ubi Christus sic loquitur vers. 15. *Si ..... peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te*

non

non audierit, adhibe tecum adbuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quodſi non audierit eos, dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit: ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. In nos peccat proximus, 1. quando in Deum patrem noſtrum ſuper omnia dilectum peccat; quis enim filius non læditur, nec injuriam ſibi factam exiſtimat, cùm pater, ipſo præſente, convitiis laceſſitur? 2. Quando nos teſtes, & quaſi approbatores iniquitatis ſuæ facit; ſcandalum enim nobis præbet. Ita ſanctus Auguſtinus cit. Serm. 82. cap. 7. *Peccavit in te frater tuus*, inquit, *ſi tu ſolus noſti, tunc verè in te ſolùm peccavit; nam ſi multis audientibus tibi fecit injuriam, & in illos peccavit, quos teſtes ſuæ iniquitatis effecit . . . . quando me audiente, fratri meo, quiſque injuriam facit, abſit ut à me injuriam alienam putem. Prorſus & mihi fecit: imò & mihi plus fecit, cui putavit facere quod fecit.* Sed magis ad litteram, & ad mentem Chriſti eo loci, peccat in nos frater, quando contra nos peccat, & ita intellexit B. Petrus hæc Chriſti verba, ubi quæſivit: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Jubet autem Dominus corripere contra nos peccantem, non quia nobis injuriam fecit; ſed quia lethale vulnus ſibi inflixit; ſubdit enim Chriſtus: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Quæ verba expendens ſanctus Auguſtinus laudato Sermone, ait: *Quare illum corripis? quia tu doles, quod peccaverit in te? abſit: ſi amore tui id facis, nihil facis. Si amore illius facis, optimè facis. Denique in ipſis verbis attende, cujus amore id facere debeas, utrùm tui, an illius?* Si te audierit, *inquit*, lucratus es fratrem tuum: *Ergo propter illum fac, ut lucreris illum. Si faciendo lucraris, niſi feciſſes, perie-*

rat. Quæ posteriora verba 1. supponunt grave peccatum in fratre, non enim periret propter peccatum leve, 2. lethale peccatum arguunt in eo, qui non corripit occasione opportuna. Unde sanctus Doctor concludit, eum pejorem esse delinquente, qui negligit corrigere: *Ille*, inquit, *injuriam fecit, & injuriam faciendo, gravi seipsum vulnere percussit. Tu vulnus fratris tui contemnis? Tu vides eum perire, vel periisse, & negligis? pejor es tacendo, quàm ille convitiando. Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis; nam gloriosum est injurias oblivisci, sed oblivis̄cere injuriam tuam, non vulnus fratris tui.* Similiter jam scripserat S. Basilius in reg. brev. ubi ad interrogat. 47. *numquid adversus peccantes dissimulatione uti conveniat?* sic respondet, *sanè quòd hoc fieri non debeat, perspicuum est ex præceptis Domini, qui in veteri quidem Testamento dixerit* (scil. Lev. 19. juxta aliam versionem) *correptione corripies fratrem tuum, & non assumes propter illum peccatum. In Evangelio autem, si peccaverit in te frater, vade & corripe eum.* Mitto alios Patres, qui divinum præceptum in laudatis Christi verbis agnoscunt; ut S. Hilarium, S. Hieronymum in cap. 18. Matth. & sanctum Ambrosium in cap. 17. Lucæ.

Tertia pars, quæ est de præcepto Ecclesiastico, probatur ex laudato cap. *Facientis*, dist. 86. ex cap. *Qui potest*, 23. qu. 3. ex cap. *Ecce*, qu. 4. & ex cap. *Qui alios*, extra. tit. *de Hæreticis*, in quo sic habetur: *Qui alios, cùm potest, ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.*

Confirmatur responsio nostra auctoritate Academiæ Parisiensis, ad quam cùm delatæ fuissent anno 1665. sequentes propositiones: Prima, *Ille*

le ordo procedendi Evangelicus, neminem obligat ut præceptum, ut communiter accipitur à Theologis pro lege obligante ad mortale peccatum ejus transgressores: Secunda, *Frustra excipiuntur tot casus & conditiones ab illo præcepto Evangelico* (correctionis fraternæ) *quia non datur tale præceptum; cùm secundùm naturale præceptum charitatis correctio fraterna debeat regulari*, &c. *Tertio loco ostendetur (quod gravius est) præceptum illud perniciosum fore, nedum utile;* de quibus propositionibus hocce judicium tulit sacra Facultas; *Doctrina his propositionibus contenta, falsa est & temeraria, sanctis Patribus contraria, & quatenus dicit fore perniciosum præceptum, si quod foret in Evangelio Matthæi cap.* 18. *blasphema.* Falsam dicit ejusmodi doctrinam, quia adversatur legi naturali: temerariam, quia pugnat contra communem Theologorum sententiam: blasphemam, quia malè sentit de divino præcepto, illudque asserit fore perniciosum in hypothesi quòd daretur, quamvis nihil societati humanæ sit magis salutare ac necessarium.

Enimverò correctio fraterna medetur præsentibus malis, & tuetur à futuris: *Ventus Aquilo*, inquit Sapiens, Prov. 25. v. 23. *dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem;* Adde impudicam, blasphemam, & impiam. Ad quid enim tam obscæna, tamque injusta proferuntur in familiaribus congressionibus, nisi in sociorum oblectationem? An quasi per risum stultus operabitur scelus, ut dicitur Prov. 10. peccata sua ut Sodoma prædicaturus est, si familiares amicos id ægrè ferre, & inde erubescere advertat? Ergo correctio fraterna, sive fiat verbo, sive facie tristi, & aliis displicentiæ signis, dissipat linguam detrahentem &

& quævis alia mala, non ſecus ac ventus Aquilo diſſipat pluvias.

Ergo tollere è ſocietate humana correctionem fraternam, idem eſt ac ſi ligentur venti, quo minus flent ſuper terram; quemadmodum enim Deus ventos de theſauris ſuis produxit, qui tanquam ſcopæ mundant aërem putridis halitibus & fœtidis vaporibus, quos continuò terra expirat, quique brevi aërem corrumperent, & peſtilentiam inducerent: ita per præceptum correctionis fraternæ proſpexit integritati morum, qui maximè periclitantur in familiaribus colloquiis, ubi, laxatis quodammodo ſeverioris diſciplinæ habenis, è natura per concupiſcentiam corrupta ebulliunt plura immunda & illicita, quæ ſine correctione fraterna erumpunt in gravia ſcandala, mores corrumpunt, tranquillitatem publicam perturbant, & fulmina iræ Dei in provincias & regna integra provocant.

Ex iis efficaciter colligit S. Auguſtinus Lib. 1. de Civit. Dei cap. 9. in vaſtationibus publicis, quibus Deus nonnunquam temporaliter ulciſcitur incolarum flagitia, juſtè concludi cum auctoribus criminum etiam illos, qui licèt tam nefanda deteſtentur, timore tamen mundano ea palam improbare, & fraterna charitate arguere prætermiſerunt: *Quis tandem*, inquit, *facilè reperitur, qui eoſdem ipſos, propter quorum horrendam ſuperbiam, luxuriam, & avaritiam, atque execrabiles iniquitates & impietates, Deus, ſicut minando prædixit, conterit terras, ſic habeat ut habendi ſunt; ſic cum eis vivat, ut cum talibus eſt vivendum? Plerumque enim ab eis docendis, admonendis, aliquando etiam objurgandis & corripiendis malè diſſimulatur; vel cùm laboris piget, vel*

cùm

cùm eorum os coram verecundamur offendere, vel cùm inimicitias devitamus, ne impediant & noceant in illis temporalibus rebus, sive quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, sive quas amittere formidat infirmitas: ita ut, quamvis bonis vita malorum displiceat, & ideò cum eis non incidant in illam damnationem, quæ post hanc vitam talibus præparatur, tamen quia propterea peccatis eorum damnabilibus parcunt .... jure cum eis temporaliter flagellantur, quamvis in æternum minimè puniantur. Et infrà: *Qua in re non utique parem, sed longè graviorem habent causam, quibus per Prophetam dicitur:* Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. *Ad hoc enim speculatores, hoc est, populorum Præpositi constituti sunt in Ecclesiis, ut non parcant, objurgando peccata. Nec ideo tamen ab hujusmodi culpa penitus alienus est, qui licèt præpositus non sit, in eis tamen, quibus vitæ hujus necessitate conjungitur, multa monenda vel arguenda novit & negligit devitans eorum offensiones.*

Non nego hypocritas & temerarios occasione hujusce præcepti nonnunquam pacem turbare; sed tolleturne de medio præceptum naturale & divinum, putà, *Dominum Deum tuum adorabis;* quia occasione illius non solùm Infideles, sed etiam vulgus Christianorum in absurdas ruit superstitiones? Nonne idem ipse Dominus, qui Matth. 7. v. 34. & 35. increpat hypocritas, præcipit Matth. 18. ut proximum corripiamus? *Vade*, inquit, *& corripe eum.*

Q. 2. *Si proximus nos non audierit, tenemurne peccatum illius manifestare alteri, qui possit illum emendare, aut saltem coërcere?*

R. Tenemur. 1. Quia sic Christus præcipit laudato c. 18. Matth. *Si autem*, inquit, *te non au-*

 dierit,

dierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos . . . Quodsi non audierit eos, dic Ecclesiæ. 2. Quia Ecclesia Fideles censuris compellit patefacere occulta proximi crimina, quæ vergunt in damnum aliorum: atqui censura, utpote pœna peccati, ferri non potest, nisi in præcepti transgressores: Ergo. 3. Quia communis est SS. Patrum ac Theologorum sententia, teneri nos ad ejusmodi declarationem, quando necessaria est ut proximus vel emendetur, vel coërceatur. S.Augustin. Epist. 236. aliàs 74. ad Deuterium, non vult Subdiaconum ex hæresi Manichæorum redeuntem, ad pœnitentiam admitti, nisi priùs manifestaverit, quos novit eadem impietate infectos: *petenti autem pœnitentiæ locum tunc reddatur*, inquit, *si & alios, quos novit illic esse, manifestaverit vobis.* S. Thomas 2. 2. quæst. 70. art. 1. ad 2. docet, præceptum revelandi crimen occultum alteri noxium, præponderare præcepto naturali servandi secretum, *quandoque enim*, inquit, *sunt talia cùm ad notitiam hominis venerint; homo ea manifestare tenetur, putà si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid est aliud hujusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando, vel denuntiando; & contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum.* Excipit tamen secretum Confessionis Sacramentalis, quod nullo modo violari debet: *Quia*, inquit, *hujusmodi non scit ut homo, sed tanquam Dei Minister, & majus est vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto.*

Q. 3. *Ordo correctionis fraternæ*, Matth. 18. *præscriptus estne necessitate præcepti observandus?*

R. Observandus est, nonnullis tamen casibus exceptis, quia hæc Christi verba: *Corripe eum inter*

ter te & ipsum solum . . . si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos . . . . quodsi non audierit eos, dic Ecclesiæ, vim habent præcepti juxta constantem doctrinam SS. Patrum & Theologorum: *Corripe eum*, inquit S. Augustinus Serm. 82. aliàs 16. de verbis Domini cap. 14. *inter te & ipsum solum, intendens correctioni, parcens pudori, fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum, & quando vis facere correctionem, facis pejorem.* Et cap. 7. *Quia secretum fuit, quando in te peccavit, secretum quære, cùm corripis quod peccavit. Nam si solus nosti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor . . . . sic agamus, & sic agendum est, non solùm quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo ut ab altero nesciatur. In secreto debemus corrigere.* Eadem habet S. Hieronymus in laudata verba Matth. 18. Et S. Thomas qu. 33. art. 7. præclarè quæstionem solvit his verbis: *Medicus corporalis sanitatem ægroto confert, si potest, sine alicujus membri abscissione; si autem non potest, abscindit membrum minùs necessarium, ut vita totius conservetur, ita etiam ille, qui studet emendationi fratris, debet, si potest, sic emendare fratrem, quantùm ad conscientiam, ut fama ejus conservetur, quæ quidem est utilis ipsi peccanti; non solùm in temporalibus, in quibus quantùm ad multa homo patitur detrimentum, amissa fama; sed etiam quantùm ad spiritualia: quia præ timore infamiæ multi à peccato retrahuntur. Unde quando se infamatos conspiciunt, irrefrænatè peccant. Sed quia conscientia præferenda est famæ: voluit Dominus, ut saltem cum dispendio famæ, fratris conscientia per publicam denuntiationem à peccato liberetur* (quando, scilicet, nos audire noluit.) *Unde patet de necessitate præcepti esse, quòd secreta admonitio publicam denuntiationem præcedat.*

Dixi : *Nonnullis tamen casibus exceptis ;* præscriptus enim correctionis ordo non obligat quatuor in casibus.

Primus, quando crimen est publicum ; ait quippe Apostolus 1. Tim. 5. *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant ;* in quem locum sic habet S. Augustinus laudato Serm. 82. cap. 7. *Ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus : ipsa corripienda sunt secretiùs, quæ peccantur secretiùs.* Et rationem affert S. Thomas qu. 33. art. 7. *Quia non est tantùm adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut rectior fiat, sed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur.* Ut autem crimen censeatur publicum, satis non est quòd uni aut alteri sit notum, ita ut in judicio probari possit, sed requiritur ut, si non in omnium, saltem in plurium, v. gr. septem sive è communitate, sive è vicinia notitiam venerit. Quis verò nisi superior ejusmodi scandalo mederi potest ? Ergo statim ei deferendum est.

Secundus, cùm crimen, etsi occultum, vergit in perniciem aliorum ; quia, ut advertit sanctus Thomas in quæst. disputatis qu. de corr. art. 2. ad primum, secreta admonitio est periculosa ; timendum quippe est, ne admonitus, v. gr. patriæ proditor, fur domesticus, Pastor occultè disseminans errores contra fidem, aut solicitans mulieres ad turpia, secreta illa monitione cautiùs se gerat, & minùs cogitet crimen emendare, quàm occultare, eóque plus noceat, quò adhibita nova cautione, se securiorem existimabit. Quare in ejusmodi casibus magis consulendum est securitati publicæ, & saluti cujusque innocentis, quàm

quàm famæ peccatoris. Unde S. Thomas quodlib. 11. quæst. 10. art. 1. *Oportet*, inquit, *ordinem fraternæ correctionis sumere secundùm ordinem charitatis; ordo autem charitatis est, ut quis bono proximi præferat commune bonum: item ut velit bonum proximi & conscientiæ & famæ; & in his magis velit bonum conscientiæ, quàm famæ, quando utrumque haberi non potest;* hoc est vulnus quoddam inferat famæ, si necesse sit, ut sanet conscientiam.

Tertius: Quando prævidetur non profutura secreta admonitio, ut peccantibus ex habitu & ex contemptu, magis quàm ex infirmitate; ii quippe validiori remedio indigent, nimirum Superioris correptione, qui monitionibus & exhortationibus minas, aut etiam pœnas, si necesse sit, adjungere potest: nec in eo peccabitur contra præceptum, *corripe inter te & ipsum solum:* tum quia ex dicendis omittenda est correctio, ac proinde monitio, quando prævidetur inutilis: tum quia ex sancto Thoma citato articulo ad decimum: *Dominus non loquitur de culpa futura cavenda, sed de culpa præterita jam commissa.*

Quartus casus: Quando cum majori delinquentis utilitate, & sine dispendio ejus famæ, Superior tanquam pater immediatè monetur Ita S. Augustinus in Regula ad Sorores: *Si*, inquit, *soror tua vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timet secari, nonne crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quantò ergo potiùs eam debes manifestare, ne perniciosiùs putrescat in corde? Sed antequam aliis demonstretur, per quas convincenda est, si negaverit, Præpositæ debet ostendi.* Quæ posteriora verba expendens S. Thomas qu. 33. art. 8. ad 3. sic habet: *Augustinus intelligit, quòd priùs dicatur*

catur Prælato, quàm testibus, secundùm quòd Prælatus est singularis persona, quæ magis potest prodesse, quàm alii. Et quodlib. 11. qu. 10. art. 11. *Si ego scio*, inquit, *quòd frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denuntiare Prælato: si autem videtur, quòd hoc meliùs fiat per Prælatum, & Prælatus sit nihilominus pius, & discretus, & spiritualis, non habens rancorem seu odium adversùs illum subditum; tunc licitè potest hoc denuntiari ipsi: & tum non dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi & emendam. Sed quia propter diversas conditiones Prælatorum & subditorum, non potest in hoc dari generale judicium, quia aliquando vel Prælatus movetur ad odium adversus subditum; vel subditus non bene ferret verba Prælati: ideò tenendum est hoc pro regula, quòd in omnibus istis semper servanda est charitas, & quod melius & magis expedire videtur.*

Q. 4. *Quandonam obligat præceptum correctionis fraternæ?*

Ut propositæ quæstioni fiat satis, meminisse oportet in quolibet præcepto affirmativo, quo præcipitur actus virtutis, semper intelligi præceptum negativum, prohibens peccatum oppositum; præceptum v. g. dilectionis inimicorum, aut correctionis fraternæ, quod affirmativum est, includit præceptum negativum, prohibens odium inimicorum, aut approbationem fratris coram nobis delinquentis. His præsuppositis,

R. 1. Præceptum correctionis fraternæ negativè sumptum, obligat semper & pro semper; quia nunquam licet malè agere: atqui approbare sive interiùs, sive exteriùs proximum delinquentem, laudando v. g. ejus libidines, impietates, de inimicis ultiones, &c. est malum per se:

ſe : Ergo ne quidem ſignis exterioribus licet approbare, quæ coram nobis fiunt, aut dicuntur mala; ac proinde quamvis non ſemper adſit opportunitas poſitivè corripiendi fratrem, nec præceptum affirmativum obliget in quibuslibet circumſtantiis, ut dicetur reſponſione ſequenti; tamen eſt ſemper præcepti neceſſitas non blandiendi, aut applaudendi ejus peccatis; quod imprimis notandum eſt.

R. 2. Præceptum affirmativum correctionis fraternæ non obligat, niſi quatuor concurrentibus circumſtantiis. Prima, quando conſtat de peccato proximi, præſertim mortali; ſcriptum quippe eſt Eccli. 20. *Priuſquam interroges, non vituperes quemquam.* Et Matth. c. 7. *Nolite judicare*, ſcil. temerè. Et certè proximus injuriæ duceret, quòd crimen ei imponeretur, cujus conſcius non eſt, & ejuſmodi correctio eſſet contra charitatem, quæ non *cogitat malum*, 1. Cor. 13. Si tamen eſſent conjecturæ admodum probabiles cum aliqua infamia, proximus non deberet quidem corrigi & abſolutè condemnari, ſed moneri, ut cauſas, ſi quas dediſſet ſuſpicionis, amoveret. Sed iſta magis Superiores ſpectant, quàm æquales, niſi familiares ſint, vel proximus ſit in proximo ruinæ, putà mortis periculo conſtitutus, nec adſit Paſtor, qui illum commoneat. Secunda, quando ſpes aliqua, ſaltem dubia affulget correptionis profuturæ; finis quippe correctionis fraternæ eſt emendatio proximi, quemadmodum ſanitas medicinæ; ac proinde ſicut remedia, quæ prævidentur fore inutilia, non ſunt corpori adhibenda, maximè cum periculo ne noceant; ita nec correctio fraterna, ubi nulla eſt

ſpes

ſpes ne quidem dubia emendationis; tunc enim ferè ſemper periculum ſubeſt, ne proximus deterior fiat. Atque in eo differt correctio fraterna à judiciali; quòd iſta, cùm ſpectet bonum commune, & ſcandalum removendum, adhiberi debeat, etiamſi reus prævideatur deterior futurus. Tertia, quando nullus adeſt magis idoneus, v. g. Superior, qui poſſit & velit corrigere. Dico, *& velit*; ſi enim noluerit, perinde eſt ac ſi nullus adeſſet; ideoque ſicut in caſu neceſſitatis eroganda eſt eleemoſyna, etiamſi adſint ditiores, qui erogare nolunt; ita & correctio ab inferiori facienda, ſi Superior eam negligat, fortè ex inadvertentia; ſed in eo caſu inferior prudenter ac modeſtè agere debet, nempe rogando potiùs quàm pronuntiando, num quæ dicuntur, aut fiunt, ſint licita. Quarta, quando non ſperatur tempus correctionis opportunius; ſi enim commodius & utilius proximo foret eam differre, differenda eſt; cùm ejuſmodi dilatio non ſit occaſio cupiditatis, ſed conſilium charitatis, ut loquitur S. Auguſt. Lib. 1. de Civ. Dei c. 9.

Dixi correctionem tum faciendam, cùm conſtat de peccato proximi, præſertim mortali; quia niſi venialia in grave damnum vergant, v. gr. ad ſubvertendam Monaſterii diſciplinam, ſatius eſt ut plurimùm diſſimulare, quàm arguere; tum quia intolerandus eſſet in ſocietate civili, qui minima quæque reprehenderet; tum quia ejuſmodi correptio ſæpè iram & odium potiùs provocat, quàm emendationem, niſi fiat vel à familiari amico, vel ab eo, qui bene novit indolem & animum proximi ad omne genus virtutis propenſum.

Q. 5.

Q. 5. *Quid agendum, quando æquè dubitatur, an correctio profutura ſit, an nocitura?*

R. Fraterna ordinariè eſt omittenda, non verò judicialis; quia fraterna correctio, utpote actus charitatis, tendit in bonum proximi delinquentis: atqui nullum apparet bonum quando æquè timetur malum, ac ſperatur bonum: Ergo in illa hypotheſi non eſt locus correctioni fraternæ. At correptio judicialis ſpectat bonum commune, propter quod negligendum eſt, ſi neceſſe ſit, bonum privatum; Medicus enim, ut ſupra dicebat S. Thomas, membrum amputat, cùm non poteſt aliter conſulere ſaluti totius corporis.

Dixi; *Ordinariè*; Quia ſi quis in familiari congreſſu nonnulla proferret contra fidem, aut bonos mores, unde aſtantes inficerentur, corripiendus eſſet quamvis deterior futurus, modò ſpes foret correctionem aliis profuturam. Ergo non tenemur corrigere homines ob quodvis peccatum etiam mortale, quorum ingenium nobis eſt ignotum, ne ſcilicet pejores fiant potiùs, quàm corrigantur.

Q. 6. *Quinam obligantur præcepto correctionis fraternæ?*

R. Omnes ſive Sacerdotes, ſive Laici, ſive juſti, ſive peccatores, ſive æquales, ſive inferiores, ſed maximè Superiores. 1. Quia Chriſtus Matth. 18. neminem excipit, dum ait: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe.* 2. Quia ſic docent ſancti Patres, ut ſanctus Auguſtinus Lib. 1. de Civit. Dei cap. 9. *Nec tamen*, inquit, *ab ejuſmodi culpa corripiendi alienus eſt, qui licèt Præpoſitus non ſit, in eis tamen, quibus neceſſitate conjungitur multa monenda, vel arguenda novit, & negligit.* Illud ipſum

ipſum fuſè probat S. Thomas q. 33. art. 3. 4. & 5. 3. Quia præceptum charitatis omnes, & ſingulos obligat: Ergo ſicut ſinguli tenentur eleemoſynam erogare proximo indigenti, ita & correptionem. Cùm autem ordo charitatis poſtulet, ut nobis conjunctiores præferamus, ut parentes, Superiores, iis maximè debitum correctionis fraternæ impendere debemus, ſed ſeorſim & magis obſecrando, quàm arguendo, juxta illud 1. Timoth. 5. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem.* Excipit tamen S. Thomas art. 4. niſi immineat periculum fidei; tunc enim publicè arguendus eſt Superior exemplo S. Pauli, qui in faciem reſtitit S. Petro Gal. 2. ob idque laudatur à S. Auguſtino Epiſt. 82. aliàs 19. *Ipſe verò Petrus*, inquit, *quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, ſanctæ ac benignæ pietatis accepit: atque ita rarius & ſanctius exemplum poſteris præbuit; quo non dedignarentur, ſicubi fortè recti tramitem reliquiſſent, etiam à poſterioribus corrigi, quàm Paulus; quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda Evangelica veritate, ſalva fraterna charitate, reſiſtere. Nam cùm ſatius ſit, à tenendo itinere in nullo quàm in aliquo declinare, multò eſt tamen mirabilius & laudabilius libenter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deviantem.*

Præceptum tamen correctionis fraternæ ad plura obligat Superiores, quàm privatos. Namque 1. Superiores ex officio in ſe ſuſcipiunt curam ſubditorum, ideoque debent invigilare, num quis eorum recto itinere declinet, aut in eo negligentiùs incedat, explorare, num dederit locum ſuſpicionibus malis, quæ de eo ſparguntur, quæ privatis non competunt, ut advertit ſanctus Auguſtinus

gustinus cit. Serm. 82. aliàs 16. de verbis Domini cap. 1. ubi sic habet: *Admonuit nos Dominus noster non negligere invicem peccata nostra, non quærendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas.* 2. Superiores, non verò privati tenentur corripere, etsi nulla sit spes emendationis, ut peccans saltem timore pœnæ coërceatur.

Dices: peccator non debet alios corrígere: Ergo non omnes obligantur præcepto correctionis fraternæ.

Probatur ant. 1. ex Scriptura, Matth. 7. *Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Rom. 2. *In quo judicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quæ judicas.* 2. Ex SS. Patribus. S. Augustinus Lib. 2. de Serm. Domini in Monte cap. 19. *Accusare vitia*, inquit, *est officium bonorum virorum & benevolorum: quod cùm mali faciunt, alienas partes agunt.* Et S. Isidorus laudatus à S. Thoma qu. 33. art. 5. *Non debet vitia aliorum corrigere, qui est vitiis subjectus.*

Nego ant. Absit enim, ut dicatur peccator immunis à lege naturali & divina: atqui præceptum charitatis, cujus præcipui actus sunt eleemosyna & correctio fraterna; numeratur inter primaria legis naturalis & divinæ præcepta: Ergo.

Ad confirmationem respondeo, hæc & similia intelligenda esse de peccatore, qui propria peccata, quamvis aliis manifesta, dissimulans, aliena corrigere præsumit, quasi ipse sit justus, & aliis sese præferat, quod cùm fieri nequeat sine audientium offensa & scandalo, verbumque veritatis contemptui exponat, meritò illi dicitur:

quare

Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Psal. 49. Urgente ergo præcepto correctionis fraternæ, tenetur peccator à se removere, quæ illam impediunt, nempe quæ viderentur sapere superbiam & ostentationem, priùs seipsum arguendo, & pœnitentiæ signa præseferendo; & ita proximum utiliter non solùm verbo, sed etiam exemplo ad resipiscendum commovebit. Unde S. Augustinus post laudâta in objectione verba, subdit: *Si autem cogitantes nosmetipsos invenerimus in eo esse vitio, in quo est ille, quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque objurgemus, sed tamen congemiscamus; & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter conandum invitemus.* Et S. Thomas cit. art. 5. *Si peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, nec sibi novam condemnationem acquirit.*

Q. 7. *Quale est peccatum omittere correctionem fraternam urgente præcepto?*

R. Est ex suo genere mortale. Ita S. Thomas q. 23. art. 2. ad tertium: *Prætermittitur*, inquit, *fraterna correctio cum peccato mortali, quando formidatur judicium vulgi, & carnis excruciatio vel peremptio, dum tamen hæc ita dominentur in animo, quòd fraternæ charitati præponantur: & hoc videtur contingere, quando aliquis præsumit de aliquo delinquente probabiliter, quod posset eum à peccato retrahere, & tamen propter timorem vel cupiditatem prætermittit.* Et ratio est, quia ex dictis Tractatu de Peccatis, gravitas peccati ex duplici capite colligitur, 1. ex pœnæ magnitudine per Legem definita contra transgressores, & ex gravitate materiæ, circa quam Lex versatur; atqui pœna gravis decernitur contra eos, qui omittunt correctionem fraternam, digni sunt

ſunt morte, ait Apoſtolus Rom. 1. qui conſentiunt facientibus, hoc eſt, ut ſupra expoſuimus, qui ſilent, cùm arguere poſſint, materia quoque eſt gravis, ſcilicet ſpiritualis ruina proximi impedienda: Ergo.

Dixi, *ex ſuo genere*, ut innuerem peccatum illud eſſe nonnunquam veniale, ut agnoſcit S. Auguſtinus his verbis ſupra laudatis ex cap. 9. Lib. 1. de Civit. Dei; *qui propterea peccatis eorum damnabilibus parcunt* (ſcilicet ne temporaliter noceant) *jure cum eis temporaliter flagellantur, quamvis in æternum non puniantur.*

Q. 8. *Quandonam omiſſio correctionis fraternæ cenſenda eſt venialis?*

R. 1. Cùm agitur de corrigendo peccato veniali, quod non vergit in grave detrimentum alterius; quia ejuſmodi materia eſt levis. 2. quando ex inadvertentia minimè craſſa omittitur correctio etiam gravioris peccati. 3. ex ſancto Thoma cit. art. 2. ad tertium, *quando timor & cupiditas tardiorem faciunt hominem ad corrigenda delicta fratris. Non tamen ita, quòd ſi ei conſtaret, quòd fratrem poſſet à peccato retrahere propter timorem, vel cupiditatem omitteret, quibus in animo ſuo præponit charitatem fraternam. Et hoc modo quandoque viri ſancti negligunt corrigere delinquentes.* In quibus verbis Angelicus Doctor ſupponit hominem, qui intus in corde ſervat charitatis ordinem, juxta quem bonum ſpirituale proximi in caſu neceſſitatis præferendum eſt commodo noſtro temporali; ſed quodam pudore corruptus, & timore amittendi boni temporalis præoccupatus, non invenit quomodo prudenter moneat delinquentem, deſunt verba & modus, ſine quibus ſalutare remedium rejicere-

tur; nisi enim correctio fraterna sit sale prudentiæ condita, sæpè noxia est, nedum utilis. Ideo autem S. Thomas in proposito casu agnoscit peccatum saltem veniale; quia timor ille mentem incertam tenens, est quodammodo voluntarius in causa, scilicet in cupiditate; si enim esset planè involuntarius, oriretúrque ex naturali infirmitate, excusaret à peccato, ut in scrupulosis, qui cùm prudentia ad corripiendum necessaria careant, vix alios utiliter reprehendunt.

CAPUT VI.

De Peccatis Charitati oppositis.

Omnia peccata dici possunt charitati opposita, saltem indirectè: mortalia quidem, quia excludunt charitatis & habitum & actum: venialia etiam, quia etsi non destruant charitatis habitum nisi dispositivè, ejus tamen actum excludunt. Prætereà charitas, ex qua omne bonum, & cupiditas radix omnium malorum, non minus inter se pugnant, quàm calor & frigus: major charitas, inquit S. Augustinus, minor cupiditas; & perfecta charitas ut in patria nulla cupiditas, ac proinde nullum peccatum. Contra verò ubi major est cupiditas, minor est charitas, & ubi dominatur cupiditas, ut in peccatoribus, nulla est charitas.

Sed sunt quædam peccata, quæ directè opponuntur charitati, formaliterque pugnant contra ejus actus, scilicet amorem Dei & proximi, gaudium, pacem, & beneficentiam, seu correctionem fraternam. Contra amorem pugnant odium

Dei

Dei & proximi: contra gaudium de bono Dei, triſtitia, quam S. Thomas, poſt S. Gregorium & alios Scriptores Eccleſiaſticos, vocat acediam: contra gaudium de bono proximi, invidia. Contra pacem diſcordia, contentio, ſchiſma, bellum injuſtum, rixa, ſeditio. Contra correctionem fraternam ſcandalum, & ita decem peccata numerantur charitati oppoſita, de quibus S. Thomas, à q. 34. ad q. 43. incluſivè. Paucis perſtringemus, quæ ſpectant novem prima, & paulo diutius immorabimur circa ſcandalum ultimo loco recenſitum.

§. I.

De novem primis peccatis Charitati oppoſitis.

Nihil eſt, quod addamus iis, quæ dicta ſunt de odio, ubi de actibus internis charitatis. De acedia & invidia plura, & quidem in praxi maximè neceſſaria hìc dicenda eſſent, niſi Tractatus noſter jam prolixior in immenſum excurreret. Quare Lectorem remittimus ad Praxim pœnitentiariam à nobis Gallicè editam, ubi fuſè expendimus, quæ ſpectant illa duo vitia capitalia, ſcilicet eorum malitiam, cauſas, effectus longè pernicioſiſſimos, proponimuſque remedia, quibus curari poſſint. His igitur prætermiſſis, pergimus ad dubia quædam ſolvenda circa ſeptem alia peccata charitati oppoſita.

Q. 1. *Quid eſt diſcordia?*

R. Eſt contrarietas voluntatum; opponitur enim concordiæ, quæ eſt unio cordium, ut nomen ſonat. Unionem autem illam efficit charitas, inquit S. Thomas q. 37. art. 1. *in quantùm ſci-*

licet multorum corda conjungit in unum, quod eſt principaliter quidem bonum divinum, ſecundariò autem bonum proximi . . . unde per ſe diſcordat aliquis à proximo, quando ſcienter & ex intentione diſſentit à bono divino, & à proximi bono, in quo debet conſentire (nimirum quando recta agnoſcitur proximi voluntas & conformis divinæ, quæ eſt omnium voluntatum regula) *& hoc eſt peccatum mortale ex ſuo genere propter contrarietatem ad charitatem, licèt primi motus hujus diſcordiæ propter imperfectionem actus, ſint peccata venialia.* Unde Apoſtolus Gal. 5. diſſenſiones ſeu diſcordias numerat inter opera carnis, de quibus ait, *qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.*

Dixi, diſcordiam eſſe contrarietatem voluntatum; quia, ut docet S. Thomas ex Philoſopho q. 29. art. 3. ad tertium, *ad amicitiam* (ſeu charitatis concordiam) *non pertinet concordia in opinionibus, ſed concordia in bonis conferentibus ad vitam, & præcipuè in magnis, quia diſſentire in parvis, quaſi videtur non eſſe diſſenſus: Et propter hoc nihil probibet aliquos charitatem habentes in opinionibus diſſentire . . . . . ſimiliter etiam exiſtente concordia in principalibus bonis* (quæ ſunt de neceſſitate ſalutis) *diſſenſio in aliquibus parvis, non eſt contra charitatem; procedit enim talis diſſenſio ex diverſitate opinionum, dum unus æſtimat hoc, de quo eſt diſſenſio, pertinere ad illud bonum, in quo conveniunt,* (putà ad gloriam Dei, utilitatem proximi, quam uterque intendit) *alius æſtimat non pertinere.* Unde concludit S. Doctor cit. art. 1. q. 37. ejuſmodi diſſenſionem non eſſe peccatum, niſi quando quis opinionem ſuam inordinatè & cum pertinacia propugnat; cùm enim contrarietati opinionum adjungitur contrarietas voluntatum, quam dicit eſſe filiam ſuperbiæ & inanis gloriæ.

Et

Et in responsione ad tertium, scribit discordiam quæ intercessit S. Paulum inter & S. Barnabam, Act. 15. fuisse absque peccato; quia uterque intendebat bonum: sed absque pertinacia, & contentione, *uni videbatur hoc esse bonum*, *aliud*, *quod ad defectum humanum pertinebat.*

Q. 2. *In quo differt discordia à contentione?*

R. In eo, quòd discordia præcisè dicat contrarietatem voluntatum: contentio verò contrarietatem verborum & sermonis cum inordinata acrimonia, & modo indebito, putà clamoribus & dictis mordacibus: *Contentio*, inquit Glossa in cap. 1. Rom. v. 29. *est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris.*

Q. 3. *Illa verborum contentio estne peccatum?*

R. Distinguit S. Thomas q. 38. art. 1. *Si contentio*, inquit, *dicatur impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniæ, sic contentio est laudabilis, si autem accipiatur secundùm quod importat impugnationem veritatis, & inordinatum modum, sic est peccatum mortale: si autem accipiatur contentio secundùm quod importat impugnationem falsitatis cum inordinato modo; sic potest esse peccatum veniale, nisi fortè tanta inordinatio fiat in contendendo, quòd ex hoc generetur scandalum aliorum. Unde & Apostolus, cùm dixisset* 2. Timoth. 2. noli contendere verbis, *subdit:* ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium: subvertuntur autem, & scandalum patiuntur audientes, quoties ejusmodi contentiones eos provocant ad odium & convitia contra inordinatè contendentes.

Ergo in omni controversia, imprimis vitanda est contentio, utpote charitati & paci opposita, inter opera carnis, quæ excludunt à regno Dei, ab Apostolo reposita, Gal. 5. & uti immunda

iræ ac ſuperbiæ ſoboles; *honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus*, inquit Sapiens Prov. 20. v. 3. *omnes autem ſtulti miſcentur contumeliis*, quæ vix abſunt ab indecoris illis contentionibus. Si autem ejuſmodi exceſſus cavendi ſunt, etiam ubi agitur de tuenda manifeſta veritate aut juſtitia; quantò magis quando unuſquiſque pugnat pro ſua opinione aut jure dûntaxat præſumpto. Nihilominus non ſolùm homunciones ac mulierculæ, ſed & viri alioquin ſpectabiles, ſæpè etiam Theologi & Sacerdotes ſe propterea alicujus culpæ conſcios non advertunt, etſi data occaſione, in eoſdem exceſſus ſemper prolabantur, adeo prævalent in Chriſtianorum cordibus ſuperbia & cupiditas.

Q. 4. *Quid eſt Schiſma?*

R. Reſpondet S. Thomas qu. 39. art. 1. eſt ſeparatio ab unitate Eccleſiæ, cujus partes tanquam membra unius & ejuſdem corporis charitas veluti ſpirituale vinculum copulat ac conſtringit. Læditur quidem illa unitas per quamlibet inobedientiam, qua quis præcepta Prælati ſui contemnit; ſed abſolutè non ſolvitur, niſi inobedientiæ addatur rebellio & contumacia, qua inobediens non vult ſubeſſe vel Concilio Generali, vel Summo Pontifici, vel ſuo Epiſcopo. Unde non omnis inobediens eſt ſchiſmaticus.

Q. 5. *Omne bellum eſtne peccatum charitati oppoſitum?*

R. Minimè; quia ut argumentatur S. Auguſt. Ep. 138. aliàs 5. *Si Chriſtiana diſciplina omnia bella culparet, hoc potiùs militibus conſilium ſalutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, ſeque omnino militiæ ſubtraherent: Dictum eſt autem eis*, neminem con-

concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum, Luc. 3. Enimverò si licet privato cuique jus suum tueri, bona sua à raptoribus in judicio repetere cum eorum capitis periculo, quidni & Principi? Non enim sine causa gladium portat, Rom. 13.

Q. 6. *Quæ requiruntur ut bellum sit licitum?*

R. Tria, ex S. Thoma q. 40. art. 1.

Primum est potestas, quæ residet in Principe, cui cura Reipublicæ commissa est, & eo titulo eam tanquam Dei Minister tueri debet contra infestantes hostes: *Ordo naturalis*, inquit S. August. Lib. 22. contra Faustum c. 75. *mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penès Principem sit, exequendi autem jussa bellica ministerium milites debeant paci salutique communi.* Hinc duellum non solùm Jure Canonico & Civili; sed etiam Naturali prohibetur; non quia præcisè eligitur appetitu vindictæ; sed quia privati non habent dominium propriæ vitæ, ut eam exponant tam evidenti mortis periculo, nisi in necessitate boni communis, quod est præferendum bono privato.

Secundum est causa justa; si enim litibus alios premere non licet absque necessitate, multò minùs urbes & provincias devastare cum plurimi sanguinis effusione. *Justa autem bella*, inquit S. Aug. lib. q. super Josue q. 10. *definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens, vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est.* Sed ista ponderare eorum est, quos Princeps adhibet in consilium, non verò subditorum.

Tertium est recta intentio, *qua scilicet*, inquit S. Tho-

S. Thomas cit. art. 1. *intenditur, vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur . . . Poteſt autem contingere, ut ſit legitima auctoritas indicentis bellum, & cauſa juſta; nihilominus propter pravam intentionem bellum reddatur illicitum; dicit enim Auguſt. Lib.* 22. *contra Fauſtum c.* 74. *nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſimilia, hæc ſunt, quæ in belli jure culpantur.*

Chriſtianus igitur, jubente Principe, & depoſito dubio, num belli cauſa ſit juſta, necne? arma ſumat, ſed eo animo, quo Chyrurgus ad nutum Medici ferrum & ignem adhibet, nimirum ad ſananda Reipublicæ vulnera, & ſtabiliendam publicam pacem, quæ eſt regni ſalus. Quid enim tam alienum à Chriſtianis moribus, aut tam inhumanum & crudele, quàm contra hoſtes inſurgere, veluti ſi avis rapax, aut canis venaticus ruat ad prædam & devictum adverſarium, qui ſecundùm militiæ leges ſervandus eſſet captivus, interficere, ſpoliandi cauſa, quomodo venator captam feram occidit, ut pellem detrahat? Hæc & ſimilia Confeſſarius inquiret non ſolùm à gregariis militibus, ſed & à militiæ Præfectis, quibus ut ipſimet palàm teſtantur, pax & tranquillitas publica oneri eſt, & bellum in votis, utpote occaſio, vel captandæ gloriæ, vel rei familiaris amplificandæ, eò ſanè pejores Judice & Medico, qui exoptarent, ille diſſidia in civitate ad multiplicandas lites, ille ægritudines ad colligendas opes ex alienis malis; quò urbium ſubverſiones, & innumeræ interneciones ſunt quid longè gravius ruina unius aut alterius familiæ.

Q. 7. *Quid rixæ & ſeditionis nomine intelligitur, & quomodo ambo illa peccata differunt à prioribus?*

R. 1.

R. 1. Rixa eſt bellum privatum, in quo diſcordes ſe invicem percutiunt, ex Gloſſa in c. 5. ad Gal. verſ. 20. Igitur ex diſcordia ſeu oppoſitione voluntatum naſcitur contentio, quæ eſt pugna verborum; ex contentione rixa, quæ eſt pugna manuum & verberum. In aggreſſore eſt peccatum ex genere ſuo mortale: in repugnante licita eſt, ſi ſervet moderamen inculpatæ tutelæ, illicita verò & peccatum ſi non ſervet, vel veniale, vel lethale, ſecundùm iræ, odii, & appetitus vindictæ exceſſum. Ita S. Thomas quæſt. 41. art. 1.

R. 2. Seditio ex Gloſſa in ſecundam Corinth. cap. 12. verſ. 20. laudata à S. Thoma quæſt. 42. art. 1. eſt tumultus ad pugnam, cùm ſcilicet cives tumultuantur, pacem civitatis turbant, & arma ſumunt ad pugnandum, non contra extraneos hoſtes, ſed contra ſe invicem. Unde patet ſeditionem eſſe grave peccatum charitati oppoſitum.

§. II.

De Scandalo.

Q. 1. *Quid ſignificat nomen ſcandali?*

R. Offendiculum, ſeu pedis offenſionem, ut lapis in via, ad quem viator incautè offendens prolabitur. Translatum autem ad mores illud nomen Græcum, ſignificat quidquid nobis ad beatitudinem tendentibus eſt cauſa ruinæ ſpiritualis, quo ſenſu Chriſtus dicitur 1. Petri cap. 2. lapis offenſionis & petra ſcandali, nempe incredulis & carnalibus.

Q. 2. *Quomodo definitur Scandalum?*

R. Definitur à S. Thoma quæſt. 43. art. 1. & aliis communiter Theologis; ex S. Hieronymo in cap. 15. Matth. dictum vel factum minùs rectum præbens alteri occaſionem ruinæ.

Dicitur 1. *dictum vel factum*; quia ſola voluntas niſi exterius ſe prodat dictis vel factis, non poteſt eſſe aliis offenſio. Nomine autem dicti & facti intelligitur etiam externa omiſſio; qui enim omittit loqui vel agere cùm deberet, v. gr. ſubditum blaſphemantem corrigere, Sacrum audire die feſto, aliis eſt ſcandalo & offenſioni.

Dicitur 2. *minùs rectum*, ſive illud ſit per ſe malum, ſive habeat duntaxat ſpeciem mali; ſpecies enim mali æquè inducit ad peccandum ac malum ipſum: imò ſi malum haberet ſpeciem boni, non moveret alios ad peccatum, v. gr. fornicarius, qui domum mulieris frequenter ingreditur ſub ſpecie negotii neceſſarii, neminem ſcandalizat: contra verò Clericus, qui apud ſe puellam retinet, quamvis caſtimoniam illibatè ſervet, nihilominus aliis eſt malo exemplo & offendiculo; quia factum habet ſpeciem mali.

Dicitur 3. *præbens alteri occaſionem ruinæ*: quia neceſſe non eſt ad rationem ſcandali, ut ruina actu ſequatur, ſed ſatis eſt, ut ruinæ detur occaſio.

Q. 3. *Quotuplex eſt ſcandalum?*

R. Duplex, alterum datum ſive activum, cujus mox definitionem attulimus: alterum acceptum ſeu paſſivum, quod eſt effectus ſcandali activi ſeu peccatum, cujus cauſa fuit ſcandalum datum.

Q. 4. *Quotuplex eſt ſcandalum datum?*

R. Duplex,

R. Duplex, ſcilicet directum, & indirectum. Directum, cùm quis dictis vel factis proximum in ruinam impellere intendit, putà in fornicationem. Indirectum, cùm quis non intendens ruinam proximi, nonnulla dicit aut facit in proprium commodum, aut animi oblectamentum, quæ tamen ſunt alteri occaſio peccati.

Q. 5. *Quotuplex eſt ſcandalum paſſivum ſeu acceptum?*

R. Duplex; alterum dicitur puſillorum, quod ex proximi ignorantia, aut infirmitate oritur: alterum Phariſæorum, quod naſcitur ex malitia accipientis. Ideo autem dicitur Phariſæorum; quia inſignis fuit eorum malitia, qua ex dictis & factis Chriſti Domini peccandi occaſionem ſumpſerunt.

Dices: hæc diviſio non eſt adæquata. Triplex enim eſt hominum ſtatus: alii peccant ex affectu, qui oderunt veritatem, nec volunt intelligere, ut bene agant: alii ſunt infirmi & puſilli, qui facilè ſeduci poſſunt, & ad malum, quod oderunt, impelli. Alii ſunt fortes, & in virtute firmati, ideoque ab ea difficiliùs dimoventur: Ergo ſicut aliud eſt ſcandalum Phariſæorum, qui ſunt primi ſtatus; aliud puſillorum, qui ſunt ſecundi ſtatus: ita illud admitti debet perfectorum, qui ſunt in tertio ſtatu, ac proinde triplex eſt ſcandalum paſſivum.

Negat S. Thomas qu. 43. art. 5. & 6. admittendum eſſe tertium illud genus ſcandali; dicitur enim Pſalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Et prov. 1. verſ. 17. *fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum;* quod parabolicè ſcriptum communiter intelligunt Interpretes de

de viris perfectis, qui scandalorum retia facilè declinant, & è peccandi periculo promptè ad cœlestia avolant spiritualibus alis; nempe amore Dei, & timore. Imò ex conspectu prævaricantium ampliùs accenditur eorum charitas; agens quippè vires exerit ad præsentiam Adversarii; ignis, v. gr. frigore impugnatus ardentior evadit, *vidi prævaricantes & tabescebam*, inquit Psalmista Psalm. 118.

Quòd si perfecti scandalum non accipiunt, multò minùs aliis præbent, quia plus repugnat perfectioni, inquit Angelicus Doctor, scandalum passivum: *ad perfectos enim pertinet ea quæ agunt, secundùm regulam rationis ordinare ... & præcipuè hanc cautelam adhibent in his, in quibus non solùm ipsi offenderent, sed etiam aliis offensionem pararent.*

Ergo ex intoleranda ignorantia, sive affectata, sive crassa, nonnulli scandalum pusillorum contemnendum ducunt: vel enim nullum scandalum est cavendum: vel scandalum pusillorum cavere necesse est. Primum dici nequit, cùm manifestè repugnet Scripturæ sacræ, rectæ rationi, & omnium hominum sensui, ut mox demonstrabitur: ergo secundum dicatur oportet, nempè sollicitè cavendum, ne unum ex pusillis contemnamus scandalizemusque, nam scandali Pharisæorum nullam habendam esse rationem docuit Magister & Dominus noster, Matth. 15. v. 12. Ubi referentibus Discipulis, quòd Pharisæi verbis ejus fuissent scandalizati, respondit, *Sinite illos, cæci sunt*, id est, ne curetis illorum scandalum; est enim ex cordis malitia eos excæcante, & *utiliùs nasci permittitur scandalum, quàm quòd veritas relinquatur*, inquit S. Gregorius Hom. 7. in Ezech.

Potest

Poteſt quidem veritas, quam infirmi necdum ferre poſſunt, ad tempus opportunius abſcondi, ſicut & correctio fraterna differri; ſed longè abſurdiſſimum foret, ſi Juſti, quos Deus poſuit tanquam luminaria in medio nationis pravæ, ut loquitur Apoſtolus, bonis operibus lucere caverent, eo prætextu quòd veritas improbis odium pariat, & virtus ſit illis lapis offenſionis & petra ſcandali. Igitur contemnendum eſt ſcandalum Phariſæorum, vix etiam timendum eſt ſcandalum perfectorum, cùm ſcandalizari non ſoleant, certique ſimus quòd ſi dictum & factum minùs rectum nobis excidat, illi nos correpturi ſint in miſericordia, nedum ſcandalum accepturi, proindeque nullum ſcandalum habemus cavendum, niſi puſillorum.

Q. 6. *Quomodo accipi, debet, quod ſcribit ſanctus Thomas loco citato, perfectos nec dare nec accipere ſcandalum, cùm poſſint à perfectione ſua excidere, juxta illud Apoſtoli* 1. Corinth. 10. qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat?

R. Illud accipiendum eo ſenſu, quo dixit Chriſtus Matth. 7. *non poteſt arbor bona malos fructus facere.* Et Beatus Joannes 1. Epiſt. cap. 3. *omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit . . . . & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*, nempe, ut aliàs diximus, quamdiu manet arbor bona, & quamdiu ſemen gratiæ Dei, qua renatus eſt, conſervat, ejuſque ductum ſequitur; Charitas enim non agit perperam. Sed perfecti, utpote in Charitate fundati & radicati, ac pro conſuetudine exercitatos habentes ſenſus ad diſcretionem boni & mali, non facilè moventur pravis aliorum exemplis,

emplis, ut fiant arbor mala, ac proinde non videtur pro iis timendum.

At, inquies, non eſt homo ſuper terram quantumcunque perfectus, qui non peccet, *neceſſe eſt*, inquit ſanctus Hieronymus Lib. 2 contra Pelagianos, *nos ſubjacere peccato, non naturæ & conditionis (ut tu calumniaris) vitio, ſed fragilitate & communicationis voluntatis humanæ, quæ per momenta variatur; quia Deus ſolus eſt immutabilis;* Ergo perfecti ſcandalum dare & accipere poſſunt.

Reſpondet S. Thomas 1. de ſcandalo paſſivo cit. art. 5. ad tertium, viros perfectos interdum quidem labi in peccata venialia, ſed potiùs ex infirmitate, & ex illiciente concupiſcentia, quæ in eis remanet; quàm ex aliorum dictis vel factis minùs rectis; *ſed*, inquit, *poteſt eſſe in eis quædam appropinquatio ad ſcandalum, ſecundùm illud Pſalmi* 72. Mei penè moti ſunt pedes.

Reſpondet 2. quoad ſcandalum activum art. 6. ad tertium, *peccata venialia perfectorum præcipuè conſiſtunt in ſubitis motibus, qui cùm ſint occulti, ſcandalizare non poſſunt. Si qua verò etiam in exterioribus dictis & factis venialia peccata committant, tam levia ſunt, ut de ſe ſcandalizandi virtutem non habeant.* Quòd ſi nonnulli peccant occaſione ejuſmodi leviorum defectuum, ſanctus Doctor in reſponſione ad primum & ſecundum, docet non viros perfectos occaſionem peccandi præbere, ſed ipſoſmet peccantes accipere ad excuſanda ſua peccata exempla perfectiorum; *non tamen*, inquit, *factum Petri* (de quo Gal. 2.) *erat tam grave peccatum, quòd meritò poſſint alii ſcandalizari. Unde patiebantur ſcandalum paſſivum; non autem erat in Petro ſcandalum activum.*

Ergo

Ergo amici hujus seculi desinant nobis obtrudere quædam dicta vel facta, quibus viri doctrina & pietate illustres, eorum vanitati & cupiditati favisse existimant. Aut enim falsa sunt, quæ de ipsis narrantur: aut si vera, non eo, quo referuntur modo, dixerunt vel fecerunt, aut si revera dixerint vel fecerint, ut dicitur, sunt defectus, non exempla quæ sequi liceat: homines quantumcunque perfecti non sunt regula regulans, inquit S. Thomas, sed regula regulata, hoc est non ad eorum dicta vel facta Evangelium, quod est regula regulans, flecti & detorqueri debet; quia non ex personis fidem, sed ex fide personas judicamus, ut loquitur Tertullianus, & ad rem præsentem pertinet, quod scribit sanctus Augustinus ad sanctum Hieronymum Epist. 82. aliàs 29. *Solis eis Scripturarum Libris*, inquit, *qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam . . . . alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Absit v. gr. ut propter dissensionem quæ intercessit Apostolum Paulum inter & sanctum Barnabam, Act. 15. existimem, licitam esse discordiam inter fratres, quam Scriptura tam dilucidè numerat inter opera carnis Gal. 5. quin ut honos tantis viris debitus servetur, eorum controversiam accommodare debeo regulæ regulanti, ut verbis Angelici Doctoris utar, & judicare illam dissensionem fuisse duntaxat in opinionibus, illæsa Charitate, sine contentione & peccato. Denique si quid leve minùs

tamen

tamen rectum sanctis viris aliquando excidat propter concupiscentiam, quæ semper in ipsis manens nonnunquam obrepit, nunquam trahendum est in exemplum; sed existimatio, quam multis titulis merentur, exigit, ut eorum dicta vel facta, quantum fieri potest, cum regula morum, hoc est, cum lege componamus; alioquin non illi dant occasionem, ut supra docebat S. Thomas, sed nos ipsi occasionem sumimus laxandi habenas propriis cupiditatibus, & ita scandalum Pharisæorum est in nobis, id est, passivum & acceptum.

Ergo qui singularem pietatem præ se ferunt, præsertim si in dignitate sint constituti, ut Pastores, præ cæteris dicta sua & facta ad regulam exigere debent, utpote quæ statim evulgentur tanquam effata & exempla, quibus nec contradicere, nec resistere liceat.

Q. 7. *Scandalum estne peccatum?*

Certum est 1. scandalum activum directum esse peccatum ex genere suo lethale; quia voluntas impellendi proximum in peccatum & ruinam formaliter pugnat contra Charitatem, & est malitia prorsus diabolica.

Certum est 2. scandalum passivum, cùm sit ipsemet lapsus illius, qui scandalum patitur, esse quoque peccatum non unius speciei, sed totuplicis, quotuplex est materia, in qua peccatur occasione dicti vel facti alterius, nempe erit peccatum injustitiæ, intemperantiæ, impudicitiæ, si quis ex dictis vel factis alterius furetur, inebrietur, desideria impudica concipiat.

Difficultas itaque superest duntaxat circa scandalum activum indirectum, num scilicet qui nonnulla dicit aut facit, non ea intentione, ut proxi-

proximus in peccatum labatur, ſed ſolùm ut ſuo commodo conſulat, vel ſuo genio indulgeat, reus ſit peccati, ſi dicta ejus aut facta præter intentionem præbeant alteri peccandi occaſionem.

R. Ejuſmodi ſcandalum eſt peccatum ex genere ſuo mortale & ſpeciale, ac in Confeſſione Sacramentali exponendum. Ita omnes Theologi poſt S. Thomam qu. 43. art. 3. & 4. Duæ autem ſunt reſponſionis partes. Prima, quòd ejuſmodi ſcandalum ſit ex genere ſuo peccatum lethale. Secunda, quòd ſit ſpeciale, & in Confeſſione Sacramentali exponendum.

Prima pars probatur 1. ex Scriptura Matth. 18. *qui .... ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à ſcandalis; Neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala: verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Hìc agitur de ſcandalo, quod neceſſe eſt præbeatur in mundo agentibus, ſi ſpectentur corrupti mores eorum quibuſcum verſari oportet: atqui illud ſcandalum eſt indirectum; facilè enim vitari poſſunt, qui nos ad malum directè, v. gr. conſiliis & ſuaſionibus inducant; impoſſibile verò quin in mundo multa videantur & audiantur illicita, quæ videntibus, & audientibus ſunt occaſio peccandi. Porrò ſcandalum illud eſſe peccatum grave colligitur ex pœna graviſſima, qua Chriſtus dicit fore puniendum, *Væ mundo*, inquit, *à ſcandalis.* Sed Apoſtolus diſtinctè ac dilucidè loquitur de ſcandalo indirecto, cap. 14. Epiſt. ad Rom. & cap. 8. & 10. Epiſt. 1. ad Cor. ibi quippe agit de iis, qui in fide plenè inſtructi idolothytis, id eſt, carnibus idolo immolatis veſcebantur, ut quæ nihil

Religionis haurirent ab idolo, quod nihil eſt, cùm non ſit quod repræſentat. Sed quia hacce Evangelica libertate utebantur coram infirmis fratribus, qui cum conſcientia idoli, hoc eſt, putantes idolum ejuſmodi carnes inficere, aliorum exemplo idolothytum quaſi pollutum & illicitum cibum manducabant, ideoque peccabant, quia ex conſcientia erronea id non licere arbitrabantur; manifeſtum eſt autem, quòd peccatum illud infirmorum, eſſet præter intentionem firmiorum, ut qui illud unum intenderent, hacce libertate fidem ſuam ac Religionem teſtatam facere in idolorum contemptum, fore cum aliqua oſtentatione, propter quam illis dicitur, *ſcientia inflat, charitas verò* (quam negligebant) *ædificat.* Nihilominus ſcandalum illud quantumcunque indirectum reprehenditur ab Apoſtolo tanquam grave peccatum, *& peribit*, inquit, 1. Cor. 8. *in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, & in Chriſtum peccatis.* Quæ ſanè non dicerentur de peccato veniali. Unde ſanctus Chryſoſtomus Hom. 21. in 1. ad Cor. de hujuſmodi ſcandalo ait: *eſt quovis vulnere gravius ſcandalizare, ſeu offenſionem afferre.* Sed audiendus eſt auctor egregii libelli de ſingularitate Clericorum inter opera S. Cypriani, ubi inſurgit adverſus Clericos, qui prætextu Charitatis, religioſas mulieres in ſuis domibus alebant, & contenti teſtimonio propriæ conſcientiæ, contemnebant malas vulgi ſuſpiciones, oblocutiones, & ſcandala: *pudicitiæ bonum*, inquit, *fruſtra intrinſecus laborioſo agone cuſtodit, quod forinſecus efficit infamari . . . . Pejus eſt quàm mœchari, continentiam ducere*

cere criminosam, & infamem ferre sanctimoniam.

Probatur 2. ratione; quia sub peccato gravi tenemur amovere proximi miseriam, sive corporalem per eleemosynam, sive spiritualem per correctionem fraternam: Ergo à fortiori tenemur cavere, ne illum per scandalum in ruinam conjiciamus: pejus enim est, proximum in malum conjicere, quàm illum jam lapsum non erigere.

Confirmatur à simili. Societas humana non patitur, ut quis in proprio fundo quidquam faciat in privatum commodum, & ornamentum domus, quod sit alteri nocivum, & ruinæ periculum. *Si quis*, ait Dominus Exodi 21. vers. 33. *aperuerit cisternam & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium jumentorum.* Ergo à pari, qui scandalum sive directè, sive indirectè dederit, reus est illius damni, & ruinæ.

Dixi, scandalum indirectè datum, esse peccatum ex genere suo mortale, ut innuerem, aliquando esse veniale ob levitatem materiæ, cùm scilicet est solùm occasio peccati venialis, modò tamen peccatum illud veniale non vergat in grave detrimentum proximi, ut supra diximus de omissione correctionis fraternæ.

Secunda pars, nempè quòd peccatum scandali sit speciale, & in Confessione Sacramentali exponendum, probatur: quia illud peccatum est specie à cæteris distinctum, quod pugnat contra specialem virtutem; ebrietas v. gr. specie differt à sacrilegio; quia est opposita virtuti sobrietatis, quæ est specie distincta à Religione, quam impugnat sacrilegium; atqui scandalum indirectè datum pugnat contra charitatem, qua tenemur di-

ligere proximum ſicut nos ipſos, hoc eſt, malum illius avertere, & bonum procurare. Ergo ſcandalum etiam indirectè datum, eſt peccatum ſpeciale, & conſequenter in Confeſſione Sacramentali exponendum; de fide enim eſt, explicandas eſſe circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, ut definiit Concilium Tridentinum Seſſ. 14. Can. 7.

Ergo ſatis non eſt, ut quis confiteatur ſe obſcœna colloquia habuiſſe, fornicatum fuiſſe, aut furatum cum aliis; ſed tenetur inſuper explicare, an auctor fuerit ejuſmodi colloquiorum, aut fornicationis, & furti aliorum; namque in hypotheſi quòd auctor fuerit, dupliciter peccavit, 1. contra charitatem per ſcandalum ab ipſo datum, 2. contra caſtitatem in primo & ſecundo exemplo, & contra juſtitiam in tertio. Imò ſcandali peccatum in eo multiplicatur pro numero eorum, quibus dedit occaſionem peccandi, ut docent Navarrus Manualis cap. 6. num. 19. & alii; quia ſicut qui uno ictu interficeret duos homines, reus eſſet duplicis homicidii; ita qui uno verbo obſcœno duobus, tribus, quatuor, &c. dat occaſionem peccandi, tot peccatorum reum ſe conſtituit.

Dices: ex S. Thoma art. 3. ſcandalum indirectè & præter intentionem datum, non eſt ſpeciale peccatum; quia, inquit, quod eſt per accidens, non conſtituit ſpeciem: Ergo.

Diſtinguo antecedens; non conſtituit ſpeciem primariam & eſſentialem actui, quæ repetitur ex objecto, Concedo: ſpeciem ſecundariam, quæ repetitur ex fine & circumſtantiis, quemadmodum diximus ubi de Actibus humanis, Nego antecedens. Itaque certum eſt, dari circumſtantias,

tias, quæ in genere moris novam actui dant speciem ; quæ tamen dicitur à S. Thoma & ab aliis Theologis, bonitas vel malitia actui accidentaria; eleemosyna v. gr. data Sacerdoti ex motivo Religionis, licèt duplicem specie habeat bonitatem, scilicet misericordiæ & Religionis; tamen sola bonitas misericordiæ, quæ repetitur ex miseria pauperis Sacerdotis, est essentialis huic actui: bonitas verò Religionis accidentaria. Item si quis injustè percutiat Sacerdotem, reus est duplicis specie peccati, scilicet injustitiæ & sacrilegij, nullusque nisi hæreticus negaverit, utrumque in Confessione aperiendum; sacrilegium tamen dicitur circumstantia actui accidentalis, & minimè speciem constituens. Quòd autem S. Thomas faveat nostræ sententiæ, patet ex responsione ad secundum, in qua sic habet *scandalum activum potest inveniri separatim ab aliis peccatis, putà, quando proximum scandalizat facto, quod de se non est peccatum, sed habet speciem mali:* unde concludit, scandalum esse peccatum à cæteris distinctum, cùm possit existere in dante scandalum sine alio quovis peccato.

Q. 8. *Tenemurne omittere actionem indifferentem, vel etiam bonam ad vitandum scandalum?*

R. 1. Ob scandalum Pharisæorum, actio sive indifferens, sive bona, non debet omitti; quia illud scandalum ex sola malitia scandalizati oritur, ac proinde nulla illius ratio habenda.

R. 2. Actio indifferens debet omitti ob scandalum pusillorum, si quos noverimus inde ob infirmitatem commovendos; quia ordo Charitatis postulat, ut omittamus quæ indifferentia sunt, cùm prævidemus periculum, ne sint proximo ruinæ occasio. Sic excusari nequit, qui ignem defert

cum periculo incendii in aream proximi, in qua sunt paleæ; quis eum innocentem pronuntiabit, qui rem facit indifferentem cum scandalo fratris, quem novit infirmum? Dico, *quem novit infirmum*; quia intolerabile esset onus, & janua patens innumeris scrupulis, si omittenda esset omnis actio indifferens, quæ generatim ac indeterminatè posset esse occasio ruinæ, nisi actio illa de se, & prudentum judicio talis esset, quæ omnibus infirmis speciem mali præ se ferret, à qua abstinendum docet Apostolus 1. Thess. 5. vers. 21. Hinc mulieres peccant peccato scandali, si ornatus earum sit indecens & ad lasciviam provocans; secus si decens judicetur.

R. 3. Actio bona vel non est præcepta, vel est præcepta: si non est præcepta, censet sanctus Thomas qu. 43. art. 7. propter scandalum pusillorum, aut esse occultandam, aut differendam, donec ipsis exposuerimus nostram ita agendi rationem. Quòd si, expulsa jam ignorantia, nihilominus scandalum patiantur; non erit datum, sed acceptum, & Pharisæorum, ac proinde contemnendum.

Major èst difficultas circa bonam actionem præceptam, quæ ut solvatur, distinguendum est inter præceptum negativum & affirmativum, naturale, & positivum: præceptum naturale negativum obligat semper & pro semper; quia, ut supra diximus, prohibet actionem per se malam; nunquam autem, qualibet hypothesi posita, licet malè agere, ac proinde propter scandalum vitandum, nefas est mentiri, pejerare, sacrilegium committere, v. gr. absolutionem sacramentalem impertiri indigno; ne ex ejusmodi repulsa, longè

gè deterior fiat. Idem judicium esto de uxore, à qua maritus propudiosa contra legem naturalem exigit, nempe morem illi gerere non debet ad vitanda gravia scandala. Secus sentiendum de præcepto negativo Legis humanæ, putà de præcepto abstinendi à carnibus vel ab operibus servilibus certis diebus; Catholicus enim inter Hæreticos occultus, licitè carnes comederet, si prævideret suam abstinentiam fore occasionem injustæ persecutionis; & famulus licitè operaretur die festo; si aliter non posset vitare iniquam heri vexationem & blasphemias.

Quod verò spectat præceptum affirmativum sive naturale, sive positivum, cùm non obliget pro semper, sed solùm positis omnibus circumstantiis ad honestè agendum requisitis, potest aliquando prætermitti ad vitandum scandalum; correctio fraterna v. gr. licèt sit præcepti naturalis & divini positivi, omittenda tamen est, si proximus ex ea deterior sit futurus, imò & juridica ex sancto Augustino Lib. 3. contra Parmenianum cap. 2. si schisma timeatur. Veritas quoque, quam Christus præcepit super tecta prædicandam, aliquando tegenda est, non quidem falsitate, & æquivocationibus, quæ à mendacio non differunt, sed prudenti dispensatione, juxta illud Matth. cap. 7. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittetis margaritas vestras ante porcos*; quod sanctus Thomas citato art. 8. intelligit de doctrina. *Propter nullum scandalum*, inquit in responsione ad secundum, *quod sequi videatur*, *debet homo*, *prætermissa veritate*, *falsitatem docere. Sed ipse actus docendi inter spirituales eleemosynas computatur. Et ideò eadem ratio est de doctrina*, *& de aliis misericordiæ* *operi-*

operibus, quæ ſcilicet exerceri debent pro loco, tempore & perſonis. Ii tamen, quibus incumbit officium alios docendi, ut Paſtores, tacere non debent propter periculum ſcandali, quando mendacium prævalere advertunt, v. gr. contractus uſurarii & injuſti laudantur, & prædicantur ut liciti; tunc enim utiliùs naſci permittitur ſcandalum, utpote Phariſæorum, quàm ſi veritas relinquatur.

Utrùm autem & quando temporalia ſint dimittenda propter ſcandalum vitandum, patet ex dictis de correctione fraterna.

FINIS.



2008851

